Universidad de Deusto
Biblioteca

C. Jansenius

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

CORNELII

IANSENII

EPISCOPI GANDA-

ENSIS HOMILIAE IN

EVANGELIA QVAE DOMI-

cis & festis in Ecclesia populo

recitari solent,

Quatuor item in Concordiam Evan-

gelistarum libris, nuperrime ab ipso auctore re-

cognitis, & à mend... propemodum

innumeris repurgatis,

Nunc primum à D. Georgio Braun Agrippi, S. Geor-

gij Canonico collectæ, & præfationibus illustratæ.

Omnibus diuini verbi præconibus summopere vtiles.



892
1594

LVGDVNI,
APVD CAROLVM PESNOT.
M. D. LXXVIII.

REVERENDO IN CHRI-
sto patri ac D.D. Gregorio Syluio Epi-
scopo Tag[illegible]nsi, suffi[illegible]anco & Ec-
clesiastæ primario Leodiensi, apud S.
Paulum Canonico dignissimo, Geor-
gius Braun Agripp. S.P.D.

NOndum memoria excidit, Reuerende in Christo Pater, ac Domine, multis nominibus obseruandissimè, cùm superiore anno, aliquanto tempore domi tuę vna cum Præstantissimo, Clarissimóque viro, D. Andrea Hartzemio Iureconsulto, Illustrissimi Iuliacensium Ducis Consiliario, Leodij apud te, quotidianis iisque suauissimis, & doctissimis colloquiis tuis, paternè me monitum, vt infœlicem horum temporum difficultatem, patriæ salutem, vocationis quoque meæ conditionem perpendens, eos labores, quos prophana colligenda historia, in cosmographicas regionum & vrbium enarrationes, hactenus impendi, ad veneranda, & summè hoc tempore necessarium sacratũ literarũ studium, iam porrò conuerterem, efficerémque, vt si quas Ægyptiorum opes collegissem, eæ, in Ecclesiæ vsum & ornamentum à me conuerterentur. Gratissima quidem hæc fuit Reuerentiæ Tuæ, & magni apud me ponderi admonitio, verùm & rationes

D. Aug. lib. 2. de doct. Christ. cap. 40.

rum mihi deesse non existimabam, me non inutilem nauare operam, vt ante prophanis & mitioribus, quàm in sacrosancta, & veneranda Theologica Facultate rudibus, vt aiunt, manibus, quid piam aggrederer, neque alios docere conarer, ipsus ego tantæ facultatis ignarus, in qua rem in sit extremo salutis periculo erratur. Quod cum præcipuis temporibus summa adhibere quæque tempestitatum, tum & hoc nostro infœlicissimo ævo, à nō paucis, malè fer tis hominibus, cum summa Ecclesiæ Christi calamitate, imitatum inuenio. Ita quōdam obsonatores & coci, Theodotus coriarius, Theodotus mēsarius: Aetius aurifaber: Marcion nauta, Cresconius Grammaticus, Iouinianus imperitissimus monachus, Heluidius agricola, ob imperitiam cōfidentes, nouas in Ecclesiam Dei superstitiones inuexerunt, vnde sectæ, diffidia, & separatæ ab Ecclesiastica vnitate partes sunt natæ. Pari quoque ratione, & hoc nostro tempore, idem spiritus, idemque eos vsque adeo exagitat genius, qui & pij amabilem Ecclesiæ vnitatem dissecant, & caninis lacerant dentibus, vt eadem matre foti, eodémque ouo progn[illegible]ti videantur. Itaque & nunc laicam ac rudem VValdensium, & inertissimam Anabaptistarum turbam vidimus, diuersis hydræ instar partitam capitibus, & oppositis sibi inuicem cohortibus, mirandum in modum dissectam: In qua Bernardus Rotmānus rusticus, Dauid Georgij

Georgij vitrarius, Theodoricus Philippi ephippiarius, Matthias textor compactores librorum, cultrarij, sartores & mercatores, Monitorum, quæstiosi vocant, & Concionatorum iubeunt vices. Nihil nunc de imperita Franckistarum multitudine breuitas amore, commemorabo, ex qua priuatorum dissidiorum [illegible]ausa excommunicatus & electus est quidam Hadamus Bernardi, & ipse, ea eruditione [illegible]a cæteri, hoc est, nulla imbutus, qui [illegible] anno salutis M. D. L X X I I I. peculiari edito libello, nouam ædificauit, & separatam ab omnibus aliis, Ecclesiam, atque plurimos absurdissimarum opinionum suarum alumnos, nunc fouet. Quemadmodum & hoc tempore, laicorum, & imperitissimorum hominum, noua cœpit innotescere colluuies, de domo & familia amoris, qui præfracta quadam nouæ sapiētiæ opinione, anilia & superstitiosa cōminiscuntur dogmata, & quò plures in nassam pertrahāt suam, vulpina quadā calliditate cum omnibus, cuiuscunque etiam factionis hominibus, æquè conuersantur, catholicorum ritus, & ecclesiastica non vitant exercitia: Romanam profitentur & veram dicunt esse Ecclesiam Dei: Et tamen adeo monstrosas atque horribiles tuentur opiniones, vt hos tandem esse existimem, non qui cum Luthero atque Caluino, tectum & parietes Ecclesiæ sint euersuri, quemadmodum Reuerendissimus Hosius scribit, sed qui fundamento religionis catholicæ insidiabuntur

H. suæ censura de adora. &c.

Trinitate & epist. ad senatū Colonien sem.

politicas & ciuiles hominum societates, notiis seditionum furoribus perturbabunt: & vetissimi tandem Antichristi prodromi sint futuri. Libellos circunferunt: Annunciationem pacis per H. N. Epistolam H. N. qua cunctæ nationes, ad domum Charitatis vocantur & inuitantur. Item Paræneſim H. N. ad filios, & familiam suam Amoris, qua septem Sacramentorum, Administrationis verbi diuini, Missæ, vt cæremoniarum ecclesiasticarum in ea vsitatarum explicationem proponit, impressam Cam[illegible] anno M.D.LXV. Itē Euāgelium Regni: Et[illegible]em intimis suis atque perfectis tantum committunt, Speculum veritatis. Ad hæc diuersas etiam icones, atque imagines, quibus non minus quam libris, sua passim dogmata diuulgant. Aque ex hac tanta & effrenatissima noua comminiscendi dogmata, & quæuis temerè scribendi libertate, tam ambitiosi diuersissimarum factionum, prodeunt libri, conuitiorum plaustris onusti, quibus non modò turbulento hoc nostro seculo, in quod omnium hæresum maturitas erupit, sed initio statim nascentis Ecclesiæ venerandis & doctissimis in ea Patribus, imo Apostolis ipsis, atque adeo CHRISTO Iesu amarulentas blasphemias turpissimo ore hæretici ingesserunt. Ita Pharisaico gregi Christus Iesus publicanorum amicus, peccator, seductor, Imperitus mechanici filius, & maledictum fuit. Paulus veritatis præco, nouorum dæmoniorum annunciator, semiuerbius, seditiosus

tiosus, & templi violator. Petrum, cæteroſque Apostolos imperiti quidam Philosophi, tanquam fallaciæ seminatores lacerarunt. Quintinus sartor, à quo Libertini in Gallia, cum hide sortiti sunt nomen, omnes in vniuersum feri[illegible]aras abiiciens (quemadmodum de ipso scribit Caluinus) vnumquemque Apostolorum, [illegible]mmate peculiari notabat: Vas fractū nuncupans Paulum, Petrum Christi abnegatorem, annuem iuuenem stolidum, Matthæum [illegible]atorem. Egrano D. Paulus rudis & indoctus fuit. Eodem c[illegible]acitatis morbo in celeberrimos etiam Ecc[illegible]siæ Patres pestiferum maledicentiæ virus effuderunt. Ita religionis veritatisque aduersariis, Cyprianus sanctissimus Doctor ac Martyr, Coprianus fuit, quod elegans ingenium, & melioribus rebus aptum, ad superstitiosas & aniles fabulas conuertisset. Diuus Augustinus Donatistis lupus fuit, ac proinde opprimendus, & qui eum trucidasset, hunc facilè veniam à Deo impetraturum. Non placuit hactenus aduersariis nostris Diuus Bernardus, quia nimis sit superstitiosus, & à synceritate Euangelicæ doctrinæ alienus. Chrysostomus auctor ipsis est violentus, & monachatui contra Euangelium studiosior. Damascenus puerilis & impudens auctor, qui portentosis in re Sacramentaria formulis vritur. Theophilactus in assertionibus suis nimis violentus. Diuus Hyeronimus auctor eloquentissimus impudentissimis hisce

Act. 17 14. Lactan. lib. 5 de inst. ca. 2.

Cal. lib. contra Libertinos.

Lactan. lib. 5. cap. 1.

Petrus Martyr cōtra Gardinerum. Vrbanus Rhegius in locis cōmunibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

censoribus asinus est rigidus & intolerabilis, Vigilantij nimirum Iouiniani, & Lutheri successoribus, qui non nisi fœminea saturantur carne. Diuus Gregorius Caluino ob pias iugis sacrificij cæremonias, Magus esse censetur, veluti mysterium illud térque quatérque venerandum, magica quædam res foret. Athanasius, Sathanasius, per contumeliam à Triadoclastis appellatur. Quanto etiam criminãdi studio, ad vniuersæ Ecclesiæ, & ad totius Christianæ societatis conuitium cuncta per suos composuerit Sathan, & iucundum est, propter historiam, & utile, ob similem horum temporum blasphemiam & amarulentam maledicentiam audire. Et vt primum ab iis qui Christianæ religioni nunquam subscripserunt, initium sumam: Suetonius Christianos homines esse nouæ ac maleficæ superstitionis adseruit. Tacitus eosdem exitiabilis superstitionis accusauit cuius mali non solum ex Iudæa origo esset, sed in vrbe etiam, quo cuncta vndique atrocia, & pudenda confluebant, latius serperet. A quibusdam etiam fideles porci, ob turpia, quæ ipsis impingebant flagitia, & infanticidæ vocitabantur. Item asinarij, occasione cuiusdam historiæ, quàm mendaciorum loquacissimus, Cornelius Tacitus, in fidelium odium excogitarat. Ideóque Christianorum Deus hac forma pingebatur, auribus asininis, altero pede vngulatus, librum gestans, & togatus. Ab alijs, non ferẽdi immortalium deorum

Lutherus, passim in suis Rapsodijs.

Suetonius in Nerone.

Tacitus lib. 5. hist.

Tertull. Apolo. cõtra gentes, c. 16.

rum hostes dicebantur, eò quòd his sacrificare detrectarent. Similiter infructuosi, ac steriles, Sarmenticij item, & Semissij, quia ad stipitem dimidij assis reuincti sarmẽtorum ambitu exurebantur. Non hic dicam quàm turpia in Ecclesiam Dei euomuerit Celsus Epicureus philosophus, Liberius, Sophista, Porphyrius, Symmachus, & alij, partim Iudæi, partim Gentiles, quorum iniquas in Ecclesiam Dei criminationes, Quadratus, Arristides, Melito, Theophilus, Apolinaris. Tertulianus, Tatianus, Berdesanes, Arnobius, Origines, Iustinus, Lactantius, Prudentius, Irenæus, Dionysius, Clemens, Miltiades, &c. summi præstantésque viri accuratissimè refutarunt. Iulianus naturæ monstrum, & hominum impurissimus Christianos per contemptum Galilæos nuncupabat. Donatistis, orthodoxi omnes, pagani erant: qui & sanctos Ecclesiæ Antistites, pollutos, muscas morituras, Samaritanos sacrorum librorum traditores, nuncupabant, Orthodoxam item & catholicam Ecclesiam, mulierem fornicariam, sicuti nunc nostri hæretici, eandem Babylonicam meretricem.

Quam præclara fuerit Nicæna Synodus in qua præcipui totius orbis Episcopi C C C I.. & grauissimi Doctores conuenerant, Eusebij & Socratis historiam, ipsiúsque synodi acta legenti, satis est manifestum: Et tamen impudentissimi vnius. Sabini maledica est lingua inuenta. quæ summos illos viros

Ibidem cap. 42. & 43. & 45.

Optatus lib. 3. & 6. D. Aug. contra Fulgen. Respon. 16. Opt. lib. 7. D. Aug. contra Ful. in principio De sacrorum librorum traditorib. vide Optatum & Balduini comment: D. Aug. passim lib. contra Fulgentium.

Euseb. lib. 3. de vita Constantini Socrates hist. Eccl. lib. 1. ca. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ros, ab ipso etiam Constantino Augusto, summa obseruantia cultos, rudes, ignaros, & nihil scientes idiotas compellare sit ausa. Eundem planè ad modum, qui infœlici hoc nostro sæculo, in Iesu Christi Ecclesiam calamum & linguæ spiculum acuunt, virulentissimis sycophātiis domū, Dei in qua nati sunt & educati impetunt. His summus ecclesiæ præsul Antichristus est, Christiani omnes Papistę sunt, Pōtificij, Papæ mancipia, patrologi, sacrificuli, rasorum turba, Carnalitæ, Mentingentes, Demoniaci, Frandisc[illegible], &c. Quāta etiam temeritate, ob animae[illegible]iones Macarij præfecti, in seditiosos Donatis[illegible], & furiosos circumcelliones, Catholica Ecclesia sanguinaria & Macāriana, à pietatis hostibus, sit nūcupata, ex D. Augustini scriptis satis est manifestum. Sic & Catholicos Arriani diuinitatem Christi negātes, non orthodoxos, sed homsianos, contumeliosè appellitabant. Qui verò extremis hisce temporibus nostris hæreticæ & blasphemæ di acitati facem prætulit, Lutherus, quanta amarulentiā huic morbo indulserit, non scripta modò sua, plus quàm scurrili maledicentia cōtaminata, sed & Erasmi, suorum item, quos variis malignantiū ecclesiis, peperit filiorū testimonia, satis euidēter demōstrāt. Nihil Erasmus modestiæ, nihil māsuetudinis Euāgelicæ, in Lutheri scriptis inuenit, vt puta, quæ ex eo pdierint pectore, & nulla maledicētia saturabile, furiosa in hostes cōuitia euomat, ac proinde persuadere sibi non potest, Christi spīritū, quo

D. Aug. epist. 161 & 64 ad Emeritū. Donatistam Et lib. 2. cōtra Petil. Donatum cap. 39. Erasmus epistol. ad Nicolaū Beroaldū epistol. ad Guilhelmū Episcopum Cantuariensem & in Spōgia sua aduersus Hutteni aspergines.

quo nihil mitius inhabitare pectus illud vnde tanta scatet amarulentia. Itaque Bucerus, Lutherum suum maledicum, imperiosum & austerè dicacem nuncupat: Consimilibus eundem Caluinus, Petrus, Martyr, Ioānes à Lasko, Oecolampadius titulis ornant, dum ipsum crassum & hebetem, latratorem phreneticum dicunt, qui scripturas pudendum in modum vitiarit, ac speciē saltē verbi diuini, nec ipsum verbum Domini ad ferat, cuius omnia ex maligno prodeāt spiritu. Imo Tygurini & Heidelbergenses, tam acerbis maledictis ac probis Lutheranica infectantur ripta, vt omnium eorundem lectioni inter ixerint. Hæc paulò fusius eum in finem retulimus, vt euidenter demonstraremus non minimam esse turpissimorum conuitiorum, quibus nunc hæreticorum libri scatent occasionem & causam, eorū imperitiam, qui, earum rerūm, quas nunquā didicerunt ipsi, professionem suscipiunt. Qui cum Catholicorum roborata veritate, dogmata euertere, sua item noua, & ab Apostoli ea traditione aliena, comprobare nequeunt, in Amarulentas blasphemias, in Pontificum, Episcoporum, & Ecclesiasticorum obtrectationes, & contumeliosissimas criminationes locum cōmunem ipsis familiarem, & gratum expansis velis descendunt, idque tanta confidentia, petulantia effrenatissima, infinitis confictis criminationibus, vt scribat Diuus Augustinus frontem hæreticorum nō esse frontem, séque mirari, habere ipsos in corpore sanguinē

Vide D. Aug. cōtra epist. Manichæi quā vocāt sua damentis. cap. 3. 27. & epist. 147. 163. 176. in fi 203. lib.

&

& tamen non erubescere. Sæpius proinde adversarios, quibus cum ipsi conferendum erat, rogare solebat, vt deposito partium studio, à cõuitiis abstinẽtes rationibus & scripturarũ sacrarum auctoritate decertarent. Paucis. Iudas in Epistola sua: Hi, inquit, quæcunque quidem ignorãt, blasphemãt. Equidem si aduersarii Catholicæ & Orthodoxæ doctrinæ veritatem intelligerent, tam est ea euidens, manifesta & pulchra vt non possent non eam amplecti, ac summoperè venerari. Nunc autem quàm sint ipsi periti traditionum, historiarum & cæremoniarum ecclesiasticarum, grauissimarũ quoque disputationum Theologicarũ si Orthodoxi scriptoris iudicio, fortasse minus habebitur fidei, vnius, qui & ipse ecclesiasticam vnitatem cum cæteris deseruit, hac de re censuram & verba, optima fide paucis adscribere placuit. Is inquit, Plus valet vnus Augustinus, quàm centum Lutheri, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, & quingenti Caluini, qui omnes si in mortario contunderentur, non exprimeretur vna vncia veræ Theologiæ.

lib. 3. contra Lut. Petralitr. cap. 11: extra Mediatiõ. ca. 7.

Stãcarus lib. de Trinitate & Mediatore.

Sed his iam tandem omissis, & ad institutum & auctorem nostrum reuertimur, Reuerendissimum Dominum Cornelium Iansenium, quem singularis vitæ probitas, excellentissima etiam rerum Theologicarum cognitio ad Gandauẽsem Flandriæ Episcopatũ, euexit, in quo diligentissimã cõmissi sibi Dominicæ gregis curam gerens, quatuor eruditissima con

scripsit volumina, quibus Euangelicam Euãgelistarum historiam, in vnicam & admirabilem harmoniam, quàm ipse Concordiam Euangelicam nuncupat, ea dexteritate iudicio & fœlicitate redegit, tam erudita, & omnibus modis absoluta enarratione illustrauit, vt summi etiam Theologi, eius auctoris methodum atque doctrinam, enimẽter admirentur, exosculentúrque: Imprimis verò R.D. Franciscus Costerus Meclinien sis, Societatis Iesu summus præstantissimúsque Theologus, Præceptor mihi perpetua obseruantia Colendissimus, has eadem Iansenij opera, eruditissimo testimonio suo, commẽdarit, & ad assiduam, ac diligentem eorundem lectionem auditores & discipulos suos sit cohortatus. Cæterum, cum ampla sint, & peringentia eius auctoris volumina, & plurimi quidem facultatis Theologicæ candidati, eorum lectione delectentur, tenuioris verò fortunæ studiosos, concionatores & Parrochos, prætij magnitudo, quo minus iisdem fruãtur, deterreat, itáque optimi & communis boni amantes viri, aliquanto me tempore rogarunt, vt publicæ vtilitatis gratia eam in me curam reciperem, quò Euangelicas totius anni enarrationes, quas accuratissimè, R.D. Iansenius, in Euangelica concordia sua sparsim descripsit, additis conuenientibus, pro temporũ ratione exordiis, colligerem, vt compendioso & portatili opere, Parrochis, & Ecclesiarũ ministris deseruire commodius possent. Difficulter admodum

Universidad de Deusto
Biblioteca

modum tantum in me onus recepi, cum id exercitato alicui Theologo, qui propius ad summam R.D.Ianſenij eruditionem accederet conuenientius committendum: tum etiam turpius & præter decorem eſſe putarem, aliena ſcripta & ſumma induſtria inuẽta, aut dilatando, aut truncando, falcem in meſſem nõ ſuam, immittere. Cæterùm, amicorum precibus victus: volumen etiam ipſum diligentius euoluens, ab auctoris mente non fuiſſe alienũ inuenio, ſeparatam Euangeliorum enarrationem, ex opere vniuerſo, lectoribus proponere cum ipſemet eius rei modum, à me diligenter & optima fide obſeruatũ, in opere ſuo præſcribat. In his autem R.D.Ianſenij ſermonibus, docti & minus item periti, inuenient quo mirificè reficiantur. Si enim accuratiſsima & maximè propria verborum ſignificatione, quiſpiã delectetur, ex limpidiſsimis Hebræorũ & Græcorum fontibus, in auctore noſtro, quo laudabilẽ hãc ſitim mitigare queat, inueniet. Si hiſtoriarũ, & venerandorũ Eccleſiæ Patrũ teſtimonia, quempiam afficiant, (nam & hic optimus eſt docendi modus, teſte D.Auguſtino, vt paternorũ ſenſuum linea, plebis & cleri auribus innoteſcat) is quoque auctorum libros, & capita accuratiſsimè annotata videbit. Quin & eorum expletur voluntas, quibus non alia quã vtriuſque teſtamenti, ſunt grata argumẽta. Deniq; qui moralibus exhortationibus aut rationibus duci & informari cupiunt, nõ aliũ auctorem facilè inuenient, qui pari dexteritate Pa

te Patrum, & diuerſorum auctorum, enarratis ſententiis, ſuum deinde iudicium tam validis confirmatum argumẽtis, idque ea modeſtia interpornat, vt etiam nolentem, modò cõcedat rationibus locum, in ſententiam ſuam pertrahat. Singulis autem homiliis præfationes, Vt opus ipſum inſtar concionum coram populo habitarum, appareat, pro temporis & Euangeliorum conditione adieci, quibus, ſi fortaſſe pro ingenij mei tarditate, auctoris eruditioni minus reſpõdens, non quibuſuis ſatisfecero, ſummo tamen labore, conatum me eſſe, ingenuè fateor, vt videor ſaltem id ſingulari diligentia & cura præſtare voluiſſe: Adeo, vt ſperare etiam audeam, labores noſtros, benignis & candidis lectoribus non ingratos eſſe futuros: Zoilos, momos & obtrectatores nihil moramur, cum vnicum conſcientiæ & intẽtionis teſtimoniũ, hac in pte nos ſatis ſoletur.

Iam autem vetuſtiſsima & multis retro ſeculis obſeruata conſuetudine. Magnates atque Patroni, ſuſpicaci atque maleuolo hoc ſeculo diligendi nobis veniunt, quibus labores hoſce noſtros conſecremus. Quo quidem nomine, tu Reuerende & religioſe Pater, in publica dicendi paleſtra, in ſenilem hanc vſque ætatem multo tempore exercitatus imprimis nobis ſuſpiciendus & obſeruandus eras, qui viua voce, & præcellens Euangelica tuba, Euangelij ſemen in ampliſsima florentiſſimáque Eburonum Auguſta Leodio, pectoribus fidelis populi inſeris, vt te ſolo, adſpirante ad

id

id grátia. CHRISTI, auctore integrarit hūc vſque diem, ibidem ſit conſeruata religio: Facundia certè tua zelo & vitæ integritate ornata: vſque adeo: nō modò populus, & in eo Magnates, ſed & Clerus, qui apud vos inſignis & multus eſt, delectatur, vt cateruatim ad te pro concione orantem confluat, magnóque ap- p au[illegible] verba & paræneſes tuas excipiat. Quod quidem ſalutare i Eccleſia Chriſti docendi munus, dum abs multorum annorum interuallo, in extremos vitæ annos, non ſine multorum admiratione obis, tyrones etiam quandoque & ali[illegible]s futuros verbi præcones in Eccleſia ſticum theatrū adducis, eorūque conciones formāque docendi, velut emeritus ſenex iuxta ſuggeſtū ſedens, obſeruas, quos priuatis ſanctiſſimiſque colloquiis tuis informas & imbuis vt ſalutarē Euāgelicæ doctrinæ hæreditatem Eburonibus tuis poſt mortem relinquas. Accipe igitur religioſè multámque obſeruantiā colendiſſimè Pater, decēs te Epiſcopum meum & conueniens mihi, quem inūxiili clerico tuo munus. Accipe eius, qua te quouis tēpore colui, obſeruātiæ teſtificationē & conatus hoſce meos nominis tui ſplēdore illuſtra, Deus Optim. Maxim. te ordinis tui ornamentum ac decus, ac Leodienſis Eccleſiæ ædificationem, diu conſeruet, & tueatur incolumen. Coloniæ Agripp. Ex Muſæolo noſtro Georgiano 3. Calend. Septemb. Anno à Chriſto natuit. M.D.LXXVII.

DOMINICA I. ADVENTVS.

EVANGELIVM.

Mat. 22.

IN illo tempore, Cùm appropinquaſſet Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliueti, tunc Ieſus miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt: & ſtatim inuenietis aſinam alligatam & pullum cum ea: ſoluite & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite: quia Dominus his opus habet, & confeſtim dimittet eos. Hoc autem factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: ecce rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis. Euntes autem diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus. Et adduxerunt aſinam & pullum & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eſi deſuper cedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via. Alij autem ramos cædebant de arboribus, & ſternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes: Oſanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini: Oſanna in excelſis.

HABETIS, auditores, hodierni vaticinij atque Euangelij contextū quem priuſquam enarratione aliqua illuſtremus, paucula quædam de Eccleſiæ conſuetudine, & immutatis in ea cæremoniis pro huius loci & recepta à maioribus conſuetudine, præfari, operę pretium erit: Eáque de cauſa, bifariam huius diei doctrinam diſtribuemus. Vt primum de Eccleſiæ Matris inſtituto, quo vniuerſæ doctrinę chriſtianæ initium, hac præſenti auſpicatur dominica, paucis diſſeramus. Secundò, hiſtoricum Euangelij contextum

Universidad de Deusto
Biblioteca

& vaticinium Zachariæ Prophetæ, Dicite filiæ Syon, &c. paucis explicemus. Eius etenim causa iam recitatum Euangelium, hodierna die proponitur.

Quemadmodum Ecclesiæ Christi membra filij, ac fideles dispensatores Petrus, & Paulus, in nulla planè alia creatura, quæ sub cœlo est quàm in vnico Iesu Christo vero Deo ac homine, salutem esse quærendam, nihil se aliud nouisse, nihil se aliud docere profitentur: Ita & totum orbem diffusa mater Ecclesia, & verbo, & cæremonijs nil aliud, quàm Iesum Christum qui heri, & qui hodie, fideli populo proponit. Audistis siquidem superiore dominica, post S. Trinitatis festum postremam, qualis nam totius deinceps anni, & cærenoniarum Ecclesiasticarum epilogus fieret. Ex Ieremia nimirum: Ecce dies venient, dicit dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit &c. Ex Euangelio similiter: Hic est verè propheta, qui venturus est in mundum. Hodie itidem, quod fœlix, faustumque sit, vniuersæ doctrinæ initium, eiusmodi euangelicæ lectioni consecramus, in qua tam à Prophetis præcedentibus, quam à populo concomitanti & consequenti: Christo præclara sunt delata præconia. Quæso, deum immortalem, quodnam exordium aptius inchoare, quis item epilogus ecclesiasticam doctrinam aptius finire potuisset? Vnde manifestè conspici potest, ita distributam in Ecclesia tam doctrinam, quàm cultum externos ritus & cæremonias (in quibus nihil otiosum atque superfluum,) vt ex his plebs fidelis accuratissimè eruditur, in iis quæ ad fidei cognitionem, ad spei & charitatis exercitia pertinent. Hodierno itaque die à maioribus nostris accepimus, vt totius anni doctrinam iuxta seriem reparationis nostræ exordiamur quæ non à passione, non à natiuitate, aut resurrectione Domini, sed à promissionibus diuinis, patribus ab exordio mundi à Deo præstitis, initium sumpsit, ab expectatione & desiderio, quo ipsi anxiè admodum veri Mediatoris & redemptoris aduentum expectabant. Hoc itaque sacro aduentus tempore, quo officia ecclesiastica paulò ante Natalem Christi auspicamur, in memoriam Christiani reuocant, quis fuerit status mundi, quæ

quæ conditio fidelium omnium, ante, quàm Christus, veniret. Luctuosus nimirum, tristis, & lamentabilis, ob indignationem & iram diuinam: ob peccatum, mortem, & damnationem perpetuam, quę omnes euidenter manebat, nisi ope, & expectatione futuri Messiæ credentium animi erecti fuissent, Lugubri itaque habitu hoc tempore Ecclesia vtitur: torpent nuptiæ: à lætioribus in diuinis officiis canticis abstinet, Te Deum laudamus, Gloria in excelsis: organa, & similia lætitię indicia quiescũt. Dum itaque afflictum eorum statum perpendimus, qui ante sunt mortui, quàm salutari Christi Iesu præsentia consolarentur, nostram fœlicitatem intueamur qui Christi præsentia & aduentu consolati sumus, sublatisque in cœlum manibus gratias Deo agamus quod eam diuina fauente clementia, nobis inhabitare noniſsimam domum contigerit, cuius minor est quàm prioris gloria: In qua fructum ab exploratoribus ex terra Chanaan allatorum dulcedinem videre gustare, atque percipere licet, quod ei qui præcedens vuam ferebat, minus concedebatur. In qua lex nobis proponitur, non extrinsecus in tabulis lapideis, seu chartis papiraceis, sed diuinitus in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui dignus Dei appellatur, inscripta, atque adeo prope nihil aliud est quàm ipsa præsentia Spiritus sancti in qua per doctrinam Euangelicam & filij Dei aduentum, remissio peccatorum, interioris hominis renouatio credentibus annunciatur. Quod vt manifestum omnibus fiat, hodierni Euangelij enarrationem atque prophetiam auribus, animisque attentis percipiamus. Aggei 2. num.

Cùm appropinquassent Hierosolymis &c.] Ioannes Euangelista priusquam aselli super quem Dominus sedit, faciat mentionem, commemorat quomodo turba multa quæ conuenerat ad diem festum, processerit obuiam Iesu cum ramis palmarum, clamantes Osanna, &c. Quomodo autem inuenerit DOMINVS asellum, Ioannes non commemorauit, sed tantum dicit, Et inuenit Iesus asellum, quod illud diligenter reliqui Enangelistæ ante scripsissent, cùm ipse ferè prætermissa ab eis statuerit persequi. Porrò

Universidad de Deusto
Biblioteca

ro Matthæus pro asino Dominum misisse Apostolos dicit cum appropinquassent Hierosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliueti: Marcus verò cùm appropinquarent Hierosolymæ & Bethaniæ, aut, vt habent Græci, ad Hierusalem, ad Bethphage & Bethaniam: Lucas item, cùm appropinquasset ad Bethphage & Bethaniam. Proinde merito hic dubitari potest quomodo cùm M.. dicat discipulos missos à Domino cum venissent B.. phage, & ad montem oliuarum Marcus & Lucas dicãt d.. num hoc fecisse cum appropinquaret Bethaniam. Nam cùm venisset Bethphage & ad montem oliuarum, iam Bethaniam pertransierat, cum Bethphage & mons oliuarum vicinior fuerit ciuitati Hierusalem quàm Bethania in qua præcedenti nocte Dominus pernoctauerat. Dicendum itaque Marcum & Lucam dixisse Dominum cum mitteret discipulos, appropinquasse Bethaniæ non quod eam .. accederet, sed quod prope eam esset, non enim iam eam longè exierat, quomodo suprà diximus quosdam intelligere, quod Lucas dixit Dominum curasse cæcum, cùm appropinquasset Ierico, quorum sententia multum confirmari potest ex modo loquendi in præsenti loco. Aut dicendũ, quod Marcus & Lucas præposterè dicũt, cũ appropinquasset ad Bethphage & Bethaniam illúdque sic intelligendum, cum appropinquasset ad Bethaniam, & deinde appropinquasset ad Bethphage ad montem oliuarum. Erat autem Bethphage, villula in monte oliueti qui sabbati habebat iter à Hierusalem, vt dicitur Actuum primo, hoc est, distabat à Hierusalem mille passus, cùm Bethania 15. stadiis abesset, hoc est, duobus ferme millibus passuum. Hanc villulam D. Hieronymus sequutus Origenem dicit fuisse villulam sacerdotum, ac interpretati domum maxillarũ. Nam Pag. Chaldaicè maxillam significat, cùm Hebraicè significet ficus immaturas, hoc est grossos, vnde aliqui interpretantur domum grossorum & ficuum. Alij verò domum oris valiis quia Beth domus, Peos, Ge verò vallem significat. Cùm ergo iuxta hunc locum venisset Dominus ex quo sacerdotes Paschales victimas & alias (vt est verisimile) deducere in Hierusalem soliti erant. *Tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos*

est] Hos duos discipulos author secundæ expositionis in Matthæũ titulo Chrisostomi, dicit quẽdã (notãs verisimiliter ipsum Hilariũ) scripsisse, fuisse Petrũ & Philippum, argumento, tamen inualido, cũ verisimile magis sit, si liceat diuinare, hos duos fuisse Petrũ & Ioannem, quos & postea misit ad parandum agnum Paschalem, quãquam nihil aut perparũ referat scire qui fuerint nũc missi. Dixit autẽ eis: Ite in castellum quod cõtra vos .. Vbi notãdum, ꝙ quidam per castellũ hoc loco .. Hierusalem intelligunt, sic dictam à Domino .. ob murorum fortitudine, siue per despectum, quasi nõ mereretur vocari castrũ vel ciuitas, illúdque (quod cõtra vos est) sic quidã eorum interpretantur, vt significetur Hierusalem contrariam esse Apostolis, ꝙ eorum Dominũ conaretur occidere. Verùm sciendum, ꝙ castellum Græcis hic rursum esse, sicut frequenter superius, dictione κωμὴ, quæ vicum propriè significat & pagum, quæ proinde ineptè diceretur de Hierusalem. Verisimile autem Dñm demonstrasse vicum Bethphage, de quo dicit, contra vos est, hoc est, è regione vestri, & in conspectu vestro. Lucas enim non habet, contra vos, sed tantùm εἰς τὴν κατέναντι κώμην, idest, in vicum qui econtra & è regione est. Et apud Matthæum non est κατέναντι sed ἀπέναντι ὑμῶν, id est, ante vos & in conspectu vestro. Vnde patet malè intelligi, quod contra vos est, pro illo, quod est contrarium vobis: malè item intelligi per castellum, Hierusalem: quia à loco in quo erat Dominus non poterat prospici Hierusalem propter interpositum montem oliuarum, sic dictum quòd multis consitus esset oliuis, vnde & ἐλαιῶν ὄρος, hoc est, oliueti mons dicitur Actuum 1. Sequitur in verbis Domini. *Et statim inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea, soluite, & adducite mihi*] Præmittunt Marcus & Lucas: Et statim introeuntes illuc, hoc est, in ipso introitu, inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea, &c. Circa quæ primùm quæritur, cur Dominus, qui hactenus pedes circumambulauit per Galilæam & Iudæã, tam breue sui in Hierusalem itineris spatium absoluere voluit insidens iumentis, eisque tam noua ratione conquisitis? Neque enim sufficit dicere quod indicat Matthæus, illum ideo id voluisse vt impleretur Za-

Universidad de Deusto
Biblioteca

chariæ Prophetia. Nam quid est quod per Zachariam istud spiritus sanctus etiam prædicere voluit? Dicendum itaque, quòd præcipua huius facti Dominici causa fuit, vt antequam pateretur, specimen quoddam regni sui Dominus exhiberet, seséque efficacibus argumentis Messiam comprobaret expectatum, vt sic bonos in fide confirmaret, & mali non haberent quod inexcusationem prætexere possent. Sicut autem & alias semper in quæ circa Dominum contigerunt humilia magnificis coniuncta, ita & modo sic regiam suam dignitatem & magnificentiam ostendere voluit, vt tamen simul non desereret summam humilitatem & mansuetudinem conuenientem primo suo aduentui & regno suo spirituali. Regiæ itaque potentiæ fuit & magnificentiæ indicium, quòd ad solum iussum & necessitatis significationem, domini iumentorum cesserint ei vsum illorum, quod de pulis quos miserat prædixit istud ita euenturum, & illos mox vbi ingressi essent vicum, inuenturos iumenta, eáque alligata. Deinde quod iumento insidens vectus sit, cùm semper solitus fuerit pedes incedere, quódque tam concordibus animis, tantóque applausu & veneratione, ei à populo multo liberè acclamatum est, non obstantibus Pharisæorum prohibitionibus, quibus etiam pridem cautum erat ne quis illum confiteretur esse Christum, & acclamatum est non quibuslibet, verbis, sed scripturæ verbis multò antè de ipso prædictis. Postremò, quòd templum ingressus cæcos & claudos curauit, negotiantes eiecit, seséque atrocissimis suis hostibus formidabilem exhibuit. His enim cunctis declarauit omnia sibi cognita, & suæ potestati esse subiecta, omniúmque corda se habere in sua potestate, vt inclinare possit ea quo velit. At summæ humilitatis & plusquam plebeiæ fuit, quod alieno & accommodatitio iumento vsus est, quòd asello insedejit nihil minus quam regio vectore, quòd pauperum discipulorum vestimentis non aureis vestibus insederit, stiparus inermibus comitibus, qui pro hastis ac gladiis arborum ramusculos manibus gestabant. Quo vtique declarabat, aliam esse conditionem regni sui quàm regnorum huius mundi, se etsi à patre potestatem accepisset

pisset cui omnia cùm vellet cederent, tamen per humilitatem omnes velle ad se trahere, per eandem ingressurum se in gloriam suam, ac proinde etiam sectandam humilitatem omnibus his qui eiusdem regni ambirent esse consortes secum. Hunc autem in regiam ciuitatem Hierusalem introitum Domini, mirabiliter temperatum, & planè regia magnificentia ac pompa, & plebeia humilitate, conueniebat per Prophetam prædici à spiritu sancto, vt videntes Apostoli, omneséque Iudæi sacri Domini consentire Prophetæ vaticinium, mar[illegible] intelligerent ipsum quantumuis in mundo humile[illegible], vere esse expectatum Messiam, desinerentque expectare mundanam regni Messiæ gloriam: vnde Propheta velut signum quoddam præmonstrans, quod cum Iudæi viderent excitarentur ad agnoscendum suum regem, dicit per aduerbium demonstrandi: Ecce rex tuus venit, &c. Verùm cùm nihil sit prætermissum à Christo & spiritu sancto, per quod ad regis sui agnitionem perduci possent Iudæi, ipsi tamen occasione huius facti ad contrariũ prolapsi sunt, vt scilicet magis iam accenderentur ad occidendum illum, & occasionem agnoscendi Christum datam illis à Deo, sibi verterent in occasionem persequendi Christum. Vnde præter primam huius introitus Domini in Hierusalem causam iam tractatam, adiungi possunt & aliæ duæ, sed veluti secundariæ: quarum altera est, qua Dominus cupidus subeũdi pro omniũ salute mortem, præcognouit hac ratione Pharisæos & sacerdotes accendendos ad inferendã sibi mortem, non quo vellet illis persecutionis dare occasionem, sed quòd sciret illos iustè sibi telictos hinc persecutionis sumpturos occasionem, quorum impietate ad promouendam hominum salutem abuti voluit. Altera est, vt ad tempus ad blandiens, & accommodans se suorum affectibus, irrideret huius mundi gloriam, ostenderetque quàm sit inanis & infida, quum tantos applausus, tamque honorificas acclamationes, ac tantum populi studium mox secuta sit crux. Est autem & mystica huius facti Dominici causa, sed hæc postea in allegorica historiæ persecutione tractabitur. Omnino enim dubiũ non est quin hoc suo facto Dominus mysticũ aliquid designare voluerit, cum tam noua ratione sit peractum

Universidad de Deusto
Biblioteca

actum, vt tacita quędam parabola in eo videatur adumbrata. Porrò ratione & mysterio non caret etiam, quòd
Euod.12. quinta die ante Paschа, hoc est, decima die mensis primi Dominus hac magnifica pompa ingressus sit Hierusalē. Ea enim die præceptum fuit Israelitis, vt agnum Paschalem quisque in domum suam sumeret immolandum decimaquinta die. Itaque seipsum tunc Dominus in Hieru- [illegible] tulit, immolandus in ea ipsa die Paschæ in verum [illegible] Paschalem, per quem non à Pharaone & Ægypto [illegible] à diabolo & inferno fideles liberarentur. Deinde hac [illegible] velut victoriosus rex cum ramis palmarum ingredi voluit Hierusalem, quòd eadem die post septimanam expletam recurrente, deuicta morte gloriosè erat resurrecturus, ac regnum suum spirituale in cœlesti Hierusalem auspicaturus. Decima quoque dies mensis primi, insignis olim fuit, quòd in illa Iosue typum Christi etiam nomine similitudine præ se ferens cum toto Israelitico populo, transito Iordane ingressus sit promissam illis terram, vt scribitur Iosue 4. cum deinde 14. die solenne Pascha celebrauerit, vt scribitur cap. 5. Et hactenus de proposita prius quæstione satis. Supereſt altera circa hunc locum quæstio, ad concordiam pertinens Euangelistarum, quomodo scilicet. Matthæus duo iumenta, asinam scilicet & pullum, commemoret iussa à Domino afferri, eique allata, & super ea Dominum sedisse, cum reliqui tres solius pulli mentionem faciant. Procuius quæstionis solutione communiter dicitur, Dominum sedisse super vtrumque animal successiuè: tres tamen Euangelistas solius pulli meminisse, siue quòd eo Dominus pro maiori parte insederit, siue quòd pulli inequitatio ad mysterium vocationis gentium pertineat, quibus Græca lingua tres scripserunt Euangelistæ, cùm Matthæus Hebræa scripserit Hebræis. Verùm quoniam, vt habet diuus Hieronymus, & turpe fuit Dominum insidere asinæ, & impossibile vt in tam breui spacio diuersis insederit animalibus, verisimilior est aliorum, inter quos Euthymius, sententia, qui dicunt soli pullo Dominum insedisse, atque ob id tres Euangelistas illius solius fecisse mentionem: asinam tamen etiam simul adductam, sed Dominum pullo insedentem tantum

tum fuisse secutam, ideoque Matthæum exacta diligentia vtriusque meminisse iumenti. Huic tamen sententiæ videntur obstare quædam. Primùm, quod apud Matthæum iussi sunt discipuli dicere: Dominus his opus habet. Deinde, quòd apud eundem dicuntur discipuli, cùm adduxissent asinam & pullum, imposuisse super eos vestimenta sua, & Dominum desuper collocasse. Postremùm, quòd in testimonio Prophetæ, quod hoc [illegible] o Domini impletum dicitur à Matthæo, habeatur sedens super asinam & pullum filium subiugalis. [illegible] quorum primum dicit Euthymius, quòd vtroque iumento Domino fuit opus, sed pullo, vt super eum veheretur: asina verò, vt pullum sequeretur, causa significandi mysterij quod mox explicabitur. Ad secundum dupliciter responderi potest. Altero modo, vt illud, desuper, referatur non ad animalia, sed ad vestimenta, quomodo interpretatur Euthymius, qui pro eo quod nos habemus: & eum desuper sedere fecerunt habet, καὶ ἐκάθισαν ἐπάνω αὐτῶν, id est, sedit super ea vel eos. Nam αὐτῶν, ex sese est ambiguum. Sic & exemplar habet Complutense, nisi quòd pro simplici ἐκάθισεν, habet ἐπεκάθισεν. Est autem hæc lectio conuenientior, saltem quod attinet ad pronomen αὐτῶν, quàm vulgata lectio, quę habet ἐπεκάθισαν ἐπάνω αὐτῶν, id est, collocarunt super eam, nempe asinam. Quomodo enim Matthæus super solam asinam Dominum diceret collocatum, cùm reliqui super solum pullum commemorent sedisse? Altero modo dici potest Matthæum per synecdochen, vt & alias, dixisse Dominum collocatum pluraliter super animalia, quomodo etiam intelligi potest per synecdochen dictum esse: Dominus his opus habet. Pro responsione autem ad tertium, sciendum est in illo testimonio Prophetæ pro fœminino, asinam, vertendum potius videtur masculinum, asinum. Ita enim permittit & dictio Græca hic posita ὑπὸ, quæ tam asinum significat quam asinam, maximè cùm hic careat articulo, nec addatur, vt superius, articulus fœmininus & vocabulum quod est apud Septuaginta, nempe ὑποζύγιον, quod est subiugale. Et in Hebræa origine vocabulum quod his dictionibus correspondet, nempe hamor, asinum genere masculino vbique ferè significat, non asi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nam, quæ Hebræis dicitur Athon. Inuenitur tamen 1. Regum 19. nomẽ hhamor positum in genere fœminino, de quo vide Pagninum. Nam etiam illo loco D. Hieronymus vertit, asinum. Itaque si in citato Prophetæ vaticinio nomen [illegible] vertatur per asinum, & non per asinam, quod dicitur ascendens super asinum & pullum filium subiugalis: non diuisim est accipiendum, quasi super [illegible] animalia vicissim sedisse significatum sit, sed per [illegible] & pullum, coniunctim intelligendus ipse pullus, qu[illegible]s quidem fuit natura, pullus verò ætate. Figura enim est Prophetis familiarissima, qua idem mutatis vocibus geminant. Sanè in hunc modum explicat hoc testimonium Euthymius, & explicandum omnino videtur, si originalia inspiciãtur Hebræorum, & citatio Ioannis. Quod si dictionẽ ὄνος quis putet hoc loco potius vertendam per, asinam, vt diuersa significentur animalia, quemadmodum non improbabiliter videtur dicendum secundum intentionẽ Euangelistæ, qui cum dixisset ὄνον & πῶλον iussos adduci, subiicit id factum ad completionem vaticinij, in quo dicitur Messias sessurus super ὄνον & πῶλον: Nam dicendum quòd etiã per synecdochẽ illud sit intelligendum quod in vaticinio dicitur, quemadmodum quod idem Matthæus dicit Dominum illis opus habuisse, & Apostolos ipsum collocasse desuper. Videtur enim Matthæus, quoniam duo animalia adducta fuerunt ad Iesum, testimonium Prophetæ, quanquam non necessariò intelligẽdum esset de duobus animalibus, voluisse accommodare etiam ad vtrumque anima, & quoniam in eo dicitur rex Sion sedere super hoc & illud, ideo sermonem suum attemperando ad Propheræ vaticinium, dixisse Dominum sedisse super hæc animalia, quod per synecdochen intelligendum reliqui deinde Euangelistæ qui post eum scripserunt, satis indicauerunt His præmissis, sigillatim historiæ partes sunt pertractandæ. Itaque Dominus suam declarans omni scientiam, Apostolis suis prædicit in ipso mox introitu pagi inuenturos & asinam ligatam & pullum cum ea, eumque talem, super quem nullus hominum vnquam sederit: suam autẽ declarans omnipotentiam & supremum dominium, prædicit dominos iumentorum admonitos tantum de necessitate

necessitate sua, dimissuros ea. Et statim, inquit Matthæus dimittet eos. Circa quæ Matthæi verba notandum in plerisque Græcorum libris haberi ἀποστέλλει, id est, dimittit vel emittit, vt sint verba Euangelistæ significatis Dominum mox emisisse Apostolos duos. Verum cùm superius dixerit Euangelista Dominum misisse duos discipulos. & ob id frustra id iam repeteretur, magis legendum est ἀποστέλλει, quemadmodum legitur in Marco & [illegible] Matthæum legit noster interpres. Chrysosto[illegible] item & Theophylactus. Dupliciter tamen hæc le[illegible] intelligi potest. Aut vt significetur Apostolos iussos dicere, non tantùm quod Dominus his opus haberet, sed etiã quod Dominus mox eos remitteret, postquàm scilicet eis vsus fuisset, quomodo intelligit Euthymius. Aut vt significetur Dominum prædixisse Apostolis missis, quod dominus iumentorum cùm audisset illud: Dominus his opus habet: mox concessurus esset [illegible]menta adduci ad Dominum, quomodo omnino [illegible]et intelligendum patet ex Marco, qui in sequentibus narrans quomodo omnia euenerint quemadmodum Dominus prædixit, postquam dixisset Apostolos dixisse interrogantibus cur soluerent, id quod præceperat eos dicere Dominus, subiecit: Et dimiserunt eos, quanquam hic relatiuum non ad iumenta, sed ad Apostolos referendum sit vt sit sensus: & permiserunt Apostolos soluere & abducere iumenta. Græcè enim est ἀφῆκαν αὐτούς, id est, sinebant eos. Itaque cùm dicitur hic: & confestim dimittet eos: suppositum verbi, dimittet, est ipse interrogator, dominus scilicet iumentorum. Non est enim verum quod quidam hic asserũt de his iumentis, quòd scilicet fuerint animalia communia in vsus pauperum quorumlibet destinata. Nam Lucas aperte dicit dominos eorum fuisse qui interrogauerunt cur soluerent. Vnde intelligẽdum, cor eorum ita diuinitus audito nomine Domini, fuisse immutatum, vt non offensi simplicitate discipulorum sinerent animalia abduci. Notandum enim Apostolos non esse iussos dicere: Dominus noster his opus habet: sed absolutè & cũ articulo ὁ κύριος. Dominus his opus habet: quo suam saluator significauit diuinitatem, & supremum in omnes homines & creaturas dominium, cui cedere omnes

suum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſuum deberent dominium. Porrò quanquam in Matthæo legamus: Dominus his opus habet: In Marco, Domino neceſſarius eſt: In Luca, Dominus operam eius deſiderat & poſtea, Dominus eum neceſſarium habet: Græcè tamen eſt ſemper eodem modo, ὁ κύριος αὐτοῦ χρείαν ἔχει, id eſt, Dominus habet eius indigentiam: niſi quòd Matthæus pro αὐτοῦ habet αὐτῶν. Solus enim loquitur de aſina. Ne autem quis miretur quomodo ſuper pullum aſinus Dominus æquitare potuerit, ſciendum quòd dictio Hebraica quę ponitur in vaticinio Zachariæ Aiir, quam Latini & Græci pullum & πῶλον, ſolent reddere, non tam pullum, quam iuuencum aſinum idoneum iam equitationi ſignificat, vt præter alia loca patet ex capite Iud. 10. vbi dicuntur 30. filij Iair aſcendiſſe ſuper 30. pullos aſinarum. & cap. Iud. 12. vbi 40. filij Abdon, & 30. eius nepotes dicuntur aſcendiſſe ſuper 70. pullos aſinarũ. Quod autẽ pullum ſibi deſignauerit Dominus ſuper quem nullus hominum vnquam ſederat, ad literam quidem ita conueniebat regiæ eius dignitati, & ad poteſtatis eius factiebat commendationem, quod indomitum animal commodum ſe Domino ſeſſori præbuerit, ſed multo magis id factum eſt ob myſterium poſt explicandum.

Hoc autem factum eſt, vt ad impleretur.] Ne quis exiſtimaret ſubleuandi laboris aut attentandæ alicuius nouitatis cauſa dominum miſiſſe pro aſina & pullo, ſubiecit Euangeliſta Matthæus rationem facti Dominici: vt, inquit, adimpleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam. Propheta autem iſte, eſt Zacharias, ex cuius capite 9. Teſtimonium hoc deſumptum eſt, quanquam non ad verbum, ſiue ſpectes veritatem Hebraicam, ſiue verſionem Septuaginta. Quædam enim ſunt omiſſa, quędam mutata, ſed verbo tenus, ſenſu manente eodem. Hebræa namque ſic reddidit D. Hieronymus: Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalem. Ecce rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam & ſuper pullum filium aſinæ. Iuxta ſeptuaginta ſic legimus, χαῖρε σφόδρα θύγατερ Σιών, κήρυσσε θύγατερ Ἰερουσαλήμ· ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεται σοι δίκαιος καὶ σῴζων αὐτός, πραὺς καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὑποζύγιον καὶ πῶλον νέον, id eſt, Gaude vehementer

hementer filia Sion, prædica filia Hieruſalem. Ecce rex tuus veniet (vel venit) tibi iuſtus & ſaluans ipſe, manſuetus, & aſcendens ſuper ſubiugale & pullum nouum. Itaque omiſſum eſt illud, iuſtus & ſaluator vel ſaluans: quòd hoc non ita ſeruiret propoſito. Et pro illo, Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalem, hic ponitur, Dicite filiæ Sion: quod tamen Euangeliſta deſumpſiſſe videtur ex Iſaiæ cap. 62. vbi ſimilis eſt locus cum hoc Zachariæ. Sic enim ibi dicitur: Dicite filiæ Sion, Ecce ſaluator tuus venit, &c. Quod autem & hic & apud Septuaginta habeatur manſuetus, cùm Hebræa ſecundum verſionem Hieronymi habeant, pauper, hic prouenit quòd Hebræi habeant Aui, quæ dictio ſi per Iod ſcribatur, pauperem, humilem & afflictum ſignificat: ſi per Vau, manſuetum. Nihil autem eſt in re diuerſitatis vtrouis modo legatur & vertatur, quia paupertati maximè ſpiritus, ſemper coniuncta eſt animi manſuetudo. Paupertatem autem & mãſuetudinem ſimul oſtendit Dominus, dum in regia ſua pompa aſello vehi elegit. Quòd autem Hebræa habent, veniet, cùm hic legamus, venit, ſciendum eſt Græcè hic eſſe, quemadmodum apud Septuaginta, ἔρχεται, quod etiam per futurum verti, poteſt, veniet, cùm vtriuſque tẽporis habeat ſignificationem. Cæterum Ioannes pluribus omiſſis, & quibuſdam etiam mutatis, citat hoc teſtimonium ſic: Noli timere filia Sion. Ecce rex tuus venit, ſedens ſuper pullum aſinæ. Pro eo enim quod habent Hebræa: Exulta filia Sion, ipſe poſuit quod ſecundum ſenſum idem eſt. Noli timere filia Sion. Significatur enim à Propheta, filiam Sion meritò gaudere debere, quod iamdudum expectatus ipſius rex veniret, & veniret ad ſaluandum, neque cum terrore venerit, ſed cum omni manſuetudine, vtputa inſidens aſello, & ob id non eſſe cur amplius metuat vel antiquos ſuos hoſtes a quibus iam eſt liberanda, vel ipſummet regem ſuum, qui cum tanta manſuetudinis oſtenſione ſe illi exhibet, formidoloſus futurus & durus non filiæ Sion, ſed hoſtibus eius dæmonibus, idolis, & omnibus impiis. Porrò per filiam Sion vel filiam Hieruſalem, Hebraica phraſi ſignificatur ad literam congregatio ciuium Hieroſolymitanorũ, quemadmodum Pſal. quadrageſimoquarto filia Tyri,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ita Tyri, pro ciuibus & inhabitatoribus Tyri, & Psal. 136. filia Babylonis pro ciuibus Babylonis. Filiæ autem Sion & filiæ Hierusalem peculiariter denunciatur aduentus huius regis, quòd Sion arx esset regia & sedes regni Dauidici, in quo successurus expectabatur Messias, proinde sub nomine filiæ Sion ad literam etiam comprehenduntur omnes Israelitæ regnum Dauidis agnoscentes. Secundum spiritualem autem & præcipuum sensum sermo [illegible] de Sion & Hierusalem spirituali, Christiana scilicet [illegible] in qua Christus verus Dauid regnat, tãquam iustus rex, populum suum asserens è manu opprimentium eum, tanquam mansuetus, blande illum suscipiens, ac peccata illi remittens.

Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Iesus.] Omnia euenerunt quemadmodum Dominus prædixit. Nam & mox in ingressu inuenerunt iumenta, eáque quemadmodum prædictum erat, ligata. (Inuenerunt enim, inquit Marcus, pullum ligatum ante ianuam foris in biuio, qua narratione significat quàm facilè pullum inuenire potuerint, vt non fuerit opus illum diu quærere, & simul id dictum est multo magis ob mysterium post explicandum.) Et respondentes quæ iussi erant dicere, permissi sunt iumẽta ducere ad Iesum. Quæ cum adduxissent, quò Dominus & commodius & honorificentius sederet, *Imposuerunt (inquit Matthæus) super eos vestimenta sua,*] exteriora scilicet quæ pallia dicuntur. cùm Græcè sit ἱμάτια. Super eos pluraliter imposita dicit vestimenta, siue quia super vtrumque animal posuerint Apostoli, ignorantes super quo sedere eligeret: siue etiam per synecdochen quomodo quod sequitur apud eundem: *Et cum desuper sedere fecerunt*] Sunt qui in Matthæo legunt: & imposuerunt super eum vestimenta sua, vt etiam in Matthæo apertè significatur Dominum tantum insedisse pullo, sed hæc lectio non conuenit cum Græcis, nec cum correctioribus codicibus Latinis. Hoc honore cum ab Apostolis suis Dominus affectus erat, sequuta etiam est turbarum pietas & reuerentia multiplex. *Plurima autẽ turba strauerunt vestimenta sua &c.*] multa turba honoris causa partim illum è Bethania, quo pridie multi conuenerant, secuta est: partim è Hierusalem obuiã venit cũ audissent

audissent de aduentu Domini, vt habet Ioãnes. Secũdo, honoris causa plurima turba imitantes & superantes Apostolorum deuotionem, substernebant vestimenta sua in via, alij ramos & frondes de arboribus oliuarũ, scilicet & palmarum, quarum copia erat in monte oliueti, sternebant in via: alij ramos palmarum, vt habet Ioannes, deferebant manibus, & lætitiam animi sui hac ratione protestantes, & victoriosum regem ipsum facto [illegible] tentes. Palma enim etiam apud Romanos & [illegible] cos in victoriæ signum præferri & dari solet. Apud [illegible] dæos autem, quò minus eorum præsens factum miremur, peculiare erat in publicis & solennibus gaudiis palmarum ramos manibus gestare. Ita enim vt facerent lætitiæ causa, in festo tabernaculorum præceptum fuit eis in lege Leuit. 23. Quem morem deinde & alias in solenni lætitia seruauerunt. Nam vt scribitur 2. Machab. 10. in purificatione tẽpli facta sub Iuda Machabeo, in signũ lætitiæ thyrsos & ramos virides & palmas preferebãt ei qui prosperauit mundare locum suum. Et 1. Machab. 13. dicitur quomodo mundata arce in Hierusalem à Simone, ingressi sunt eam cum laude & ramis palmarum, & cymbalis, & nablis, & hymnis, & canticis, quia contritus erat inimicus magnus ex Israel. Itaque & nunc Iudæi pro more præferebant ramos palmarum: at spiritus sanctus, qui proculdubio ad hæc mouebat eorum corda, significauit per eos victoriam Christi quam de diabolo & morte mox erat reportaturus. Tertiò, hoc honore affectus est à turba Dominus, quòd eius virtutes, id est, miracula deprædicauerint, & præcipuè miraculum resuscitati Lazari, vt habet Ioannes, quodque ei faustis acclamationibus & bene fiut precati & congratulati. Cùm enim, vt habet Lucas, appropinquaret Dominus ad descensum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ discentium gaudentes laudare Deum, &cæt. Discentium enim legendum esse, & non descendentium, non tantùm Græca docent, quæ habent μαθητῶν, id est, discipulorum, sed etiam antiqui codices scripti, vt testatur Erasmus. Non solum autem Deum laudabant, sed etiam tum præcedentes, tum sequentes concordibus animis Christo acclamabant, dicentes: *Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid sit Osanna. *nomine Domini, Osanna in excelsis.*] De vocabulo, Osanna varij multa scripserunt, multi etiam, vt habet D. Hieronymus in epistola quadam ad Damasum: super hoc sermone diuersa finxerunt, inter quos eo loco D. Hieronymus profert Hilarium, vt qui in commentariis Matthæi, dicit Osanna significare redemptionem domus Dauid, cum in hac dictione manifestè nihil significet, [illegible]um, quæ Hebræis dicitur Beth: vel Dauidem, [illegible] Dauid ipsum sit Hebraicum. Secutus est D. Hilarium [illegible]brosius, scribens in Lucæ cap. 19. Non tamen tam [illegible]anus error imponendus videtur Hilario aut Ambrosio, quàm his ob hanc sententiam imponitur à Hieronymo aut aliis. Neque enim crediderim D. Hilarium aut Ambrosium existimasse omnia hæc comprehensa in significatione vocabuli Osanna, redemptio domus Dauid, sed credidisse ea dictione significatam redemptionem: adiecisse autem causa explicationis, domus Dauid, vt indicarent quam redemptionem petiuerint qui clamauerunt Osanna. In eo autem quod redemptionem per Osanna significatam dicit Hilarius, secutus meritò videri potest Origenem, qui in Matthæum scribens homil. 20. per Osanna restitutionem significatam interpretatur, non quòd osanna propriè idem sit quod restitutio vel redemptio, cum sit non nomen sed verbum Hebraicum, vt post dicetur: sed quemadmodum dicimus verbum, amare, significare amorem, ita Osanna rectè dicitur significare salutem & redemptionem. Et omnino fieri potest quòd Hilarius aut alius quispiam interrogauerit aliquem Hebræum quid significare voluerint aut petere qui Domino nostro acclamauerunt Osanna, illeque dixerit quemadmodum rectè dici potuit, eos huiusmodi acclamatione petiisse redemptionem domus Dauid, non tam vocabuli vim explicare volens, quàm intentionem eorum qui tunc eo fuerunt vsi. Hanc pro Hilarij sententia excusationem multum adiuuant eius verba. Sic enim habet super Matthæum: Laudationis verba redemptionis in eo exprimunt potestatem. Nam Osanna Hebraico sermone significatur redemptio domus Dauid. Non est enim in Hilario, significat, quemadmodum citatur apud Hieronymum, sed significatur. Eandem excusationem adiuuant

adiuuant verba Ambrosij sic scribentis: Turba igitur agnouit Deum, regem appellat, prophetiam repetit. Osanna filio Dauid, hoc est, redemptorē domus Dauid, expectatum quoque secundum carnē Dauid filium venisse declarant. Non enim dicit vocabulum osanna significare redemptorē domus Dauid, sed eos qui hoc dixerūt declarare iam venisse redemptorē domus Dauid, id quod verè sic fuit. Sic enim & Hieronymus in Matthæum hoc loco scribens Hebraicum Osanna di[illegible]gnificare, quòd aduētus Christi mūdi sit salu[illegible] Hieronymus in prædicta epistola, deinde dicit q[illegible]sdā opinatos osanna significare gloriam; alios etiam qui gratiā interpretati sunt. Chrysostomus sanè videri potest intelexisse hac voce significari gloriam, qui postea tractans illud quod pueris clamātibus Osanna in templo dixerunt Pharisæi: Audis quid isti dicunt: subiecit: Atqui Christo potius hæc verba conueniebant, qui cùm infantes sibi hymnum decantarent, di[illegible]re potuisset: non auditis quid isti dicunt? Vnde Theophilact. & Euthymius dicunt quosdam per Osanna intelligere hymnum siue laudem. Et in secunda expositione Chrysostomi super Matthæum hom. 37. dicitur Osanna quosdā interpretari gloriam, alios redemptionem. Et sanè quędā sunt coniecturæ non paruæ, quibus in speciē probabiliter videatur dici posse Osanna vtrūque significare, videlicet laudem, vel gloriam, & gratiā. Primùm enim Osanna apud omnes Euangelistās qui hoc vocabulum posuerūt scribitur per duas dictiones ὡσ ἀννὰ, os anna. Dictio autē, ὡσ, si Hebraicè scribatur per Aiin & Zaiin Os significare potest, satis laudem. Sic enim eam verterunt Septuaginta, & item Hieronymus in illo Psalmo, quod postea occasione acclamati Osanna citatur à Domino. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Hic enim pro, laudē Hebraicè est Os. anna autē, si Hebraicè scribatur per aspirationem Heth hhanna, certissimè & propriè significat gratiam: at aspiratio hæc frequenter à Græcis reiicitur, vt factum est in nomine, Ioannes, & in proprio nomine, Anna. Deinde Lucas, qui solus nomen Osanna non posuit pro eo quod habent Matthæus & Marcus: Osanna in altissimis: veluti volens eos interpretari sic

habet pax in cœlo & gloria in excelsis. Pax autem non multum differt à gratia, vnde pacem gratiæ semper coniungit Apostolus. Postremùm Phariſæis mirantibus quod pueri clamarent, Osanna filio Dauid: Dominus subiecit, Nunquam legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem: ergo Osanna laudem omnino videtur significare, videturque illud ὡς quasi esse dicũtur, esse illud quod in eo testimonio scribi- per Aiin & Zain. Alioqui enim non aper- sæorum admirationẽ citata videtur scrip- ritas. At his quãtumlibet in ſpeciem probabilibus coniecturis non obstantibus, certa nimis est recepta iam D. Hieronymi de vocabulo Osanna sententia qua plusquam probabiliter creditur istud Osanna desumptum esse ex Psal. 117. ex quo desumptum est quod sequitur: Benedictus qui venit in nomine Domini. In eo enim Psalmo pro eo quod ante hæc verba nos legimus. O Domine saluum fac, male enim quidã legunt, ô Domine saluũ me fac) ô Domine bene prosperare, in Hebræo legitur, Anna adonai Osianna, Anna adonai Hatzelthanna. Vbi notandũ quod Osianna, apud Hebræos sit duæ dictiones Oschia & Na. Duæ tamen iste dictiones velut vna dictio pronunciantur, ita vt vltima vocalis verbi cũ sequẽti pronuncietur non dageſſato, & dicatur Osianna pro Osiah anna. Nam na bis positum in fine verborum duorum, pro Anna positum est, quod item bis hic ponitur, sed in principio, quãquam sint qui na hic non pro Anna positum putent, sed significare idem quod nunc, vt sit sensus, O Domine saluifica nunc, O Domine prosperare nunc. Itaque quoniam duæ hæ dictiones Hosiah & na coniunctim pronunciãtur (ex qua pronunciatione duplicatur litera n.) hinc D. Hieronymus Hosianna vnum esse verbum dicit cõpositũ ex duobus, quorum vnum, nempe Hosiah, cùm sit imperatiuus tertiæ coniugationis Hebræorũ, significat, Saluũ fac, vel saluifica: alterum nẽpe Na vel Anna, interiectio est obsecrantis, æquiualeus nostræ interiectioni ô, & sicut & Græcis ὦ nõnunquam est obsecrantis, & proinde Osianna idem est quod ô saluum fac, aut saluifica quæso. Corruptè autem putat D. Hieronymus & à Græcis,

eis, & à nobis dici per elisionem vocalis i, Osanna vel Osianna, tribuitque huiusmodi corruptionem ignorantiæ. Verum sciendum est in imperatiuo tertiæ coniugationis, non tantum dici Hosciagh, sed etiam Hoscagh, vt habetur præter alia Psalm. 85. Hosa ascheda, id est, saluum fac seruum tuum, vnde tam rectè dicere potuerunt, & nunc dicitur, Osanna quàm Osianna, vt à quibusdam nunc est diligenter annotatum. Quod aut- nunc in Græcorum libris per duas dictiones l -ut ὡσαννὰ. vitio scriptorum accidisse videtur, cum heophylactum & Euthimium satis constet per -nam legisse dictionem. Dicunt enim Osanna Hebraicum esse & significare secundum quosdam, hymnum vel laudem, vt quod dicit in Matthæo, Osanna filio Dauid, tantundem sit ac si dicatur, Hymnus filio Dauid, Interpretem sanè nostrum legisse per vnam dictionem ὡσαννὰ, omnino videtur, cùm in omnibus Latinorum codicibus inueniatur vnica dictione, Osar a. Ex his autem etiam patet dictionis huius Hebraicę significationem ex parte tantum & non plenè assecutum Diuum Augustinum, quanquam Diui Hieronymi sententiam vel legisse, vel ab aliis audisse videatur Nam & in commentariis super Ioannem, & libr. 1. de Doctrina Christiana, cap. 11. existimat Osanna interiectionem esse lętantis aut obsecrantis. Nam in de Doctrina Christiana, lætantis dicit esse interiectionem, sicut racha indignantis, super Ioannem verò obsecrantis. Vox, inquit, obsecrantis est Osanna, sicut nonnulli dicunt qui Hebręam linguam nouerunt, magis affectum indicans, quam rem aliquam significans, sicut sunt in lingua Latina quæ interiectiones vocant: velut cùm dolentes dicimus Heu, vel cùm delectamur, Vah dicimus, vel cùm miramur, dicimus O rem magnam. Tunc enim ô nihil significat, nisi miran- tis affectum. Quod ideo credendum est ita esse, quia neq; Græcus, neq; Latinus illud interpretari potuit, sicut illud. Qui dixerit fratri suo racha. Nã & hoc interiectio esse perhibetur, affectum indignantis ostendens. Hæc ille. Totam ergo dictionem interiectionem esse putat lætantis & obsecrantis, cum pars tantum eius, anna vel na sit interiectio, & reliqua eius pars præcipua, Osa sit ver-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bum, significans serua aut saluifica. Et hæc quidem de vera ipsius vocabuli Osanna & significatione, & pronunciatione, atque scriptura. Superest vt etiam aliquid de ipsius apud Hebræos vsu annoremus, qui pluribus ignotus est, & tamen cognitus indicabit rationem qua factum est vt Iudæi iam Christo acclamarint Osanna, & quare potius Osánna quàm Osianna, vt est in Psalm. [illegible] acclamauerint. Sciendum itaque quòd Oschanna, familiaris est acclamatio, quæ in festo Taber nacu[illegible] quotidie canitur ab eis frõdes & ramos gerentibus, [illegible]mentibus similiter litaniis nostris. Primùm enim recenſetur ingens aceruus nominum Dei, & ad singula succinitur Osanna, ad hunc modum: Propter te Deum deorum, Osanna, Propter te Dominum Dominorum, Osanna, &c. Deinde recenſetur magnus acerus eorum quæ Deo attribuuntur, vt: Propter veritatem tuam, Osanna, propter testamentum tuũ, Osanna, &c. Post hæc enume[illegible] magna cõgeries earum rerum quas saluari cupiunt, vt templum electum, Osanna: montem Moria, Osanna, &cæt. Tum redeunt ad ἀντανακλάσεις Dei, vt, Domine Saluator, Osanna redemptor & Saluator, Osanna, &c. tum iterum ad varias res, & seipsos variis appellationibus ornatos, vt finis nullus futurus videatur. Tandem mutatur forma cantionis ad hunc modum: Quæso redime furculum plãtationis tuę cui succinitur, & Osanna. Quæso respice ad fœdus annuli tui, & Osanna, &c. Pòst iterũ mutatur ad hunc modum: Sicut saluasti fortes in Ægypto populum tuum cum exires in salutem, ita Osanna, &c. Postremò reditur ad primã formam, nisi quòd membra sunt longiora, idque ad hũc modum: Propter integrum in generationibus suis, liberatum ob multitudinem iustitiarum suarum ereptum ab inundatione veniente diluuio: & succinitur: Osanna & Osanna, quia pater noster tu es. Et hæc succentiuncula aliquanto pòst iterum augetur ad hunc modum: Osanna, & Osanna, & hatzlihanna, id est, prosperare quæso. Deniq; nullas est neq; mod⁹ neq; finis, sed omnia cõcrepãt, perstrepũt, & roboant: Osanna maximè septimo eius festi die. Et quanquam facilè credendum sit, multa à recẽtioribus adiecta esse, præsertim cùm

cùm aliter ab Italis, aliter à Germanis obseruari dicatur: tamen tempore Christi iam tum in vsu fuisse verisimile est. Itaque quod in festo Tabernaculorũ Iudæi ex more facere solebant, vt palmarum ramos gestantes acclamarent Osanna, ad hoc iam extra tempus spiritu Dei concitabantur. Qui primum frondes in honorem præferre, & substernere illi admonuit, deinde frondiũ occasione, in Osanna prorumpere eos impulit, adu[illegible]os in eis quod de ipso longè ante per Dauidem [illegible] prophetatum & in ipso Dauide, cum in regẽ à [illegible] populo susciperetur, in figuram Messiæ prius gestum, vt est verisimile. Nam Psalmus ille rectè ad literam ad Dauidẽ intelligitur pertinere, sed secundum præcipuum sensum ad Messiam, cuius Dauid per omnia penè fuit typus, situt & Psalmus 19. quo regi suo fausta precantur, dicentes: Domine saluum fac regem: vbi pro saluum fac, etiã est Hosiah, quamuis non addatur ibi na. Ex his licet etiam intelligere causam ob quã Euangelistę ipsam Hebraicam dictionem non versam nobis reliqueruut, nẽpe nõ tam quòd eam in Græcum sermonẽ transferre non potuerint commodè, (quam causam adferant D. Hieronymus & Augustinus, cùm ea dictio in Psalmis à Septuaginta & aliis interpretibus satis sit Græcè explicata) quam quòd sit familiaris Hebręis acclamatio, quę ad modum apud Græcos Io Pean, & apud Italos Io triumphe, quod acclamatur in triumphis & re fœliciter gesta. Sic & Halleluia seruatum est ab Hebręis, cùm nihil sit aliud quàm laudate Dominũ, quòd peculiaris sit ea vox, Hebræis ad prouocandum sese in laudẽ Dei. Cęterum animaduertendum quòd Osanna non simpliciter sit dictio precatoria secundũ vsum Hebræorum sed talis qua cum gaudio mentis & gratiarum actione ob beneficia à Deo præstita, petitur conseruatio & prosperitas acceptorũ bonorum. Vnde in Psalmo, vnde Osanna desumptum est ante versiculum illum in quo ponitur Osianna, præcedit: Hæc est dies quam fecit Dominus exultemus & lætemur in ea: ac deinde velut exultationis & lætitiæ vox subiicitur: O Domine saluum fac ó Domine bene prosperare. Proinde mirum esse nõ debet quòd Pharisæis indignãtib⁹ quòd in tẽplo pueri Christo

Psal. 117.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psalm.8. acclamarent Osanna, obiecerit illud Psalmi: Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem quodq; Lucas Græci sermonis eruditissimus atq; ab Hebræis dictionibus studiosè abstinens, ne id poneret quod legenti faceret quæstionem: pro, Osanna in excelsis, posuerit. Pax in [illegible]lo, & gloria in excelsis, affectum scilicet eorum expri[illegible] qui Osanna acclamabãt, non aut exactè vocabuli [illegible]onẽ. Decantantes enim suum Osanna sic pre[illegible]usta, vt simul etiam Deum laudarent pro dato diuinit[illegible]rege iamdiu expectato, quãquam verisimile sit Lucam cum posuit illud gloria in excelsis: non respexisse ad decantatum Osanna, sed omissa pœnitus acclamatione illa, ea posuisse quæ erant ab aliis prætermissa, vt in multa illa turba variæ diuersorum potuerũt esse voces, ideoque lubentius ea posuisse, quòd hæc acclamatio similis fuerit h[illegible]no illi Angelico, in Natiuitate Christi à se descri[illegible]*o Dauid*] Hactenus quidẽ de Osanna, restat vt & reliqua acclamationis prosequamur. Et imprimis quidẽ videndũ, quò referendus sit datiuus, filio Dauid, nã durè & obscurè dictũ videtur. Osanna filio Damid, Itaq; Euthymius sensum esse putat, Hymnus sit filio Dauid, quia Osanna putat significare laudẽ: sed hæc sententia satis in superioribus refellitur. Aliqui quo effugiant obscuritatẽ, legunt pro filio, ô fili, vt fit sensus: O fili Dauid salua nos. At cũ certũ sit tũ ex Græcis, tum ex emendatis Latinis legendũ esse datiuũ: filio plerique hunc datiuum referunt ad verbum, dicentes, vt sit sensus clamabãt dicentes filio Dauid, Osanna: aut subaudiunt verbum, dicimus, in hunc modum, Osanna, dicimus tibi filio Dauid, intelligentes scilicet etiã turbam periisse à Christo saluari. At hæ interpretationes ex ignoratia linguæ Hebraicæ proueniunt, cuius hæc est proprietas, vt verbum Hoschiaegh, & alia verba transitiua, non tantùm construantur cum propria nota accusatiui sed etiam cum Lamed, quæ propriè est nota datiui, siue quòd hæc litera etiã sit nonnunquã nota accusatiui, siue quòd verba habeant diuersam constructionem. Cum datiuo, hoc est, cum Lamed verbum istud Hosiah construitur Iudicum 7. versu. 2. vbi pro eo quod nos habemus: Meis viribus liberatus sum, Hebraicè est, Iadi

Iadi Hosiah, li, hoc est, Manus mea saluauit me, vel salutem attulit mihi. Sic & 2. Regum. 10. versu 11. & aliis locis. Itaque & quod hic dicitur, Osanna filio Dauid, perinde est ac si per accusatiuum dictum fuisset, τὸν υἱὸν id est, filium Dauid, & sensus est: Saluum fac quæsumus filium Dauid, aut salutem adfer filio Dauid. non ergo his verbis sibi à Christo salutem precantur, sed gaudentes se iam accepisse quem expectauerunt Messiam, eumque cum gaudio in regem suum suscipientes, precari illi à Deo contingere salutem & omnem fœlicitatem ac prosperitatem, vt sub illo & per illũ etiã ipsi [illegible]ut sint & fœlices viuant, ab omni hostium tyrannide, qua premebantur, liberati. Vocant autem eum filium Dauid, sed cum articulo, significantes se agnoscere ipsum esse expectatum Messiam, quem, vt supra dictum est, periphrasi hac notare solebant. Sequitur: *Benedictus qui venit in nomine Domini.*] Vbi pro benedictus, Græcis non est εὐλογητός, quemadmodum Erasmus in Annotationibus in Matthæum declarat se legisse, sed apud omnes Euangelistas est participiũ εὐλογημένος, sicut & apud Septuaginta. Non est ergo sensus: Laudãdus est ab omnibus is qui venit in nomine Domini, qui esset sensus si Græca haberent εὐλογητός, sed omnino precatoriè videtur hæc oratio intelligenda, vt subintelligatur, sit, quemadmodum & in eo quod sequitur apud solum Marcum, Benedictum quod venit regnũ patris nostri Dauid. vt sit sensus Benedictus sit qui venit, & Benedictum sit quod venit regnum. Iam quamquam intelligi posset eos imprecatos Christo benedictionem hominum, vt sit sensus, Benedictus sit qui venit, hoc est, laudetur ab omnibus, & benedicatur, ac glorificetur, potius tamen intelligẽdum eos benedictionem diuinam imprecatos, vt sit sensus, Sit benedictus à Deo, Deus illi benefaciat, prosperet & secundet regnum ipsius, vt per eum & nos simus benedicti, quemadmodum & in hoc quod sequitur, Benedictum quod venit regnum, precari voluerunt regno Messiæ benedictionem diuinam. Nam sensus est, Dei benedictione fœlix sit & faustum veniens nunc regnum Dauidis. Itaq; hæc acclamatio, Benedictus qui venit, similis est illi qua regi dum inauguratur populus acclamare

dolet, Viuat rex, Viuat rex. Porrò notandum, quod cùm dicitur, Qui venit: verbum, venit, non sit præteriti temporis, sed præsentis, cùm Græcis sit ὁ ἐρχόμενος, id est, veniens quanquam & per futurum verti posset, venturus vel qui venturus erat, hoc est, qui iamdudum expectatus est à nobis venturus. Verùm Hebræa dictio, Habba, exigit tempus præsens. Ex quibus patet, quòd cum in Canonico trisagio, quod inter Missarium solennia decantatur, partim ex laude Angelica quæ habetur Isaiæ 6. Tr[illegible] gloriam commendante, partim ex hac plebis acclam[illegible]one, humanitatis assumptæ dispensationem commendante, etiam nos ad imitationem huius plebis accinimus, Osanna & quæ sequuntur, alio sensu hæc accinere nos intelligendum est, quàm quo isti modo acclamauerunt. Siquidem per Osanna non Christo, sed nobis per Christum, & propter Christū salutem precamur, & dicentes, Benedictus qui venit, &c. optamus vt ab omnibus benedic[illegible] & laudetur is qui olim venit in hunc mundum propt[illegible]os, vt verbum, venit, iam intelligatur esse præteriti temporis. Aut potius significamus Christum omni benedictione spirituali plenum esse, & ob id nos petere vt per illum saluemur, accipientes de plenitudine benedictionum eius. In nomine autem Domini venisse dicitur Christus, quia missus à Deo venit, quomodo supra dixit: Ego veni in nomine patris mei, & nō accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Dicunt autem venisse regnum Dauid, quia promissum illis fuit, per Messiam tanquam filium Dauidis restituendum regnum Dauidis, quod proinde terrenum fore credebant, cùm sit spirituale. Et hic quoque Græci codices adiiciunt: in nomine Domini: Benedictum quod venit regnum in nomine Domini: hoc est, quod venit nobis à Deo, aut fauente Deo. At durior est hæc locutio, durè. Item iam sequitur: patris nostri Dauid: vt videri possit adiectitium. Sicut autem omnino optatiuè videntur accipiendæ prædictæ sententiæ: Benedictus qui venit, &c. & Benedictum quod venit, &c. ita & quod habet solis Lucas, Pax in cœlo & gloria in excelsis: vt & hic subintelligatur verbum, sit, non verbum est. Cùm autem semper sit & fuerit summa pax in cœlo,

cœlo, illud: pax in cœlo: sic videtur accipiendum sit nobis & regi nostro, pax in cœlo, aut sit Deo in cœlo pax nobiscum, hoc est, qui hactenus Deum sensimus nobis offensum & iratum, iam experiamur eum cum omnibus cœlestibus nobis pacatū & propitiū. Et gloria sit in excelsis, hoc est, glorificetur & laudetur Deus pro effusa ipsius in nos benignitate, ab Angelis suis in cœlestibus. His autē spiritus sanctus, qui vt hæc canerent illis [illegible] gerebat, significauit per Messiam etiam cœlestia [illegible]-canda terrestribus, & tollendam inimicitiar[illegible] quæ erat in cœlo contra homines, propter quod Paulus Christū dicit pacificasse omnia quæ in cœlis & quæ in terris sunt. Et Apocal. 12. dicitur, quòd filio hominis rapto ad thronum Dei, factum est prelium magnum in cœlo, Michaele cum Angelis suis repugnante cōtra draconē, quo eiecto cantatum est: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quo significatur quod per Christi ascensio[illegible]n & exhibitionem illius pro nobis ante conspectum Dei, deletum sit chirographum delicti quod erat contrarium nobis, & quo diabolus in cœlo erga nos iram Dei eatenus protraxerat. Ita & per illud, gloria in excelsis, figuificauit, ob reconciliationem humani generis. Angelos gaudentes Deum laudaturos, cuius gratia & benignitas mirè in illa reconciliatione est declarata. Rursum autem, vt est apud Matthæum & Marcū, repetunt pro familiari suo more, Osanna, & adiicitur: in excelsis vel in altissimis, vbi ἐν τοῖς ὑψίστοις, videtur positū pro ὁ ἐν τοῖς ὑψίστοις, id est, qui es in altissimis, vt sit sensus: Saluum fac quæso tu qui es In excelsis, quemadmodum Psalm. 148. cùm dicitur: Laudate Dominū de cœlis, laudate eū in excelsis, ἐν τοῖς ὑψίστοις, positū est pro ὁ ἐν τοῖς ὑψίστοις, id est, qui estis in excelsis. Sensus enim est: Laudate Dominum vos qui estis in excelsis. Quemadmodū ergo Hebraicè ibi dicitur, Halleluia bammeromim: ita nūc dictum est, Osanna bammeromim. Porrò qui per acclamationem Osanna intelligunt populum sibi à Christo precatos salutem, hāc orationem sic intelligunt: Salua nos quæsumus in excelsis, hoc est, salute cœlesti & æterna nos dona: qui sensus probè conuenit nobis, dum in Cantico trisagio &

Apo. 12.

Psal. 148

nos dicimus, Osanna in excelsis. Illos autem per Osanna precatos à Deo salutem regi suo nono, patuit in præcedentibus: secundum quam tamen intelligentiam etiam similiter accipi potest. Osanna in excelsis, vt sit sensus, O Domine salua regem nostrũ, & per illum nos non tantùm in terris, sed etiam in excelsis, vt scilicet saluam precamur, ad cœlos etiam vsque pertingat. Sensus conuenit illi quod habet Lucas, Pax in excelsis, atque in hunc modum interpretatur D. Hieronymus.

DOMINICA II. ADVENTVS.

EVANGELIVM.

Luce 21. *IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Erunt signa in sole, & luna, & stellis: & in terris pressura gentium præ cõfusione sonitus maris, & fluctuum arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi. Nam virtutes cælorum mouebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna & maiestate. His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra quoniã appropinquat redẽptio vestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam & omnes arbores, cum producunt iam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote, quoniam prope est regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec hæc omnia fiant. Cælum & terra transibunt, verba autẽ mea non trãsibũt.*

IN primo aduentu suo cuius memoriam elapso dominico die celebrauimus, venit dominus animas nostras à peccatis redempturus, & iustitiam eis veram collaturus, doctrina veritatis imbuenda, & à peccatorum sordibus eas abluendo, ita vt primo aduentu suo viuificarit animam, corpore manente mortali. Quod immortale fuisset, sicuti & anima, nisi Adæ inobedientia mortis hæreditatem transmisisset ad posteros. Superest nunc & altera pars hominis restituenda, quæ quamuis sit elementaris, ac proinde corruptioni obnoxia, condita tamen fuerat ad immortalitatem, venturus igitur dominus & corpus reparare, atque immortalitate donare, vt impleatur vaticinium, Iustus, & Saluator. Iustificauit primum

primum animam, saluabit & corpus, vt rectè D. Paulus, inquit, Expectamus saluatorem dominum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ. Et Scimus, quia mortale hoc, induet immortalitatem: Similiter Iob: Scio quod in carne mea, videbo Saluatorem meũ. Quod autem tam corpus, quam animam dominus restituere voluerit, docet eo ipso, quia vtrumque assumpsit & vtrumque creauit. Et, quia venit quærere quod perierat ma perierat per peccatum, corpus per morte[m] accommodatissimè. Apud D. Ioannem inquit Dominus: Qui credit in me habet vitam æternã, quoad animam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die, quoad corpus. Iam nihil considera, quam aptè ista cohæreant. Si cruciatis conscientia malè actæ vitæ, credè Christum idirco venisse, & hominem factum, vt animam expiaret à peccatis, eamque ex iniusta, iustam rederet. Si corporis molestatis difficultatibus, si me[n]tis metu torqueris, en, habebis Christum, qui suo tempore redibit, & omnem ab oculis tuis lachrymam absterget. Porrò, quemadmodum prior Christi aduentus non omnibus fuit acceptus, sic neque postremus cunctis passim gaudij, & lætitiæ causa erit. Dolebant Pharisæi, ringebantur, & fremebant videre se applausum clamantis, & laudantis populi, quibus nihil Christi aduentus profuit. Ita neque secundus ipsius aduentus recreabit scelestos, nec maiestas Saluatoris eos afficiet, quibus grata non fuit eius humilitas. Quibus itaque primùm non fuit iustificator, his neque erit in secundo aduentu saluator, Nam quos iustificat illos & glorificat. Quibus verò tum glorificator erit, de his dicitur, Leuate capita vestra & videte, quoniam propè est redemptio vestra. De reliquis verò dicitur, Præssura gentium, arescentibus hominibus præ confusione, & expectatione eorum, quæ superuenient vniuerso orbi. Et hoc quidem diuina Christi iusticia requirit, nam qui ipsum hic in terris humilem, clementem, mansuetum, & misericordem acceptare noluerunt, illi, in eo aduentu, de quo hodiernum est institutum Euangelium, seuerum & iustum ipsum iudicem habebunt. Et vt paulò pro pius ad hodiernæ diei doctrinam accedamus, causa in ea per magna proponitur, quę nos inducere debeat ad mortifica-

Ad Phi lip. 3.

1. Cor. 15

Iob. 19

Ioa. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tificationem cupiditatū rerum temporalium, eò quod omnia in nihilum redacta pessundabuntur: Nonne auditores charissimi, stultissimus omnium iudicio, haberetur, qui ex tabulis glaciei, quæ natant in flumine, opere rosum quoddam ædificium niteretur cōpingere, quod constaret mutata aura mox corruiturum. Tria itaque [illegible] diernum Euangelium continet, & denunciat terribi- [illegible] Immutationem, & finem huius mundi: Iudicium [illegible]em dati & accepti: Supplicium æternum. Ita & his [illegible]onit tria optatissima pijs, securitatem seu hilaritatem in illa perturbatione, perfectam redemptionem: Et regnum Dei. Quæ dum latius in ipsa enarratione proponentur, vos aures, mentesque præbete benevolas, vt Euangelicum quod hunc in finem collegimus semen, in bonam à nobis terram proiiciatur, & fructum salutis in vitam æternam producat.

Erunt signa in sole, [illegible]a, & stellis] Matthæus hæc Christi verba referens, Sol, inquit obscurabitur, & luna non dabit lumē suū &c. Hæc autem Hieronymus & Chrysostomus euentura existimant, in ipso Domini aduentu, ac tunc illa obscurāda nō diminutione luminis, cùm Isaiæ 30. sol tūc dicatur septuplū lumi nis habiturus & lux lunę futura sicut lux solis, sed quod Christi venientis luce, illorū lumen superabitur, & comparatione verę lucis omnia apparebūt visui tenebrosa, Itaque per hanc solis & lunæ obscurationē, intelligitur significari maxima aduenientis iudicis claritas. Verūm hanc obscurationem non intelligendam fore per aduenientis Christi claritatem, sed potius præcessuram illius aduentum hodierni euangelij verba ratis manifestè declarant, quibus significatur, cū signis in sole & luna existētibus, & mari fluctibūsque sonātib⁹, homines arescent præ timore & expectatione, quæ superueniēt vniuerso orbi. Illis ergo existentibus nec dū completus erit aduentus Domini, necdum superuenient quæ superuentura orbi homines expectabunt. Idem secundò patet ex eo Ioelis: Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequā veniat dies Domini magnus & magnifestus. Ad quem locum verisimile est Dominum alluisse. D. Augustinus in epistola ad Hesichium, quæ dicantur de

Ioelis 2.

de obscuratione solis & lunę, & de pressura gentiū, putat potius intelligenda cōplenda in Ecclesia Christi per persecutionē ab Antichristo suscitandam, vt per solem & lunam mystice intelligatur ipsa Ecclesia, de qua dicitur in Canticis, Speciosa vt luna, electa vt sol, significeturque eā sic obscurādam, vt non sit apparitura, impiis persecutoribus vltra modum in eam sæuientibus, per stellas aūt cadentes & virtutes cœlorum commotas, significetur ꝙ tunc multi qui gratia fulgere videba- [illegible] perſequentibus cedent & cadent, & fideles q[illegible]i firmissimi turbabuntur. Iam per pressuram ge[illegible]ū, de qua in euangelio putat intelligendam non afflictionem quā gentes tum sunt passuræ, sed quā gētes impiæ fidelibus sunt illaturæ. Ideo autem hæc sic potius existimat accipienda, partim quòd alioqui hic locum videatur cōtrariari loco Pauli, Cùm dixerint pax & securitas tunc repentinus superueniet interius, proinde intelligit, paulò ante Domini aduentū fideles in [illegible]tissimis futuros afflictionibus, infideles verò remoto omni timore, arridente mūdi fœlicitate dicturos, Pax & securitas: partim quoniā sensibilia in sole & luna signa, iam olim etiam ante primū Domini aduēt ū quandoque acciderunt, & pressura gentium, ac anxietas hominū præ timore & expectatione quæ superuentura essent orbi, variis seculis acciderunt. Hæc, inquit, in Ecclesia melius existimo intelligi, ne Dominus Iesus appropinquante secundo suo aduētu, ea pro magno prædixisse videatur, quę huic mūdo, & ante primū eius aduentum consueuerāt euenire, & irrideamur ab his qui hæc quę velut nouissima & omnium maxima horreiectimus, plura in historia gentium, & multo maiora legerunt. Hæc ille. Verum quanquam hęc intelligētia præsentis loci recipi possit pro accōmodatitia & mystica huius loci explicatione, quemadmodum & Origines similē assignat eius tractationem, sed ꝓ allegorico sensu, tamen non esse hanc propriā & genuinam huius loci intelligentiā, satis videtur manifestū ex eo ꝙ Lucas in hodierno euāgelio, dicit: Erūt signa in sole & luna, & in terris pressura gēnium. Quo significat, & in cœlis & in terra quędā tunc futura. Et rursum cùm dixisset, ꝙ arescerent homines præ timore & expectatione

1. Thess. 5

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctatione quæ superuenient vniuerso orbi, subiecit pro ratione: *Nam virtutes cœlorum mouebuntur.*]Quo significat, commotionem virtutum cœlestium, causam fore anxiæ expectationis hominum: sicut & cùm dicit: & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum: significat gentes omnes angustiandas propter mirabilem maris commotionem. Vnde quod dicit pressura gentium, non potest cõmodè accipi de gentibus impiis inferenda fidelibus, sed de qua omnes nationes terræ torquebũtur vnde ra, Græcis est συοχὴ quod magis angustiam significat, quàm externam afflictionem. Proinde intelligendum potius ad literam euentura quę à Matthæo dicuntur de solis ac lunæ obscuratione, & alia itẽ vt veraciter sol & luna cum cæteris sideribus intelligantur ad tempus suo lumine priuãda quemadmodum de sole factum constat pore passionis Dominicæ, idque cum aliis quæ hic di apud Lucam, futurum, cuius iamiam Dominus est uenturus, ac sub ipsum aduentum eius. Sic enim intelligi potest & verum esse quod dicit Lucas, homines illa signa videntes conturbandos præ timore & expectatione quæ superuenient orbi: & tamen etiam verum esse quod dicit Paulus, cùm dixerint, pax & securitas, tunc repentinus superueniet interitus. Nam ad interitum illum pertinent quæ hic dicuntur de obscurandis sole & luna, & concutiendis virtutibus cœlorum, ac fremitu maris, quæ inopinato hominibus superuenient. Sicut enim terribiliter aduenit Dominus daturus legem in monte Sion, tempestate quadam ipsum præcedente: ita & cum quadam veniet tempestate iudicaturus viuos & mortuos, iuxta illud Psalmi: Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. *Psal. 49.* Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tẽpestas valida. Porrò non vulgaria erunt quæ hic Dominus prædixit in sole & luna ac mari euẽtura in suo aduentu aut circa illum, sed multo maiora his quæ aliquãdo in illis elementis accidisse conspecta sunt, & conspiciuntur: neque ipsum diem Domini velut à longè portendent, sed illum, eiusque in sceleratos iram præsentem iam exhibebunt & declarabunt. Non enim cùm dicit

Lucas,

Lucas, erunt signa in sole & luna: ita hoc accipiendum est quasi hæc signa sunt significatura diem Domini post aliquot tempus medium aduenturum, vt ob significationem rei futuræ dicantur hic signa, sed signa hic pro rebus insolentibus, prodigiis & miraculis accipiuntur. vt sit sensus: Contingent in sole & luna prodigia, quædam & admiranda, nimirum quia, vt dicunt Matthæus & Marcus sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum. Neque enim dubitandum videtur, quin h eadem. Cæterum mos est in scripturis, per rationem solis & lunæ, stellarumque, & similia quæ hic præ dicuntur, metaphoricos significare summas vltionis diuinę tempestates. Sic enim Isaię. 13. Dei de Babylone sumenda vltio significatur, cùm dicitur inter alia: Stellæ cœli & splendor earum non expandent lumen suum. Obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. Et Ezech. 32. cùm de Pharaonis vltione agitur: Operiam cũ extinctus fuero cœlos, & nigrescere faciã stellas eius, solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te, & dabo tenebras super terrã tuã. Sic & vindictæ de Iudęis sumẽdę grauitas describitur, infirmata est quę peperit septẽ, defecit anima eius, occidit ei sol, cũ adhuc esset dies. Itẽ: Et erit in die illa, dicit Dñs Deus, occidet sol in meridie, & tenebrescere faciã terram in die luminis, & conuertam festiuitates vestras in luctum. Sunt & alia similia apud Prophetas loca, quibus vltionis alicuius atrocitas designatur. Etenim in summa angustia constitutis videtur totus mundus perturbari, sol obscurari, luna esse sanguinea, stellæ lucẽ suam retrahere terra tremere, mare tremere, & cuncta ruinam minari, nõ quod ita re ipsa accidat, sed q ita homines angustientur, ac si illa acciderent. Veruntamen cum insigniores illæ vltiones Dei, quales de Babyloniis, Ægyptis, Iudæis, aliisque gentibus nonnunquam fuerunt sumptę, omnino supremi Iudicij quædam velut specimina dederint, mirum nõ est, si his quæ in supremi iudicij die re ipsa euẽtura sunt descriptæ sint, quæ etsi in illis re ipsa non ita euenerint, iis tamen quæ in illis euenerunt, fuerunt præfigurata, & qui illas dederunt pœnas, non aliter fuerunt angustiati, *Isaiæ. 13.* *Ezec. 32.* *Ierem. 15.* *Amos. 8*

quàm

quàm si re ipsa omnia sic accidissent. Voluit enim illis locis scripturę, & vltionibus ibi descriptis nos Deus admonere supremi iudicij, & vltionis impiis superuęturæ in qua illa re vera sic accident vt verba significant: ideoque etiam cum de certa alicuius gentis vltione agitur, generalis fit sermo, vt sit quasi transitus ab illius vltionis descriptione, ad commemorationē generalis vltionis [illegible] quentur, omnibus impiis in die iudicij: quemadmo[illegible] vindicte est Isaiæ 13, vbi cum promisisset prophe-
Isaiæ 13. ta [illegible] rum onus Babylonis, generaliter dicit Ecce dies Domini venit, crudelis, & indignationis plenus, & irę, furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea. Et post interposita ea quę suprà sunt citata, subiungitur, Et visitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, &c. Quę autem apud Matthęum dicuntur de Solis, Lunę, astrorúmque obscuratione, verè & non metaphoricè
2. Pet. 2. accipienda esse, satis [illegible] Petri patet: Aduenict autem dies Domini sicut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autē & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Porrò cœli, terræ & maris commotionem de qua Dominus loquitur prædixit &
Aggæ 2. Aggæus, dicens, Adhuc vnum modicū est, & ego commouebo cœlū, & terrā, & mare, & aridam. Quod quanquam referri possit ad primum Christi aduentum, isque proprius videatur huius loci sensus, Paulus tamen ad
Heb. 12. Hebræos 12. refert ad secundum, cùm scribit, Nunc autē repromittit dicens, Adhuc semel & ego commouebo non solùm terrā, sed & cœlum. Conuenit item cum hoc
Psal. 74. loco & illud Psalmi. Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo, liquefacta est terra, & omnes qui habitant
Ioelis 3. in ea. Item illud Ioelis, Sol & Luna obtenebrati sunt & stellæ retraxerunt splendorem suum, Dominus de Sion rugiet, & de Hierusalem dabit vocem suam, & mouebuntur cœli & terra. Quod in Matthæo, porro dicitur, stellas lapsuras è cœlo, intelligendum est significare stellas lumen suum retracturas, vt videantur cecidisse è cœlo, nec amplius in eo esse. Quod autem dicitur virtutes cœlorum commouendas, cōmuniter intelligitur significare cœlestes exercitus angelos concutiendos admiratione

miratione, cum videbunt maximam naturæ mutationem fieri. Verùm cùm Lucas pro causa anxiæ trepidationis & expectationis hominū subiiciat: Nam virtutes cœlorum commouebūtur magis, per virtutes cœlorum, sunt intelligenda omnia sidera & astra, quæ in scripturis dicuntur frequenter militia cœli, & virtutes, hoc est, exercitus cœlorum, vt: Verbo Domini cœli firmati sunt, *Psal.* & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quoniam en[illegible] homines videbunt omnes ista cœlorum virtutes [illegible] moueri à suo statu, hinc trepidabunt, & trepi[illegible] pectabunt quæ superuenient orbi. Quod ergo [illegible] ciatim dicebatur: Sol obscurabitur, & Luna nō dabit lumen suum & stellæ cadent de cœlo: id deinde generaliter dicitur, & virtutes cœlorum commouebuntur.

Et tunc parebit signum filij hominis in cœlo, & tunc plangent, &c.] Verba hæc ex Matthæo desumpta ad Euangelicam Lucæ historiam pertinent. Signum filij hominis antiquissimi etiam patres intel[illegible]erunt, imaginem crucis, vnde ex hoc loco canit E[illegible]clesia: Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad iudicandum venerit. Creditur ergo huiusmodi signum cum summa claritate, Sole & Luna obscuratis, apparitutum in cœlo, tum in consolationem fidelium, qui agnoscent signum victoriæ quo sunt redempti: tum in condemnationem infidelium, vt agnoscant se impiè reiecisse crucifixum Dominum, & illum tunc venire qui prædicatus est pro salute hominum crucifixus. Vnde de his sequitur: & tunc plangent omnes tribus terræ, hoc est, omne genus hominum, infidelium scilicet, qui illum prius agnoscere noluerunt. In hoc autem alluſum est ad locum Zachariæ, vbi legimus: Et plangent terra, familiæ, & familiæ seorsum. Et post aliquot familiarum enumerationem: Omnes familiæ reliquæ, familiæ, & familiæ seorsum. Idem enim est tribus & familiæ. Ad hunc autem locum hic alluſum patet ex Apocalypsi, vbi ad illum locum allusum est manifestē, cùm dicitur: Ecce venit cum nubi- *Apoc.* bus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plāgent se super eum omnes tribus terræ. Nam & illo loco apud Zachariam præcedit: aspicient ad me quem confixerunt. Quanquam autem locus ille Zacha-

rię secundum proprium & primum sensum intelligendus omnino videatur de pio Iudæorum & fideliũ plãctu, qui mortem Christi in hoc mundo piè deplãgent, dolentes se illum occidisse, aut suis peccatis occãsionẽ mortis eius dedisse, quemadmodum exponit D. Hieronymus (comparatur enim planctus ille pio populi super morte Iosiæ planctui) tamen accommodatur à Domino & à Ioanne locus ille ad planctũ infidelium inquo in nouissimo die plancturi sunt se illum occidisse, & in illum non credidisse, sicut & quod dicitur à propheta: Aspicient ad me quem confixerunt: quamquam secundum proprium sensum dictum sit de fidelibus Iudęis, qui compuncti corde, & dolẽtes se occidisse Dominum, per fidem conspecturi erant in eum quem confixerant (præcedit enim: & effundam super habitatores Hierusalem spiritũ gratiæ) tamen à Ioanne accommodatur ad Iudæos infideles, qui in nouissimo die oculis corporalibus aspicient in eum quem transfixerunt, exhibentem sese cum vulnerum cicatricibus vt significet eos qui piè & cum fructu illum per fidem aspicere, eiusque mortem plangere noluerunt, aliquando vel inuitos conspecturos illum, & inutiliter tum plancturos. Hinc ergo intelligẽdum, vnius eiusdémque scripturę varios esse sensus, etiam à spiritu intentos.

Et tunc videbunt filiũ hominis venientem in nube cũ potestate magna & maiestate] Cum in cœlos ascẽdisset Dominus, dixerunt angeli: Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. At de ipso eunte in cœlũ dicitur illo loco, quòd nubes susceperit eum ab oculis eorum. Itaque sicut à vera nube susceptus, profectus est in cœlum ita & in veris nubibus cœli venturus est ad iudicium. Quod & in ipsius ostensum est transfiguratione, quę specimen quoddam erat illis glorię in qua appariturus est in nouissimo die. Tunc enim etiam in nube lucida facta fuit gloriosa illa transfiguratio. Prædictum fuit istud & à Daniele, ad quem locum videri potest Dominum hic respixisse. Et ecce, inquit, cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat. Nubes autem hæ partim facient ad hoc vt tolerari possit ab omnibus summa aduenientis Christi claritas & splendor, partim ad glo-

Act. 1.

Dan. 7.

ad gloriæ Christi augmentum, cui nubes illæ velut sedes erunt & vehiculum, Deo proprium in scripturis. In nube enim fere dicuntur in scripturis factæ insignes Dei apparitiones. Dicitur autem filius hominis tunc venturus cum virtute multa, id est, magna & maiestate, vel gloria, ad distinctionem huius aduentus à primo, in quo venit in magna infirmitate & humilitate. Et quidem virtus eius in eo relucebit, quòd eius imperio statim omnes resurgent mortui, omnesque in momento & in ictu oculi cõgregabuntur ad ipsum, et inuiti omnes illi curuabunt genu, cœlestes, terrestres, & infernι, quodque omnes efficaciter sit iudicaturus, singulis reddens secundum merita. Maiestas verò & gloria relucebit in corporis claritate, in angelorum stipatium ipsum multitudine, atque in nubis circundantis illum amictu. Bene autem non dictum est simpliciter, cum virtute & maiestate: sed cum virtute multa & maiestate multa scilicet. Nam ad vtrunque id est referendum. In primo enim aduentu venit etiam cum virtute & potestate, qua mirabilia est operatus, atque in transfiguratione sua visus est in maiestate: at in secundo multò maiori cum potestate & claritate venturus est. Sequitur: *His autem fieri incipientibus.*] Verum ante hæc verba Lucæ, Matthæus & Marcus, hæc, quæ sequuntur, præmittunt.

Et tunc mittet angelos suos cũ tuba & voce magna, &c.] Præpostero hęc dicuntur ordine. Prius enim mittentur angeli qui omnes congregabunt, quàm videbunt omnes filium hominis venientẽ in nubibus cœli, & quàm plangent cum omnes tribus terrę: sed quoniam omnia breuissimo perficientur tempore, & omnia simul fere concurrent, ideo nõ est mirum quòd ordo in narratione non seruetur. Porrò angelorum ministerio futuram mortuorum resurrectionem & congregationẽ, Dominus etiam cap. 13. Matthæi in aliquot parabolis docuit. Docet & Paulus, dicẽs: Ipse Dominus in iussu & in voce archangeli, & in tuba Dei descẽdet de cœlo. Sicut autem apud Paulum illo loco idem est intelligendũ per iussum & vocem archangeli & tubam Dei: ita & hic idem est tuba & vox magna, ita vt coniunctio, &, exposi-

1. Thes. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sitiuè posita sit,& sit sensus:cum tuba, hoc est, voce magnæ.Græca verò habent:cum tuba vocis magnæ, hoc est, cum tuba quæ vocem edet magnam: vel potius intransitiuè:cum tuba quæ erit vox magna. Non enim re vera tuba aliqua corporea est intelligenda futura, sed vox archangeli,quæ adeo magna erit,vt ad illius clamorē omnes mortui de terræ puluere resurgant. Quam vocem [illegible] corporalem annotauimus verisimile esse circa illus[illegible]nis:Omnes qui in monumentis sunt audient vocem [illegible] Dei,exprimiturque vocis huius qualitas po-
Matt.25. stea apud [illegible]atthæum,cùm dicitur in parabola, Media nocte clamor factus est:Ecce sponsus venit,exite obuiā ei.Præcesserunt autem & in veteri aliquot figuræ huius conuocationis quæ per tubam & vocem magnam dicitur hic efficienda,ad quas videri meritò potest hic allusum esse. Siquidem cum in montem Sion descenderet Dominus legem suis daturus,audiebatur tubarum sonitus,preceptúmque erat,vt tum primum ascenderēt in montem.hoc est monti appropinquarent, cùm cœpisset clangere buccina.In quo specimen quoddam editum fuit huius vltimæ populi Dei congregationis, sicut & in terribili illo Dei descensu,typus quidam præcesserit nouissimi aduentus Christi ad iudicium. Rursum,vt scribitur Nume.10.populus Israeliticus, tubæ sonitu conuocari sacerdotes solitus fuit,quando congregandus erat populus ad tabernaculum ex quatuor mundi partibus in quibus erant castrametati:ita ergo & nūc hic dicitur,quòd angeli tubæ & vocis magnæ sonitu congregabunt electos,à quatuor ventis,hoc est,ab Oriente,occidente,aquilone,& austro, hoc est,ab omnibus mundi quantumuis remotis partibus. Per quatuor enim vētos in scripturis significantur quatuor mundi partes præcipuæ,à quibus præcipui venti quatuor fiant: in quatuor autē illis partibus,totus mundus significatur. Vnde dicitur:In quatuor ventos cœli dispersi vos,id est omnem
Zach.2. terram,& in omnes gētes. Quòd autem rectè intelligatur quod sequitur apud Matthæū:à summis cœlorum vsque ad terminos eorum:& apud Marcum, à summo terræ vsque ad summum cœli:quoniam hæ partes à plerisque malè intelliguntur,sciendū est,quòd apud Matthæū pro dictione,

dictione,summis,& dictione,terminos,Græcis sit eadem dictio ἄκρων, quæ est & in Marco.Hæc autem dictio non tantum significat summum,sed etiam extremum,quod præsenti loco magis conueniret.Sensus enim est,electos congregandos ab vna cœli extremitate, vsque ad alterā cœli extremitatem.Summum ergo hic pro extremo positum est quemadmodum & Psal 18.cum dicitur de [illegible] Psal. 18.
le: à summo cœlo egressio eius,& occursus eius [illegible]que ad summum eius:pro eo quod est,ab vna cœ[illegible]extremitate,nempe ab oriente,est egressio eius,& [illegible]ursus eius est vsque ad alteram cœli extremitatem, nempe occidentem.Sic cùm dicit Mosbs:Interroga de diebus anti- Deut. 4.
quis,à summo cœlo vsque ad summum eius, hoc est ab omnibus hominibus qui sunt super terram,ac vno cœli termino vsque ad alterum.Quibus locis dictio Hebraica,Cetseh manifestè significat nō altitudinem vel summitatem,sed extremitatem.Ex [illegible]o autem Deuteronomij loco patet idem esse summum vel extremum cœli, quod est summum vel extremum terræ. Quod & ex Marco hic patet,qui dicit:à summo terræ vsque ad summum cœli:pro eo quòd Matthæus dicit: à summis cœlorum vsque ad terminos eorum.Sensus ergo est apud Marcum: ab vna terræ extremitate, vsque ad oppositam cœli extremitatem.Itaque hæ orationes non significant aliud quam id quod præcedit, à quatuor ventis sed additæ tantùm sunt ad partis illius declarationem & exaggerationem, quo firmius asseueraretur ab omnibus omnino mundi partibus electos congregandos, nec quisquam ob loci in quo vixit & mortuus est distantiam diffideret se colligendum cum aliis.Non ergo dictum est,à summis cœlorum,propter animas electorū è cœlis adducendas,vt quidam intelligunt, sed ratione corporum resurgentium ad vocem magnam tubæ, dicuntur electi congregandi è locis in quibus fuerūt sepulti & resurrexerunt.Quanquam autē Angeli mittendi etiam sint vt impios colligant (nam dicitur, apud Matthæum:mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala) peculiariter tamen hic dicuntur cōgregandi electi,quod hic allusum sit ad eas veteris populi conuocationes,de quibus dictum est,in qui-

bus Dei populus: tubę ſonitu conuocabatur: aut etiam quia hic alluſum eſt ad eas ſcripturas, in quibus Deus frequenter dicit ſe congregaturū ſuos ab omnibus mūdi partibus, vt: Ab oriente adducam ſemen tuum, & ab occidente congregabo te. Dicam aquiloni, Da: & auſtro Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.

Iſaie 43.

Lucem fieri incipientibus reſpicite & leuate capita veſtra. Per hoc quod dicit, ſuſpicite & leuate capita veſtra: tropice ſignificat eis tum gaudendum & bene fidēdum meritò eſſe. Qui enim mœſto ſunt animo, & in afflictionibus, incedunt vultu in terram demiſſo: quibus verò è malis datur reſpirandi ſpes, ij vultū prius demiſſum at tollere ſolent, & fidenti animo ad deſideratā anhelare ſalutem & redemptionem. Portò dubium hic eſt quid demonſtret pronomē, his. Sic enim dicatur demōſtrare ea quę mox prædicunt, quomodo dicitur quòd his fieri incipientibus appropinquet redemptio ſanctorum, & prope ſit regnum Dei: Nam inter ea etiā eſt aduentus Chriſti, & ſanctorum reſurrectio, quæ cùm erūt, nō iam appropinquabit ſanctorum redemptio, ſed erit: nec prope erit regnum Dei, ſed tum erit. Auget difficultatem quòd Matthæus dicit: cùm videritis hæc omnia, ſcitote quia propè eſt in ianuis. Nam ad Lucā dici poſſet, non diciſſe Dominum: cum hæc fiunt ſcitote quod propè eſt regnum: ſed, cū hæc fieri incipiunt, cùm ſcilicet incipient ſigna illa in ſole & luna. At Matthæus dicit: cùm videritis hęc omnia: cùm inter prædicta omnia, etiam ſit Chriſti aduentus, qui cū erit, nō iam propè erit in ianuis, ſed omnino erit. Nam & ſimilitudo quam Dominus adhibet demonſtrat futura & necdum exiſtentia ex ſignis cognoſcere. Hec difficultas adeo mouit diuum Auguſtinum, vt ſicut quod dicitur de ſolis lunæ, & ſtellarum obſcuratione, refert ad tempora Antichriſti: ita putarit illud quod poſtea ſubiungitur: Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, &c. potius intelligendum de ſpirituali aduentu filij hominis, quali nunquam venire ceſſat modò in mēbris ſuis tanquam in nubibus aut in Eccleſia ipſa tota, tanquam in nube magna: vt ſignificetur quod tempore grauiſ-

grauiſſimę perſecutionis qua ſub Antichriſto ſol obſcurabitur & luna filij Dei ſpiritualiter ſit viſitaturos ſuos fideles, nō tātùm eo modo quo eam ſemper viſitat, ſed cū poteſtate magna & maieſtate, quia maior poteſtas & maieſtas tunc apparebit ſanctis quibus magnam virtutem dabit, ne tanta perſecutione vincantur. Verùm hic ſenſus coactior videtur, quòd dubitandum nō videatur quin quod dicit: Et tunc videbunt filium hominis venientē, &c. ſit ſecundum proprium ſenſum intelligendum de corporali & ſenſibili Domini aduentu ad iudicium, maximè cum ſequatur: Et tunc mittet Angelos ſuos cū tuba: quod pertinet ad reſurrectionis & iudicij diem. Euthymius Chryſoſtomi ſectator pronomen, hoc, apud Matthæum & Lucam, putat referendum ad ea quę dicta ſunt de pſeudochriſtis & pſeudoprophetis, qui daturi ſunt ſigna & prodigia magna, vt ſignificetur propè eſſe aduentum Chriſti & regnum eius, cùm nouiſſimus Antichriſtus cum ſuis aduenerit pſeudoprophetis. Sunt & qui pronomē, hoc, referunt ad omnia quę hactenus prędicta ſunt à Domino, etiam de vaſtatione Iudæorum, & his quæ eam præceſſura erant vt intelligatur Dominus ſuos monere ne animo concidāt cùm omnia illa qs prædicta ſunt mala, viderint ſuo ordine euenire, ſed potius hilaritatē & alacritatem præ ſe ferant in illis malis ſcientes hæc omnia præcedere debere aduentum ſuum, & quo plura eorum viderint adimpleta, eò propius adeſſe aduentus tempus intelligant. Sicut cum ficus & alię arbores gēmas protrudunt, produxerintq; folia, ſcimus prope eſſe æſtatem, ſic tamen non è veſtigio plenam æſtatem, ſed primùm florem inde ficuum incremētum, & demum ſuo tempore ficus maturas, atque iſtam ætatem ad fore ſcimus. In hunc modum præſentem locum intellexiſſe videtur D. Hieronymus, ſic ſcribēs: Sub exēplo arboris, docuit conſummationis aduentum. Quomodo inquit, quādo teneres fuerint in arbore ficus, cauliculi & gemma erumpit in florem, corrręq; folia parturis, intelligatis æſtatis aduentum, & Fauonij ac veris introitum: ita cum hæc omnia quæ ſcripta ſunt videritis, nolite putare iam adeſſe conſummationem mundi, ſed quaſi proœmia & præcurſores quoſdam venire, vt oſten-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dant quod prope sit & in ianuis. Hæc ille. Non ergo secundum Hieronymum pronomen, hæc refertur ad ea quæ de Solis ac Lunæ obscuratione & aliis sequentibus sunt dicta, quia solis obscurationem intelligit futurã in ipso Domini aduentu per ipsius eximiorem claritatem: sed ad omnia illa quæ dicta sunt præcessura aduentum Domini Theophylactus refert, pronomẽ, hæc, ad ea quę [illegible] præcedunt, Solis scilicet & Lunæ obscurationem, & to[illegible] mundi innouationem. Hæc enim paulò aduẽtum Dom[illegible], vt diximus, præcessura portendent iamiam ipsum venturum. Nec inconueniens fuerit pronomen, hæc, etiam referri ad ea quæ dicta sunt de signo filij hominis parente in cœlo & filio hominis veniente in nubibus cœli, eo quòd Matthæus dicat: cùm videritis hæc omnia. Sed tunc in illo quod dicũt Matthęus & Marcus scitote quia prope est in ianuis: non poterit subintelligi aduentus filij hominis sed regnum Dei, quemadmodũ expressit Lucas. Cùm enim viderint fideles solem obscurari, signum filij hominis părere in cœlo, filium hominis venientem in nubibus, & angelos colligere electos necdũ erit ipsis fidelibus regnum Dei, nec perfecta erit ipsis redemptio eorum, sed hæc illis propinqua erunt. Tunc enim instabit tẽpus quo post separationẽ malorũ à bonis, audituri sunt vocem illam dulcissimam. Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Ac tum quidem participes erũt facti regni Dei, & certi de sua redemptione Ad hunc tamẽ modum potius intelligendum crediderim, propterea quòd apud Lucam illud, His autem fieri incipientibus, suscipite & leuate capita vestra, &c. videatur dictum fidelibus è regione illius quod de impijs dictum est, ipsos apparentibus signis in sole, Luna & mari angustiandos, & exarituros præ timore & expectatione superuẽturorum. Deinde, cùm dicitur fidelibus, vt ob certam redemptionis suæ spem attollant capita sua, satis significatur eos prius in multis malis versaturos, à quibus tum iubentur propinquam redemptionem expectare, & proinde quod dicit, suspicite & leuate, non ad omnia illa tempora pertinet quibus multa erat sancti mala passuri, sed tantum ad tempus instantis retributionis. Itaque sensus erit,

Mat. 25.

erit, His quæ modo dixi fieri incipientibus, nolite simul cum hominibus huius mundi, quos dixi angustiandos his conspectis, & plancturos, etiam ipsi animo concidere & turbari, sed contra summam hilaritatem in animo habete, certi quòd instet redemptio vestra. Illi quidem cùm dixerint, pax & securitas, subita corripientur, his conspectis signis, angustia & desperatione, vos aũt qui continuis in hoc mũdo malis afficiemini, semper luctes, tum conuenit ob omnino proximam vestrã [illegible]emptionem deiectum vultum attollere, atque [illegible]ani tristitia excussa ac metu deposito, omnẽ hilaritate præferre. Loquitur ergo hic Dominus de redemptione sanctorũ à malis quæ hic premunt eos, redẽptione item corporis eorũ à corruptione, de qua Paulus, Intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri. *Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneã & omnes arbores &c.*] Vt certiores suos Dominus faceret fœlicitatis & regni quod exp[illegible]tare eos voluit apparentibus signis illis in Sole, Luna & mari, quæ quoniã erant horribilia futura, magis timorem erant per se inculturã, similitudinem ex naturali illis proponit exemplo, admonens vt quemadmodum ex gemmis & foliis arborum primùm prodeuntibus intelligimus æstatem instare, ita ex illis signis intelligamus instare regnum Dei. Qua quidem similitudine tria Dominus significauit, vt indicat D. Chrysostomus. primum, quod non magnũ temporis spaciũ sit futurum inter illa signa & regnum Dei, sed ea regni Dei fore primordia: sicut non magnum est spacium inter gemmas arborum, & æstatem, adeo vt huius arborum gemmæ initium quoddã sint. Neq; enim æstatis nomen hic puto esse sic accipiendum, vt à vere distinguitur, sed vt ver in se includit. Secundò significatur, quòd certò & necessariò regnũ Dei sit signa illa secuturum, quemadmodum certum est & necessarium, vt gemmãtibus arboribus æstas adueniat. Non enim, inquit Chrysostomus, ea ratione tãtummodo similitudine ficus vsus est, vt spacium temporis designet, sed vt omnino futuram rem confirmaret. Nam sicut hoc esse necesse est, sic illud quoq; necessariò erit. Tertiò, subtiliori intelligentia etiam significatur, horri-

Rom. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bilia illa quæ dicta sunt signa, non portendere fidelibus imminentem malorum tempestatem, & veluti hyemem quandam, sed illis significare rerum omnium iucundã immutationem, & fœlicioris temporis post vitæ quam hic vixerunt asperitatem successionem, veluti æstatis post hyemem. Impiis enim qui hic suam vixerunt æstatem, dicentes pax & securitas, signa illa portendent adventem malorum tempestatem, quemadmodũ post apertè Dominus significat, dicens: Tanquã laqueus superuenie[t] omnes qui sedent super faciem orbis terræ.

Luce. 21. At iustis è cõtrario portendent spiritualem æstatem & tranquillitatem à fluctibus huius vitæ & omnibus malis futurã. Itaque tunc perfectè implebitur illis illud Cã

Can. 2. ticorum: Iam hyems transiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum. Dicunt autem Matthæus & Marcus de ficu, cũ iam ramus eius tener, hoc est, mollis fuerit, quia in hyeme arborũ rami rigore frigoris indurãtur, vt flecti commodè non possint, at vere adueniente, succo repleti mollescunt, ac mollescentes, gemmas ac folia progignere incipiunt. Lucas verò, vt nos quidem legimus, habet cùm producunt ex se fructum, at de fructu nulla fit apud Græcos mentio sed tãtum habent, ὅταν ἤδη προβάλωσιν, hoc est, cùm iam proruperint, vel proferre & producere cœperint, scilicet gemmas & folia. Itaq; nomen fructus apud nos accipi debet pro omni eo quod ex arboribus prodit vt & folia comprehendar & gemmas. Nam cùm arbores perfectum ex se fructum producunt, non iam prope est æstas, sed plena est æstas. Quod autem pro eo quod in Matthæo & Luca, versum est, scitis quia prope est æstas, in Marco legamus per imperatiuum: cognoscite quia in proximo est æstas: prouenit ex verbi Græci γινώσκετε ambiguitate, quod & indicatiui est modi & imperatiui. Multi tamen libri etiam in Marco habent indicatiuum, cognoscitis. In illo apud Matthæum & Marcum: scitote quia propè est in ianuis, dicitur prouerbiali sermone esse in ianuis, quod propinquum est vt veniat, eò quod sit propè ad ingressum qui assistit ostio. Sic & Iacobus dicit, Ecce, Iu-

Iacobi 5. dex ante ianuam assistit. Sed ibi ante ianuã, hic dicitur fore

fore in ianuis, cùm illa fient quæ dicta sunt.

Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec hæc omnia.] Obscurũ est quid per generationẽ hãc Dominus hic significare voluerit, ideoq; valdè variè à diuersis istud intelligitur. D. Hieronymus enim putat aut omne hominum genus significari, aut specialiter Iudæorũ. Certè Iudæorum gentem solet Dominus hoc modo notare, vt cùm supr. dixit, primum oportet filium hominis reprobari à generatione hac. & Amen dico vobis non[dum] nient hæc omnia super generationem istã. Vnde quorsum diceret Dominus generationem Iudæorum non præteriturã donec omnia prædicta fierent, no facilè apparet, multo minus, quare in genere generationẽ hominum non ante diceret præteriturã. D. Chrysostomus intelligit significatam generationem iustorum & fideliũ, idque ideo de ea dictum, ne metuerẽt Apostoli, per prædicta pericula penitus fideles deserendos, & prædicationẽ Euangelij supprimendam, sed certiores essent, regionẽ Christianam vsque ad seculi consummationem & nouissimum Domini aduentum perseueraturam. Verum si bene pensitemus scopum Christi, omnino apparebit ipsum hac sententia significare voluisse certò & breui hæc omnia quę dixit euentura. Itaq; Thostatus per generationem hanc intelligit gentem Iudaicam, quę tum viuebat cùm hæc Christus loqueretur, & hæc per omnia, putat tantum demonstrari ea quæ in prædictis pertinẽt ad Iudæorum nationem, nempe quæ dicta sunt de Hierosolymorum excidio, & his quæ illud erant præcessura, vt significetur omnia illa quæ dicta sunt euentura in populo Iudaico, breui omnia tẽpore euẽtura, ita vt illa cuncta sint conspectuti plerique tũ viuẽtes cum hæc dicerentur. Obstare autem nimis videtur huic intelligentiæ, quòd in illo, hæc omnia, videantur comprehẽdẽda, quæcũque prius dicta sunt. Erasmus putat, dictionem γενεὰ hoc loco vertendam potius per ætatem vel seculum. Nam & illud significat ea dictio, vnde Nestor γενεογενὲς vixisse legitur, quòd tres hominũ ætates duspacium centum annorũ. Quomodo & dictio Dor Hebræis nonnunquam accipitur, quæ fere verti solet, generatio.

ratio. Nam Geneſ 15. quatuor generationes, & quatet centum anni pro eodem accipiuntur. Cùm enim dixiſſet Dominus Abrahæ, ſemen eius affligendum quadringentis annis à populo cui ſeruiturum erat, ſubiecit: Generatione autem quarta reuertentur huc. Sunt ergo qui nomen ætatis & generationis in iſta ſignificatione hic accipientes, intelligunt ſignificarum à Domino omnia [illegible] dicta ſunt, excepto ſolo extremo die, euentura intra centum illos qui tunc fluebant annos, & in eo quod tunc erat [illegible]culo. In eo enim auditi fuerũt apud Iudæos rumores bellorum, prælia multa commiſſa, impoſtura valuit pſeudoprophetarum, perſecutionem tulerunt apoſtoli, prædicatum eſt vbique euangelium regni, exciſa Hieruſalem, rurſus pſeudochriſti & pſeudoprophetę ſeduxerunt multos. Diem autem extremum, in quo aut circa quem fient Solis & Lunæ defectio, ſtellarum caſus, &c. excipi debere volunt, quod is ſoli patri notus mox dicatur à Chriſto [illegible]um quoniam & hoc coactius videtur, cum abſolutè dicatur: donec hæc omnia fiant: & quia illud quod dictum eſt de pſeudochriſtis, qui dabunt ſigna magna, maximè pertinet ad tempus nouiſſimi Antichriſti, qui intra ſeculum illud non venit, conuenientius nomen ætatis credidérim hic accipi debere pro toto tempore quod fluet inter primum & ſecundum Domini aduentum, quod nouiſſima dicitur mundi ætas, & à Ioãne dicitur nouiſſima hora: à Paulo verò, in quod fines ſeculorum deuenerunt, vt intelligatur Dominus ſignificare, eam mundi ætatem, quæ per nouam euangelij prædicationem (qua mundo mirabilis quædam rerum mutatio eſt inducta) tum cœpta erat nouiſſimam eſſe, nec præter eam aliam expectandam ſingularem orbis mutationem, donec omnia quæ dicta ſunt fierent. Ideo enim Ioannes dixit nouiſſimam eſſe hanc horam, & Paulus fines ſeculorum deueniſſe in nos, & Petrus omnium fines appropinquaſſe. Significat ergo Dominus citò omnia quæ dixit euentura, quia ante finem eius quæ tum cœpta erat ætatis. Et poteſt ſecundum hũc intellectum illud, hæc omnia, referri vel ad omnia prædicta, vel peculiariter ad ea quæ dicta ſunt euentura in nouiſſimo die vel circa eum: quemadmodum & eum præcedit:

præcedit: cum videritis hæc omnia fieri: vt ſignificetur aduentum filij hominis finem impoſiturum huic currenti ætati, non autem aliquam aliam ſingularem orbis mutationem. Si autem accipiatur ſecundum D. Hieronymi ſententiam de generatione Iudaica intelligendum de ea gente peculiariter prædixiſſe eam vſque in finem permanſuram, cum aliæ nationes ferè tranſeant, vt ſignificaret eam ſeruandam in teſtimonium vanæ ſuę expectationis, quam habet de ſuo Meſſia, ſecũdum ſuum [illegible] habet in ſcripturis intellectum.

Cœlum & terra tranſibunt, verba autẽ mea non tranſibunt.] Sicut ſuperiori ſententia citò omnia ſignificauit euentura, ita nunc hæc ſententia certò omnia ſignificat euentura quæ dixit. Et ſanè meritò hanc dictorum confirmationem ſubiecit, idque maximè ob prædictum ſuum aduentum, quod hic hominum iudicio videretur nimis differri, adeo vt etiam tempore Apoſtolorum ob eius dilationem quidam putauerint eam eſſe aduentus eius expectationem, vt teſtatur Petrus. Cæterum verba ſua dicit non tranſitura, non quantum ad ſonum qui tranſit, ſed quantum ad rem per verba ſignificatam, ratione cuius verba hominum dicimus vel vana, vel firma. Senſus ergo eſt: Verba mea non erunt inania, vt non eueniat quod illa prædicunt, quemadmodum hominum verba quibus aliquid prædicunt & promittunt frequenter inueniuntur inania, ſiue propter mendacitatem & mutatione loquentis, ſiue quod aliud quid externum impediat prædictorum euentum aut promiſſionis adimpletionem. Bene autem ſummam volens verborum ſuorum ſignificare firmitatem, comparat ea cum cœlo & terra, præferens ea his, eò quòd omnium quæ in mundo ſunt, hæc maximè ſunt firma & immobilia, ſignificans ſua verba firmiſſimis rebus eſſe firmiora & conſtantiora. Porrò quòd Dominus comparando cœlum & terram cum verbis ſuis dicit illa tranſitura, non autem verba ſua, dupliciter poteſt intelligi. Primò, vt intelligamus ſignificari, cœlum & terram quandoque tranſitura, mirum in nouiſſimo die. Nam id apertè teſtatus eſt D. Petrus, dicens: Aduenient dies Domini ſicut fur, in quo cœli magno impetu tranſient. Prædixit & Pſalmiſta, dicens

2. *Pet.* 3.

Ibidem.

dicens de cœlo & terra: Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et Isaiæ 51. Cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius sicut hæc interibunt. Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet. Ad quæ loca videri potest Dominus hic respexisse. Transibunt autem & peribunt cœlum & terra non abolitione sui, sed sui immutatione, iuxta illud: Rom. 8. Vanitati creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Secundò, intelligi potest non significari cœlum & terram aliquando transitura sicut secundum substantiam suam verè non transibunt, nec peribunt, (terra enim in æternum stat, vt dicit Ecclesiastes. & de cœlis dicit Psalmista: Statuit ea in æternum & in seculum seculi) sed prius futurum vt illa pereant & transeant, quæ omnium maximè sunt stabilia, & quę scriptura dicit fore æterna, nec perire possunt, quàm vt transeant verba Domini. Sic enim explicat hunc locum Euthymius dicens: Hæc adeò compacta & immobilia prius demolientur, quàm excidant sermones mei. Itaq; secundum hunc intellectum, ex Hebraica phrasi omissa est in hac sententia particula explicans comparationem; quæ sic erat efferenda: Citius cœlum & terra transierint quàm verba mea. Atque in hunc modum præsentem locum intelligendum magis esse, ex eo apparet, quòd Lucæ 16. simili confirmationis modo dicitur: Facilius est cœlum & terram præterire, quàm à lege vnum iota cadere. Qua sententia non hoc videtur significare voluisse Dominus, quod cœlum & terra præteritent aliquando, sed simpliciter illud citius euenturum quod nemo futurum facilè putat, quàm contingere possit vt verbum Dei sit vanum. In hunc modum etiam intelligi potest quod dicitur: Amen dico vobis, donec transeat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege: Vt particula, Matth. 5. donec non significet quid aliquando sit euenturum, sed quid citius sit euenturum. Sic enim vulgari modo solemus significare aliquid omnino fieri non posse, vt cum dicimus: Donec cœlum ruat, tui non obliuiscar. Aut primus cœlum ruet, quàm tui memoria excidet. Sic videtur accipiendum quod est Isaiæ 54. Montes commouebuntur & colles contremiscent, misericordia autē mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur. Tali tropo dixit Vergilius Ægloga prima, Ante leues ergo pascentur in æthere cerui, Et freta destituēt nudos in littore pisces Ante peregrratis amborum finibus exul, Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim, Quā nostro illius labatur pectore vultus. Porrò vulgaril- tropis Dominum multa dixisse certum est ex v... eis. Nisi autem hutusmodi tropo intelligatur ... tentia quę est Matth. 5. & illa quæ est Luc... bitur illis etiam verba Dei aliquādo præteritura: quam- quam difficilius & posterius quàm cœlum & terra, cum Dominus omnino significare voluerit fieri non posse vt verba eius aut Dei transeant. De stabilitate verbi Dei & Isaias dicit: Omnis caro fœnum & omnis gloria eius Isaiæ 40. quasi flos fœni. Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, verbum autem Domini manet n... num. Proinde Dominus dicens hic: verba autem mea non prę̄teribunt, verba sua significat esse diuina, cū verbo Dei proprium significet esse Isaias, manere in æternum.

DOMINICA III. ADVENTVS.

EVANGELIVM.

IN illo tempore, cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et respondens Iesus, ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioāne. Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam Prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Matt. 11.

Duabus

Universidad de Deusto
Biblioteca

DVabus transactis dominicis (auditores) doctrinam Christianam exorsi sumus, quæ tota in cognitione Christi versatur: cuius caput est, quod Christus semel venit in mundum humilis in salutem animarum, suo sanguine eluiturus omnia peccata. Deinde, quod venturus est denuò in potentia & maiestate regia, vt regem regum decebit, ad excitanda corpora nostra: Imo verumque pariter, corpus & animam redempturus. Et duo, vt sunt præcipua religionis Christianæ capita, ita [illegible]que vulgarem captum indaginis nostræ superãt: Ideoque firmissimis argumentis confirmentur necesse est. Quid enim eo magis insolitum esse poterit huius seculi hominibus, quàm quod omnium, qui fuerunt, iam sunt & vnquam erunt hominum salus, spes & conseruatio temporalis, æterna corporis & spiritus, ab vno Christo dependeat? Idcirco firmissima in medium oracula Ecclesia producit, quibus testatissimum redditur, talé fuisse quandoque venturum, quod nobiscum etiam Iudæi confitentur. Quæ [illegible]actenus multa. Verum, quod nos Christiani profitemur, & indubitata fide tenemus Iesum Nazarenum ortum ex Maria virgine, & trucidatum sub Pontio Pilato, eum ipsum esse Christum, quem denuntiarunt prophetæ, eatenus vlteriore confirmatione indiget, quatenus neque aduersarij religionis nostræ Iudæi, neque infideles illi possint repugnare. Eius rei causa in istam dominicam hæc Euangelica lectio profertur in medium, in qua duplici testimonio Ioannis, & speculum Christi, confirmatur Iesum esse verum Chri-
Ioan. 5. stum atque Messiam, quo etiam vsus est Dominus contra Iudæos, conditionem suam vindicans. Vos, inquit, misistis ad hominem, qui testimonium perhibuit veri-
Deut. 17. tati: Sed, quia non nisi in ore duorum vel trium stat omne verbum, secũdum quoque profert: Opera inquit, quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium per-
Ioan. 10. hibent de me. De priore vide quid Euangelica historia proferat: Cum Ioannes tantæ esset admirationis, vt ab omnibus consuleretur, & peteretur tanquam nouus homo, obque suam vitam atque doctrinam pro Christo haberetur, negat tamen se esse Messiam, sed indicato Domino, Ecce, ait, agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ad

hæc,

hæc, non dissimulat, quis sibi talia persuaserit. Vidi Spiritum descendentem super eum. Et qui misit me ille mihi dixit: Super quem videris, &cæt. Et vidi, & testi- Ioan. 1.
monium perhibui, quia hic est filius Dei. Habes hic vnum de Christo testimonium quibus adde, quod apud eundem Euangelistam dominus testimonium, priusquam quicquam præclari de se dicere aut facere decreuisset, præmisit, vt ansam præcluderet hostibus calumniandi philautiam: sicut alias obstrepunt: Tu de te Ioan. 8.
testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. Atqui, si quisquam velit contra vnum testem, tem- cipere iuxta legem, aut aliquis Iudæus & hostis Christi vt olim Porphirius & Iulianus refutare testimonium Ioannis, tanquam hominis, qui falli posset aut fallere, idcirco aliud irrefragabile testimonium restat, longe maius Ioanne. Opera diuinitatis, firmissima testimonia vt omne os obstruatur. Nullum sanè vnquã productum sunt hostes nostri, qui sic ad [illegible]ssim expleuerit omnia quæ de Christo vaticinati sunt prophetæ. Aut igitur eundem ipsum nobiscum confiteri coguntur, aut alium demonstrare. In Esaia dicitur, Tunc aperientur oculi cæcorũ, de excitatis mortuis, & similibus quæ om- Esaiæ 29.
nia in historia Euangelica expleta videmus. Quum ita- 35. 61. cap.
que sic ista se habeant, non relinquitur nobis amplius dubitandi facultas, ipsum esse eundem, de quo in præcedentibus dominicis doctum & auditũ fuit. An contemnendum putamus hunc ordinem? quis nisi demens nõ videat grauissimis de causis ista in Ecclesia hoc pacto esse instituta vt firmius in fide roboraremur, & maioré consolationem reciperent corda nostra Dominum Iesum esse, per quem, & in quo tam ingentia beneficia, & in isto, & in futuro seculo promittuntur, Quẽadmodũ ex Euangelio latius audituri sumus.

CVm audisset Ioannes in vinculis opera Christi mittens duos &c.] Matthæus hodierni diei historiam, post, duodecim Apostolorum missionem describit, sed sic vt non significet ordinem necessarium cum præcedentibus. Lucas vero eam sic subiungit præcedentis miraculi de excitato vaico filio viduæ, narrationi, vt & or-

d dinem

Universidad de Deusto
Biblioteca

dinē indicet, proinde hoc loco necessario Matthæi narratio cum Luca inserenda erat. Et ex sequentibus manifestissimum erit, missionem hanc discipulorum Ioannis ad Christum contigisse ante missionem Apostolorum, ante quam etiam patebit Ioannem in carcere fuisse decollatum. Porrò de ista Ioannis interrogatione, varia est apud interpretes sententia. Tertullianus enim lib. de præscription, dicit Ioannem desiisse certum esse de Christo, [illegible] certum est etiam non iam dubitasse Ioannem num alius esset Christus, qui venturus erat, & promissus à prophetis: Nam id edoctus à Deo, testificatus prius fuerat de ipso. Aut ergo temeritatis fuisse crimini obnoxius, si eum prædicauit quem nesciuit: aut perfidiæ si dubitatur de eo quem aliquando cognouit, idque diuina reuelatione. Quare oportet responsionem adinuenire, cuius rei gratia interrogatum Ioannes misit. Itaque Ambrosius quosdam scribit intellexisse Ioannē pietate quadam dubitasse [illegible] quem sciebat esse Christum, esset moriturus, tanquam id ipsi esset indignum, quomodo Petrus pietate permotus Domino mortē suam prædicenti dixit Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Gregorius verò & Hieronymus intelligunt simili fere modo, Ioannē interrogasse num Christus per seipsum esset vēturus ad inferos, vt sciret num illum etiam inferis deberet nunciare venturum, quē nūciauit terris venisse. Quibus intelligentiis in idem fere coincidentibus, videtur suffragari participium, venturus Illius enim occasione videntur quidam permoti, vt de futuro aliquo aduentu Ioannem interrogasse putent. Alioqui enim quorsum quærit num venturus, sit quem iam venisse sciebat? Verùm has intelligentias Diuus Chrysostomus planè reiicit, & meritò, quòd non possit videri probabile, Ioannem, qui maximus prophetarum dicitur à Domino, id ignorasse, aut de eo dubitasse, quod alij prophetę non solùm cognouerunt, sed & prophetarum scriptis reliquerunt, cùm etiam ipsum esse agnum Dei aliquoties testatus, fuerit idque non alia de causa, quàm quòd pro hominum redemptione offerendus esset Deo in ara crucis. Itaque rectius cum Chrysostomo, Hilario, Ambrosio, & aliis intelligitur, Ioannem

nem hac interrogatione non suæ, sed discipulorum ignorantiæ consuiere voluisse. Quoniam enim videbat discipulos sibi quàm Christo esse addictiores, & inuidere gloriæ Christi crescentis quotidie, ac nunciare sibi Christi miracula cum quadam indignatione & inuidia, pro discipulorum suorum correctione simulat ignorantiam, mittitque duos ex discipulis suis quos fideliores habuit, ad Christum, non dubitans quin inuisuri essent & audituri quædam, vnde eos certiores posset, & Iesum esse verum illum Christum, expectatum ostendere, ac rursum credens maiestate dictorum & factorum Christi commouendos esse ad excellentiorem de ipso quàm de se opinionem, sicque prouocandos ad sequendum Christum se relicto qui iam erat moriturus. Discipulis enim nunciantibus opera Christi quæ fama didicerant, noluit adhuc Ioannes de Iesu magnifica loqui præferendo illum sibi, quod sciret illos existimaturos humilitatis causa sese Iesu inferiorem agnoscere, quemadmodum frustra illis sæpius Iesum commendauerat. Voluit ergo ipsos maiestate dictorum & factorum Iesu conuinci, & quādoquidem ipse moriturus esset, in amicitiam Iesu insinuari. Qua in re pij præceptoris affectum in se suscepit Ioannes, vt qui cum ignorantibus voluit videri ignorans quemadmodum Paulus omnibus omnia fiebat. Sciebat enim illos pro seipsis Dominum accedere nolle, nec suam dubitationem aut ignorantiam profiteri apud Dominum nolle, proinde suo illos nomine mittit, & illorum ignorantiam in se suscepit. Deinde officij sui munus adimpleuit, mittendo suos ad Christum, docens à lege, cuius ipse typum gessit, ad Euangelium secedendum, nec præter Christum alium magistrum habendum. Quod autem Ioannes interrogare iussit, an Iesus esset, qui venturus non est intelligendum eum interrogare voluisse de futuro aliquo aduentu, sed an ipse is esset qui iamdiu à Iudæis venturus est expectatus. Non enim quærere iussit: Num ipse esset venturus, sed an esset, qui venturus esset, aut, vt habent Græca, an esset ὁ ἐρχόμενος, hoc, ille venturus. Porrò diuina prouidentia factum, est vt postquam discipuli

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioannis iam aduenissent. Dominus illis præsentibus multa miracula operaretur, ex quibus conuenientem haberet occasionem respondendi quæstioni illorum. Non enim conueniebat vt interrogatus, num ipse esset Christus, apertè diceret: Vtique ego summe dicere possent cum Iudæis: Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum: sed testimonium [illud] verum & miraculorum, quod efficacius est testimonio [verbi] profert, temittens eos ad Ioannem, nõ vt ille hinc instrueretur, sed hinc haberet certum argumentum quo illis [ostenderet] Iesum esse verum Christum. Ita tamen respondit, quasi hinc Ioannes docendus esset. Nam vt magna prudentia ac charitatis studio Ioannes in se discipulorum suorum susceptit dubitationem & ignorantiam, ita Christus magna eis respõdet prudentia, eorum dissimulans insciti am, nec eam apertè increpans, vt sic ad se eos suo tempore magis traheret. *Euntes, inquit, renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis.* Vidistis dicit, aut, vt habet Matthæus apud Græcos, videtis, propter miracula quæ oculis suis præsentes viderant. Auditis verò vel auditis dicit, tum propter auditam à Christo prædicationem, tum propter miracula quæ à præsente turba audierant Christum etiam prius fecisse. Nam quod dicit: Mortui resurgunt, non tum oculis viderant, sed alios narrantes audiuerant. Itaque hæc tum visa, tum audita Ioanni vult eos renunciare, quæ secundum Prophetarum vaticinia, manifesta erant signa ipsum esse Christum. Ad Prophetarum enim vaticinia in his verbis: Græci vident, claudi ambulant &c. alludsum est à Christo. Nam prior pars, nempe, cæci vidét, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, videntur alludere ad illud Isaiæ, quod signa aduentos Christi notantur. Ecce Deus vester vltionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, & saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebũt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum, quia scisse sunt in deserto aquę, & torrentes in solitudine. Quamquam enim hoc vaticinio magnifica quædam & lætæ rerum immutatio, & lætitia eorum qui deplorati habebantur, prędicta sit, eius tamẽ cùm

Isaiæ 53.

cùm velut specimẽ quoddam in præsenti Dominus exhiberet, corporalem adeò multis salutem restituens, non minus hic locus cum præsentia miracula faceret, impletus intelligi potuit, & ipse ex eis Christus agnosci, quàm supra Matthæus scripsit impletum illud Isaiæ Ipse infirmitates nostras tulit cum multorum morbos curaret, atque depellendo morbos corporis, animorum quoque se saluatorem declararet, *Pauperes euangelizantur.* His verbis, omnino alludsum videtur [illud] Isaiæ: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me euangelizare pauperibus misit me. Sic enim Isaiæ autoritatem citat Lucas capite quarto quam ex Hieronymi versione sic legimus: Spiritus Domini super me, eo quod vnxit me, ad annunciandum mansuetis misit me. Itaque omissis variis expositionibus huius partis: pauperes euangelizantur, omnium rectissimè accipitur hæc oratio secundum phrasim Græcam, pro eo quod, est, pauperes susciptunt & audiunt Euangelium, vel pauperibus prædicatur Euangelium. Huius Græcanicæ phrasis hæc est ratio, quod Attici vsurpant accusatiuum loco dativi acquisitivi, maximè vbi significant benè vel malè fieri cuipiam, vnde dicunt; εὖ με ποιεῖς. pro ἐμοί. Sic Matt. 27. τί με ποιήσω ἰησοῦν τον λεγόμενον χριστόν, id est, quid igitur faciam Iesum qui dicitur Christus? Hinc fit vt ad imitationem Græcorum passim legatur in sacris literis, benedicere & maledicere cum accusatiuo significante eum de quo quiuis bene aut malè loquitur, Cum ergo in passiua locutione accusatiuus mutatur illis in nominatiuum, sicut & Latinis, hinc loquuntur passiuè. Nam vt dicunt, εὖ ποιέζω σε, id est benefaciam te sic etiam passiuè dicunt, σὺ εὖ ποιεζῆσαι παρ' ἐμοῦ. Hinc cui quis benedicit aut malè loquitur, dicitur in scripturis benedici & maledici. Benedicimus, inquit Paulus & maledicimur. Sicut autem Græci dicunt benedico te, & benedico tibi, ita dicunt εὐαγγελίζω σοι καὶ σοι, euangelizo te & tibi: quare sicut dicunt quendam euangelizare pauperes, ita dicunt pauperes euangelizari ab illo, pro eo quod est, pauperibus Euangelium, prædicari. Potest & aliam habere rationem hæc phrasis etiamsi non diceretur Græcis εὐαγγελίζω σοι, sed tan-

1. Cor. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum, ὠιστεύθη μοι. Nam Græci in passiua locutione etiam datiuum acquisitiuum verbi actiui, mutant in nominatiuum, seruato accusatiuo ejusdem verbi. Nam quod dicũt, πιστεύω σοι τὸ πρᾶγμα, id est, credo tibi hãc rẽ, passiuè sic efferunt, σὺ πιστεύῃ τὸ πρᾶγμα, id est, tu concrederis hanc rem. Vnde primæ Timoth. primum dicitur, κατὰ τὸ εὐαγγέλιον ὃ ἐπιστεύθην ἐγώ, id est, secundũ Euangeliũ quod concreditus sum, pro secundũ Euangelium

Luca 2. quod creditum est mihi. Sic quod dixit Angelus pastoribus, Euangelizo vobis gaudium magnũ: passiuè sic illis dici potest, vos euangelizamini gaudium magnum. Et similiter quod dicunt, euangelizo pauperibus: passiuè sic dici potest, pauperes euangelizantur. Non est ergo sensus quem multi hic reddunt, pauperes Apostoli euangelizantur, hoc est, actiuè prædicant Euangelium. Porrò quòd Lucas citans autoritatem prædictam Isaiæ, habet pauperes, quomodo & hoc loco habetur, vbi ad illã autoritatẽ alluditur, cùm Hieronymus verterit, mansuetos, in causa est quod apud Hebræos parua sit differentia inter dictionem quæ significat pauperem, & eã quæ significet mansuetum. Nam Ani, est pauper, & Anau, est mansuetus, deriuaturque vtrumq; nomen ab eadem radice ac pro altero alterum ponitur, quòd ferè mãsuetudo sequatur paupertatẽ, sicut contra diuitias comitatur ferè ferocia. Itaq; pauperes quib. dicitur prædicari Euangeliũ, sunt pauperes spiritu, hoc est, animo afflicti, ac de se humiliter sentientes, qui iidẽ necessariò etiam sunt mansueti, & nequaquam cõtẽtiosi quemadmodum erant Pharisæi. His pauperibus & mãsuetis dicitur singulariter prædicari Euangelium, tum quod Euangelica prædicatio consoletur eos qui animo sunt mœsto. vnde sequitur apud Isaiam: Vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, &c tum quòd hi soli capaces sunt Euangelicæ doctrinæ & obedientiæ fidei. Vt enim superbia & ferocia conten-

Iacobi 1. tiosa est, & obid indocilis, ita contra mansuetudo docilem reddit. Vnde Iacobi 1. In mansuetudine suscipite

Eccles. 5. insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. Et Eccles 5. Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, vt intelligas.

Et beatus

Et beatus est quicunque non fuerit scandalizatus in me.] Secundum Diuum Gregorium, qui intelligit in proposita Christo quæstione Ioannem interrogasse de aduentu Domini ad inferos, intelligitur hac sententia beatus pronunciari, qui in morte quam perpessurus erat postea Dominus, non esset scandalizandus, vt sit sensus: Mira quidem facio, sed abiecta perpeti non dedignor, quia ergo moriendo te subsequor, cauendum valde est hominibus ne in me mortem despicta[illegible] qui signa venerantur. Verum secundum rectiorem prædictæ quæstionis intelligentiam, hac sententia Dominus percutere voluit & mordere conscientiam discipulorum Ioannis qui in ipso Domino scandalizabãtur, offensi humilitate conuersationis eius, quod non seorsum ab hominibus illa vitæ seueritate viueret, sicut ipsorum magister, ad hæc nullo alio, præter illa miracula, vitæ splendore insignis esset. Obseruanda autem mira Christi benignitas in hac sententia, qua discipulos Ioannis notat. Nam sic eis hac sententia diuinitatem suam prodit, cùm ostendit se occultorum esse cognitorem, vt tamen eorum passionem apertè aliis non detegeret, sed conscientiæ ipsorum qui sibi ipsis conscij erant, totam rem relinqueret, vt occulta huiusmodi redargutione, declarans simul & suam diuinitatem & benignitatem, illos magis ad se traheret. Porrò in Christo variis de causis contingit & contingit adhuc quosdam scandalizari. Quidam enim in communi conuersatione fuerunt scandalizati, quemadmodum hi discipuli Ioannis & Pharisæi, ex quibus quidam aliquando Dominũ rogauerunt, quare nõ iciunarẽt discipuli ipsius sicut discipuli Ioannis & Pharisæorũ. Alij rursum in cõuersatione ipsius cũ peccatoribus aut in eo quod externarum cæremoniarum legis & traditionũ à maioribus traditarum non videretur esse studiosus obseruator, sed ab externa legis obseruantia, legis ad interna potius reuocaret. Sed omnium maximè plurimi cruce Domini scandalizati sunt. Hac enim & Apostoli offensi sunt, sed ad tempus. Hac & Iudæi maximè alienati sunt à Christo, de quibus dicit Paulus: Nos, inquit, prædicamus Christum, Iudæis quidem scandalum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

gētibus verò stultitiam. Hodie quoque in Christo multi scandalizantur, vt qui non possunt approbare humilitatem eam quam docet in Euangeliis, & in suis exhibet Christus. Hanc enim non potest non mundi arrogātia fastidire. Deinde qui crucē quam ille imponit omnibus discipulis suis, ab eo alienantur, qui hic perdere animam, suam timentes CHRISTVM repudiant, atque ita iacturam faciunt vitæ æternæ. Bene ergo generali; [illegible]entia dicit: Beatus qui non fuerit scandalizatus, hoc est, [illegible]asus in me, hoc est, qui nulla in re absterretur ac repellitur, ne mihi tāquam vero seruatori fidem habeat, mihique indubitatus adhæreat. Beatus certè talis, quia in ipso Christo tuto salus sita est, ita vt vitam æternam habeat qui ei adhæserit: contrà verò damnatus sit, qui ab illo alienus fuerit.

Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne] Postquam Dominus per præcedentia satis egit pro curatione discipulorum Ioannis, restabat vt & multitudinem curaret, qui ex discipulorum interrogatione intelligere potuit Ioannem iam dubitare de Iesu num esset Christus cui prius tam eximia & multa perhibuerat testimonia, & ob id à Christo dictum iam fuisse contra Ioannem: Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. Itaque ne ex illa interrogatione Ioannes iam putaretur dubitare de eo quod prius asseuerat, & illa Saluatoris sententia putaretur propter Ioannem dicta, eum Ioannis discipuli abiissent (nam illis præsentibus Ioannem laudare non conueniebat, ne multitudo putaret assentatiunculis gratiam Ioannis Christum colligere) cœpit Ioannem multum commendare, eximendo eam de Ioanne suspicionem, quæ propter prædicta in auditorum mētem venire potuit. Et primum quidem instabilitatis & leuitatis suspicionem tollit, idque non ex sua statim sententia, sed ex ipsorum prius auditorum opinione ostendens eos non verbis solum, verùm etiam factis stabilitatem Ioannis attestatos fuisse. Dixit ergo: *Quid existis in desertum videre? Arundinem vēto agitatā?* ac si diceret: Cur omissis ciuitatibus atq; domibus vestris ac desertum omnes cucurristis? An vt videretis hominem similem calamo qui omni vento circūfertur,

tur, & leuitate mentis nunc hæc nūc illa sentiret? Certè nō potuissetis tanto studio in desertum impelli, tot tārumque ciuitatum populi, nec ita facilè omnes ex vniuersa Iudæa effusi ad Ioannem fuisseris, nisi magnum quendam & mirabilem virum, & adamantinis lapidibus firmiorem Ioannem putassetis. Arundini certè mobili similes sunt, qui non semper idem asserunt, sed huc atque illuc facilè pulsi, modo hæc, modò illa sentiunt. Sic & qui ab impetu passionum à rectitudine ratio[illegible] facilè prosternuntur, vt pro occasionum diuersitate nunc hæc, nunc illa velint & faciant. Contra quo præcipit Apostolus: stabiles estote & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper. Et Optimum est, inquit, gratia stabilire cor. Et Sapiens: Non te ventiles in omnem ventum, esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui. Et: iam non simus paruuli, nec circumferamur omni vento doctrinæ. *Hominem mobilibus vestitum*] Ne quis etiam putare posset Ioannem siue ambitionis, siue cupiditatis, siue lasciuiæ studio excidisse a sua stabilitate, & opinione quam de Christo prius habuit, ostendit deinceps ipsum ab his omnibus alienum fuisse, idq; ex vestitu rigido quo amiciebatur, & deserto quod incolebat. Si enim ambitionis studiosus fuisset, aut terrenorum commodorum, nequaquam desertū inhabitasset, sed regum & principum potius aulas. Et quòd lasciuia eius animum non emollierit & mobilem fecerit, declarat etiam desertū, declarat vestitus, declarat postremò & carcer, quamuis de eo Dominus tacuerit. *Etiam dico vobis & plus quam Prophetam*] Postquam autem Dominus efficacibus interrogationibus ostendit quid Ioannes non esset, nec obnoxium illum esse posse suspicioni vel instabilitatis & leuitatis, vel ambitionis & lasciuiæ ostendit deinceps quid sit, prius quidem opinionem populi quam de Ioanne habuit comprobans, cùm dicit: etiam, hoc est, vtique & certè dico vobis: deinde & suā de Ioanne sententiam pronuncians, cùm dicit & plusquam prophetam. Quod testimonio scripturæ probat dicens: *Hic est enim de quo scriptum est Ecce ego &c.*] Ex quo patet quare Ioannem dicat esse plusquam prophetam, nimirum quod reliqui prophetę venturum post se

1 Cor. 12. Heb. 13. Eccles. 5. Ephes. 4. Malac. 2: Quare Ioannes plusquam propheta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

post se Christum,& salutem ab eo sperãdam obscurius prædixerunt,Ioannes verò subingredièti Christo viam muniuit, populum ad pœnitentiam prouocans,eique præsentiam Christi attestans. Deinde quòd Angelus Dei meruit in vaticinio prophetæ appellari, nomen cõmune sortitus cum spiritibus cœlestibus,quod dignius est nomine prophetę. Tertiò,quòd non solum ipse prophetarit,sed etiam de eo sit prophetatũ. Has enim causas videtur indicare voluisse Saluator, cum probaturus Ioannem esse plusquam prophetam, adducit hoc testimonium. Lux ergo quam propheta Ioannes, quia etiã præcursor Christi,paranymphus spõsi, regni cœlorum primus prædicator,baptismi primus institutor,Angelus Dei, ab ipsis etiam prophetatus,idque verbis & factis. Itaque bene ob Ioannis excellentiam Dominus post prophetæ testimonium,sua iam sententia Ioannis præeminentiam paucis est complexus.

DOMINICA IIII. ADVENTVS

EVANGELIVM.

Ioan. 1.

IN illo tempore: Miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & leuitas ad Ioannem,vt interrogarent eum, Tu quis es? Et confessus est, & non negauit,Et confessus est, quia non sum ego Christus.Et interrogauerunt eũ: Quid ergo? Helias es tu?Et dixit:non sum,Propheta es tu?Et respondit,Nõ,Dixerũt ergo ei, Quis es?Vt responsum demus his:qui miserunt nos. Quid dicis de teipso?Ait: Ego vox clamantis in deserto dirigite viã Domini:sicut dixit Esaias Propheta.Et qui missi fuerant,erant ex Pharisæis.Et interrogauerunt eum,& dixerunt ei:Quid ergo baptizas si tu non es Christus,neque Helias,neque Propheta?Respondit ei Ioannes, dicens, Ego baptizo in aqua:medius autẽ vestrũ stetit quẽ vos nescitis ipse est qui post me vẽturus est,qui ante me factus est,cuius non sum dignus,vt soluam corrigiam calceamenti eius.Hæc in Bethabara facta sunt trans Iordanem,vbi erat Ioannes baptizans.

SAlutarem Iesu Christi aduentum vsque adeo Dominicis præcedentibus varijs multisq; argumentis mundo innotuisse didicimus,vt iam diutius Scribæ & Pharisæi dissimulare non potuerint, quin aliquem tumultuanti populo Messiam exhiberent. Finem siquidem hebdomadarum Danielis imminere, sceptrum de domo Iuda ablatum animaduertebant,audierant nuper de Magorum aduentu,de pastorum rumoribus, de concionibus,Simeonis & Annæ. Claudos sanari,cæcis visum, surdis ac mutis,auditus sermonisque vsum cõferri,populi cõcursum ad Christum,& faustas acclamationes: Hic est verè Propheta, qui venturus est in mũdum cognorant.Iam igitur de Messiæ aduentu deliberant. Aliquem(inquiunt) plebi statuamus Messiã necesse est, aut Iesum hunc Nazarenum sibi deligent. Quid igitur consilij?Habemus Ioannem Baptistam, rara & inusitata vitæ austeritate prædirum, prodigiosa etiam natiuitate clarum,ad hunc honestam aliquam legationem instituamus, qua Messiæ ipsi honorem, quibuscunque tãdem modis obstrudamus.Bene itaque Chrysostomus, liuore atque inuidia Iudæos inflammatos asserit, cur hos ad Ioannem legatos mandarent, vt omnem Christo honorem auferrent. Non quidem eo animo,vt crederent, & piis Ioannis monitionibus parerent,sed vt ad tempus saltem aliquod, populi flatarentur desideria. Nam Christus ipse inquit: Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati, vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.Quamobrem autem Christo Ioannem proponi cupiebant, causæ apud elatos & superbissimos pharisæos, fastus & arrogantiæ plenissimæ erant.Primum genesis claritas:Principis enim Sacerdotis erat filius: Deinde vita,& asperitate,& omniũ hominum cõtemptu insignis.Siquidem,veste,mẽsa, docolluit.Cõtra Christus,humili genere natus,& sæpe numero his verbis exprobrarũtinõne hic est filius fabri? Nõnne mater eius dicitur Maria,& frater eius Iacobus &Ioseph:Ex patriã vnde originẽ ducere putabatur,ignominia quadam notabant,vt inquit Nathanael,A Nazareth poterit aliquid boni esse? Præterea,conuersatio omnibus communis, & vestimenta nihil à vulgo differentia.Non enim zona pellicea cingebatur, neque pilosam vestem induebat,neque mellę & locustis vescebatur,sed cum omnibus eandem habebat consuetudinem,

Dan. 9.

Hom. 15. in Ioan.

Ioan. 5.

Ioan. 1.

Matth. 3. Luc. 1.

Mat. 13. Mar. 6.

infamium

Universidad de Deusto
Biblioteca

infamium hominum, & publicanorum conuiuiis adegerat, vt eos ad meliorem frugem alliceret, quod Iudæi ipsi exprobrabant, vt Christus inquit, Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt, Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Quum ergo frequenter Ioannes ab se Iudæos ad Christum, longè eorum opinione, inferiorem dimitteret, ægre ipsi ferebant, & rubore perfundebantur. Quippe qui Ioannem potius magistrum habere, quam Christum voluissent, palam tamen id dicere verebantur. Mittunt autem ad eum, vt per adulationem ipsum alliciant ad confitendum se Christum esse. Quamobrem non abiectos, & infimæ sortis homines mittunt, quemadmodū ad Christum, cùm vellent eum capere in sermone. Tunc *Mat.22.* enim seruos, & Herodianos destinarunt, nunc autem Sacerdotes & Leuitas, nec quoslibet sacerdotes, sed ab Hierosolymis, hoc est, maioris auctoritatis & nominis, quemadmodum in explicatione Euangelij latius audituri sumus.

Io

Miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes.] Quoniam superius suis dictis Euangelista inseruerat Ioannis testimonium, ob id iam explicatius illud describit, ostendens qua occasione, & quando, ac coram quibus de Christo testificatus sit, non scilicet coram credulo vulgo tantùm & humilibus arbitris, sed apud grauem & verendam legationem eorum qui apud Iudæos, erant primi, nempe Hierosolymitarum: quæ legatio constabat ex leuitis & sacerdotibus, iisque ex laudatissima inter Iudæos secta Phariſæorū. Proinde sicut excellētia & mittentium & missorum ostendit in quanta autoritate fuerit apud Iudæos Ioannes[6]: ita testimonium Ioannis coram talibus legatis à populo Iudaico missis redditum de Christo, factum est celebrius, Domino negotium hoc ita dispensante, partim in gloriam filij sui, partim ne haberent Iudæi quod prætexerent suæ incredulitati, & impietati in Christum commissæ.

Et confessus est, & non negauit, & confessus est: Quia non sum ego Christus.] Illa: & confessus est, & non negauit, & confessus est: quidam ad diuersa referunt, intelligentes, Confessus est, quid non esset: & non negauit, quid esset.

esset. Sed rectius idem hæ partes accipiūtur significare. Consueta est enim hæc verborum cōgeries huic Euangelistæ, nec hoc loco otiosa. Nam illa significare voluit constantiam & libertatem Ioannis in asserenda veritate, qui cùm tātus haberetur, vt, si voluisset, Christus credi potuisset, cupiditate falsæ gloriæ superari non potuit vt aliud quàm sciret respōderet. Sensus ergo est, Et confessus est veritatem, & nō negauit eam. Quæ autem sit hæc veritas, quàm non negauit, sed confessus est, explicat dicens: Confessus est se non esse Christum. Verum cum nō interrogaretur an esset Christus, sed quis es, quare respondit se non esse Christum? Dicunt quidam, Ioannem sentientem quorsum id interrogarent, nimirum vt scirent num esset Christus, qui illis temporibus venturus expectabatur, respondere potius voluisse cōtum suspicioni & præcipuè intentioni, quàm propositæ quæstioni. Sed rectius cum Caietano dicetur, legatos prima interrogatione quæsisse num ipse esset Christus: hanc autem interrogationem Euangelistam insinuasse per responsionem Ioannis, quæ talem interrogationem præsupponit. Cū enim prius dixit missos legatos vt interrogarent eū: Tu quis es? nō voluit eam tuisse primā quæstionem qua Ioannem aggressi erant, sed tantū materiam legationis descripsit: verba autem interrogatoria quibus legati primò vsi sunt omisit, satis tamen Ioannis responsione & subsequentibus quæstionibus insinuans?

Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit Non sum.] Quoniam confessus erat se non esse Christū, suspicabantur eum posse esse Eliā, tum quod Malachiæ vltimo promittitur Elias venturus ante Christū, cuius aduentum tunc saltem instare non dubitabant, tum ꝙ vita vestitúsque Ioannis, moribus Eliæ assimilarentur. Verū verisimiliter cùm hi scierint Ioannē esse Zachariæ filiū quomodo putare potuerunt eū esse Eliā, qui viuus translatus fuit, sine natiuitate rursus inter homines apparituros? Ad quod dici primo potest, hos vel dubitasse, vel ignorasse ortum Ioannis ex Zacharia, aut dubitasse quo modo implenda esset illa prophetia Malachiæ Eliā promittentis. Sed rectius dicetur, creditam olim Iudæis, sicut & nunc, παλιγγενεσιαν, hoc est, iteratam generationem, *Malach. vlt.*

nem,quam & Pythagoras docuit.Ex qua opinione Herodes putabat Ioānem quem decollauerat in vitam redisse,& Iesum iam vocari.Ex quo eodem errore & vulgi pars Dominum Heliam , pars Ieremiam,aut alium quempiam ex prophetis esse putabat. Sic & nunc eadem ducti opinione interrogant num Ioannes sit Helias Ipse verò respondet se non esse Heliam,quamuis fuerit Helias in spiriut & virtute, propter quod à Do-
Matt.11. mino dictus fuit Helias Matth.11. Non enim erat, vt ipsi putabant,Helias in persona, & ille ipse Helias qui viuus raptus fuit in cœlum.Atque ex eodem errore rectissimè intelligetur eos tertiò interrogasse: *Propheta es tu?* aliquis scilicet ex prioribus prophetis , quemadmodum Christus à vulgi partu habitus est. Obtinuerat enim apud Iudeos olim error,non esse sanctos aut prophetas , nisi seculi superioris. Ideóque negauit Ioannes se esse prophetam , talem scilicet de quo quæsierant , cùm alioqui secundum testimonium Zachariæ & Christi verè esset propheta.Simplicius & rectius Augustinus,qui intelligens Ioannem simpliciter interrogatum num esset propheta , sentit , eum negare se esse propheram secundum eum modum quo propriè dicitur propheta,qui futura prædicit,& quales fuerunt alij prophetæ,qui a longè venturū Christum prædixerunt, cùm Ioannes præsentem christum digito demonstrauerit,ac ob id plusquam propheta sit dictus.Chrysostomus verò & Cyrillus intelligunt propter articulum qui est in Græco, ὁ προφήτης,non interrogatum Ioannem in genere num esset Propheta,sed an esset ille propheta,
Deut.18. de quo Deuteron 18.Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus ipsum audies.Sicque dicendum Iudæos tum non intellexisse eundem fore Christum, & prophetam ibi promissum,sicut non intellexerunt Heliam non quidem ante primum Christi aduentum , sed ante secundum venturum.At hæc intelligentia parum est probabilis, tum quod si Iudæi de certo aliquo vate interrogassent alio à Messia aliam viterius subiecissent interrogationem,videlicet si nō ille vates,es ne alius vates ?id quod non faciunt,sed quasi nō habentes quod nominent amplius

plius,concludunt:Quid ergo baptizas , si tu nō es neq; Helias,neque propheta?tum quod hic iam articulus in multis libris non addatur, vt magis dicendum sit eum etiam prius superuacaneū fuisse, vt sæpè est apud Græcos. Itaque simplicior est Augustini sententia , quam & comprobat Ioannis responsio,qua declarat se præcursorem esse Christi iam præsentis,quem prophætæ omnes prædixerunt venturum. Ego *vox clamantis in deserto dirigite viam Domini, &c.*]Bene quidem Ioannes exponit a quo quis esset,his maximè quibus scripturæ notæ erat Isaiæ testimonium depromit, ne sibi videretur quod erat humana temeritate arrogare , simul etiam docens se nihil aliud esse quàm præcursorem Christi, & ipsum iam Dominum adesse,quē oporteret purgatis cordibus suscipere.Consimili etiam ratione Matthæus cap.3.(Cum à Marco dictum esset,baptizasse & prædicasse Ioannem secundum Isaiæ vaticinium) loquitur. Hic est, enim. de quo dictum est per Isaiam Prophetam dicentem Vox clamantis in deserto , &c. Nondum enim à Marco expresse dictum fuit de Ioanne istud vaticinatum fuisse Isaiam.Porrò testimonij huius prima pars , à tribus Euangelistis , Matthæo , Marco & Luca , citatur eisdem omnino verbis , idque secundum Septuaginta interpretes,non secundum Hebraicam veritatem. Nam Hebræa ad verbum sic habent:Vox clamantis , aut vox clamans in deserto,parate viam Domino, rectam facite in solitudine semitam Deo nostro.Et iūgitur in Hebræo illud,in deserto,cum sequentibus, nempe sic:Vox clamantis vel clamans in deserto , parate viam Domini,vel Domino : vt respondeat sequenti particulæ: rectam facite in solitudine semitam Deo nostro. Septuaginta vero illud,in deserto , præcedentibus coniunxerunt , & omiserunt illud,in solitudine. Deinde quod Euangelistæ habent, semitas eius , pro quo in Hebræo est semitam Deo nostro, etiam Septuaginta consentiunt cum Euangelistis secundum editionem Complutensem: secundum editionem autem Aldinam apud Septuaginta est, τρίβους τοῦ θεοῦ ἡμῶν, hoc est semitas Dei nostri , quomodo etiam Hieronymus Septuaginta adducit.Videatur enim Euangelistæ illud,Dei nostri,data

opera

opera mutasse in pronomen, eius, ne quem offenderent vocando apertè Iesum, Deumque appellatione ratius Christum Euangelistæ & Apostoli vocant, satis tamen significantes eum verè Deum esse. Iam & quæ deinceps solus Lucas citat longius prosecutus Isaiæ testimonium, secundum Septuaginta, vulgatam & Græcam editionem adduxit. Nam eadem omnino sunt apud Lucam verba quæ apud Septuaginta, nisi quod pro eo quod hic habet 1. [illegible] hoc est, erunt obliqua in rectam scilicet viam, & aspera in vias planas. Septuaginta in æditione Cõplutensi habent, [illegible], hoc est, in rectum, & aspera in campos planos. Aldina tamen editio eodem habet modo quo hic habent Græci codices. Ante autem vltima verba hæc: & videbit omnis caro salutare Dei, omittitur à Luca quod est apud Septuaginta, [illegible], & reuelabitur gloria Domini. Cæterum totum hunc locum Hebræa habent ad verbum hoc modo: Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabuntur, & erit prauum in rectum, & quæ aggeribus tument in planiciem, Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum sit. Hieronymus verò in sua versione in quibusdam Septuaginta imitatus est, quod sensus omnino esset idem. Porrò quo melius Isaiæ prophetia de Ioanne intelligatur, videnda diligenter quæ præcedunt. Itaque Isaias cum multis & claris prophetis prædixisset Iudæorum captiuitatem in Babylonem, & imperij Babylonici suo tempore per Cyrum cessationem, à principio capitis 40. vsque ad finem incipit prædicere liberationem per Cyrum futuram à Babylonica captiuitate, & maximè sub illius typo liberationem electorum futuram per Christum in Cyro adumbratum. Consolamini, inquit, consolamini, id est consolationem suscipite populi mei, dicit Deus vester. Aut potius adiuuè, sicut alij vertunt, & sequentibus magis conuenit, Consolamini, consolamini populum meum, vos scilicet Prophetæ & doctores. Loquimini ipsi Hierusalem ad cor, hoc est, blandè & benignè (est enim Hebraica phrasis, loqui ad cor) & aduocate eam, hoc est, vt habent apertius

apertius Hebræa clamare ad eam, quod completa sit militia eius: sic enim legendum esse, & non, militia, constat ex Hebræo, nam est eadem dictio quæ apud Iob: Militia est vita hominis super terram. Completam autem dicit militiam, hoc est tẽpus captiuitatis eius, quo cum multis malis infœliciter illi semper fuit confligendum. Ideóq; hanc militiam, Christo scilicet pro bonis hostes nostros superante, completam dicit, quia dimissa est iniquitas ipsius Hierusalẽ. Cuius remissionis causam subiicit: quoniam suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis: hoc est secũdum Hieronymum, abundè sæuam castigationem. Secundum quosdam tamen significatur pro omnibus peccatis nostris contigisse ex gratuita Dei bonitate, nullis nostris meritis, duplicia bona, nempe peccatorum remissionem cum liberatione à malis, & adoptionem filiorum cum bonorum omnium cœlestium plenitudine. Quoniam aumissus est Ioannes, mox de eo subiungit, dicens: Vox clamantis in deserto, supple, erit vel audietur. Intelligi autem potest significari ipsum Ioannem esse vocem Dei clamantis per ipsum, quandoquidem ipse de se in hodierno Euãgelio dicit interrogatus quis esset: Ego vox clamantis in deserto. Aut potius intelligendum ipsum Ioannem esse eum qui dicitur clamare sua voce, vt sit sensus: Vox viri clamantis in deserto audietur. Nam quod dicit de Ioannes: Ego vox clamantis in deserto, &c. sic potius secundum interpretes accipiendum est: Ego sum de quo scriptum est, Vox clamantis, &c. Hebræa tamen etiam verti possunt, Vox clamans, secundum quàm versionem rectè intellexerimus ipsum Ioannem vocari vocem, iámque locus magis erit distinctioni antiquorum etiam patrum, annotantium Ioannem vocari vocem, Christum verò verbũ, eò quòd vox præcedit, verbum autem sequitur, vóxq; ipsa verbo inferior sit vtpote inarticulata. Vnde Ambrosius: Bene Ioannes vox dicitur verbi prænuncius, quia vox præcedit inferior, verbum sequitur quod præcellit. Idem Greg. & Theophyl. Clamare autẽ dicitur Ioannes propter publicam & lætam ipsius prædicationem. Quid

verò clamaturus esset subiicit, dicens: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Hic autē diuersi diuersimodè accipiunt viam & semitas Dei, quidam etiam intelligentes aliud per viam, & aliud per semitas. Nam Theophyl. in Lucam, per viam intelligit vitam Christianam: per semitas, mandata legalia. Aut per viam, animam: per semitas, operationes. Verùm simplicius est accipere vtramq; partem pro eodem cùm nō sit Hebraismitas, sed semitam. Deinde accipere vtramque orationem tropicè, vt dictum est in cātico Zachariæ, vt parare viam Domini, & rectam facere semitam eius, nihil aliud sit quàm auferre omnia quæcunq; aduenientem Dominum remorari aut offendere possent, efficeréq; vt expeditè recipiatur ac cupidè. Cùm enim reges cupidè excipiūtur, via illis magno studio præparatur, amouendo primum quęcūq; in via occurrere possent, & deinde obliquiores vias ad rectitudinem redigendo. Quæ autem apud Lucam ex Isaia sequuntur, dupliciter intelligi possunt. Primùm eni..., quoniam in eis ponuntur verba futuri temporis, sic accipi possunt vt per ea significetur prædici quæ per Domini aduentum erant euentura, & secundum hunc sensum coniungit Theoph. hæc cum præcedentibus in hunc modum: Quoniam interrogare quis posset, quomodo parabimus viam Domini, & rectas faciemus semitas eius. Virtus enim ardua est & difficilis, multosque habet anfractus & obliquitates, tum propter aduersarias potestates, tum propter affectiones in nobis habitantes. Ob id respondet, docens non fore istud operosum, sed omnino facile, eò quod Valles sint implēdæ, hoc est, naturales nostræ inclinationes ad res infimas propensæ, per Euangelicam gratiam sint perficiendę, adiecto eis quod deerat, nempe pietate & virtute: montes verò ac colles humiliandi ac deprimēdi, hoc est, aduersatiæ potestates quæ per superbiam sese erigebant, Christi virtute deiicientur. Erasmus verò intelligit exprimi ob id innouationem per Christi aduentum futuram, vt significaretur merito parandum viam ei qui tantam rerum mutationem erat inuecturus. Secundum quem sensum, per valles etiā rectè acceperit quos diotas ac peccatores cōrēptos apud homines, qui impleudi

plendi erant gratia Euangelica, & erigendi ad consortiū regni cœlorū: per montes verò, & colles, eos qui sublimes erant apud homines opinione sapiētiæ ac iustitiæ, qui humiliandi erant siue quòd eorum falsa præsumptio per Euangelij prædicationem erat propalanda & redarguenda siue quòd supercilium suum sponte positiri essent quo capaces fierent diuinæ institię ac sapientię. Alij verò etiam aliter vallem & montem accipiunt. quomodocunque autem accipiatur, omnis ... non ... test accipi, vt significet vniuersum, sed tantùm vt significet multitudinem secundum phrasim scripturæ. Iam quomodo secundum hos sensus quæ sequūtur intelligi debēt, satis manifestum est. Praua enim, hoc est obliqua facta sunt per Christum in directa vel recta, & aspera in vias planas, cùm vitiorum ac cupiditatum obliquitates & asperitates reductæ sunt ad rectitudinem & planicię virtutis cùmq; obliquitas & asperitas veteris legis immutata est in rectitudinem & lenitatem Euangelij. Secundò, quę hic per futurum indicatiui dicūtur, quatuor primis membris accipi melius possunt dicta adhortando, quemadmodum id quod præcedit: Parate viam Domini &c. Hebræis enim frequens est futurum indicatiui ponere pro imperatiuo, maximè in tertia persona, eo quod apud eos imperatiuus careat tertia persona, pro qua proinde necessario abutuntur tertiis personis futuri. Itaque sensus erit continuus & vnus: Parate viā Domini, omnis vallis adimpleatur, omnis mons & collis deprimatur & sint praua in recta, & aspera fiant in vias planas. Sic enim futurum est vt omnis caro videat salutare Dei. Atq; in hunc modum intellexisse Hieronimū hunc locum satis apparet, ex eo quod scribit in commēmorat Ioannes, qui sermonis Dei præcursor & preuius, rectę vox appellatur, sed vsque hodie in deserto gentium, Ecclesiarum clamant magistri, vt rectas faciamus vias & semitas in cordibus nostris Deo, impleamurque virtutibus, & inclinemur humilitate, praua mutemus in recta, aspera vertamus in mollia, & sic gloriā Domini & salutare Dei nostri videre mereamur. Secūdum hunc autem sensum longè probabiliorem, his verbis: omnis

Universidad de Deusto
Biblioteca

vallis implebitur,&c. ostenditur quomodo quod prius dicitur peragi possit, nempe quomodo possint homines parare viam Domini, persistitúrque pulchrè in metaphora à qua ceptum est. Cùm enim principi alicui aduenturo via paratur quo sit expedita,valles implentur terra,montes complanantur,obliquiores viæ ad rectitudinem rediguntur,& asperitas omnis auferuntur,quo recta simul & plana sit via principis.Ita ergo & modo dicitur:omnis vallis adimpleatur,&c.Per quas metaphoras significatur tollenda omnis vitiorum difformitas pusillanimitas scilicet,superbia,iniusticia, & asperitas morum.Nec est secũdum hũc sensum necesse curiosius exprimere quid per vallem,quid per montem aut collem significetur, cum, vt satis patet, metaphoricæ sint locutiones, significantes simpliciter semouendum esse quicquid aduentum Domini ad nos inexpeditum facere posset,nihilque omittendum quod quo declaremus eum nobis gratum esse & acceptum: quanquam non male metaphoras has qui explicauerit apertius secundum modum in priori sensu indicatum,vt valles dicat impleri & eleuari, cùm pusillanimes & desperati sese erigũt ad spem gratiæ Dei,cumq; humilibus huius mundi rebus addicti ad cœlestium subleuantur bonorum desideriũ:montes verò humiliari,cũ qui prius præsumptione sapientiæ aut institiæ tumebant& eleuabũtur, sese per humilitatem deprimunt, sicque in reliquis.Videndum aũt quàm hæc prophetia Isaiæ,qua dicitur quid clamaturus sit Ioãnes,coincidat cũ eo à quo Matthæus dicit Ioannẽ auspicatum suam prædicationem.Nam quod dicitur apud Isaiam Parate viã Domini,& omnis mons humilietur, vallis autem impletur,&c. nihil est aliud, quam pœnitentiam agite quodque dicitur in Isaia:Videbit omnis caro salutare Dei nostri:idẽm est cũ eo:appropinquauit enim regnũ cœlorũ.Porrò emphasim habet quod dicit:omnis caro videbit,hoc est.nõ Iudæus tantũ aut Proselytus videbit,sed omniũ.omnino gentiũ nationes.Carnem verò synecdochicè pro toto posuit homine,vt alibi frequẽter nomẽ tamẽ carnis ponus quam hominis ideo videtur posuisse,quo significaretur Dei salutare videndũ,nõ ita vt

vt prius oculis solùm mentis & fidei,sed etiam oculis corporalibus,Deo scilicet saluatore hominum iam incarnato. Nã Per salutare Dei rectissimè hic intelligitur ipse Christus,per quẽ salutẽ nobis Deus pater attulit: quemadmodum in cantico Simeonis, salutare istud dicitur paratum ante faciem omnium populorum. Quamuis autem ad significandum istud rectè dixerimus hic dictum, caro videbit: certum tamen Prophetam potissimum loqui de visione,qua per fidẽ mentis hominis agnoscit Christũ secundum nomen suum verè esse salutare Dei,& saluatorẽ in Propheti promissũ.

Et qui missi fuerant erant ex Pharisæis Et interrogauerunt eum & dixerunt. Ex Pharisæis dicit fuisse qui missi fuerant,vt insinuaret arrogantiam eorum & inuidiam in subsequentibus. Pharisæi enim propter religiositatem suæ sectæ multum sibi autoritatis arrogabant,nec quemquam præ se honorari patiebantur, atque ob id posteaquam Ioannes dixit se neque Christum esse neque aliquem ex prioribus prophetis,tantũ propriæ scientiæ & autoritati tribuebant, vt ansi essent Ioannem de baptismo eius reprehendere ac decernere non licere ei baptizare populum,non iam amplius loquentes ex nomine eorũ qui miserunt eos, sed ex propria autoritate,negligentes ex insita eis arrogantia Bmeritò intelligere debuissent. Itaque quoniam ex scripturis intellexerant baptisma quoddam in remissionem peccatorum instituendum tempore Messiæ,ac tale videretur esse baptismo Ioannis,culpant eum quod baptizandi nouum ritum sibi vsurparet, cum neque esset Christus neque Helias, neque quisquam antiquorum prophetarum.Et est sensus: Quid baptizas? hoc est,Vnde tibi sumis authoritatem,vt baptismo, re noua & inusitata, homines ad pœnitentiam ante actę vitę prouoces, cùm id non videatur posse competere nisi ei qui vel sit Christus, vel quispiam priscorum prophetarum? Verum horum arrogantiæ modestè simul & appositè respondet Ioannes indicans & baptismum suum nõ esse se indignum,vt qui imperfectus esset,in aqua scilicet solùm consistens,& præpa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratorium esse ad efficacem Messię baptismum quod significat cùm post se venturũ dicit eum qui adeo sit ipso superior vt indignus sit minimi serui locũ apud ipsum obtinere. Ego, inquit, baptizo vos tantùm aqua, ac proinde nihil facio quod non possit non competere ei qui neque sit Christus, neque quisquam atiquorũ prophetarum. Verùm alius quispiam à me non iam procul [illegible]st, imo inter vos iam aliquandiu conuersatus est, & conuersatur tanquam vnus ex vobis, quem ego quidem quantus sit, satis noui, vos autem, propterea quod earũ rerũ pom[illegible] sese nõ venditat, ex quibus homines æstimant hominis excellentiam, nõ cognoscitis quantæ sit dignitatis & præeminẽtię. At ego vobis dico, ipse est ille de quo dixi aliquando post me venturus sit, dignitate tamen adeo me prior, vt agnoscam me indignum qui infirmum seruitutis officium illi impendam. Vt igitur secundum Isaiæ de me vaticiniũ mea prædicatione populum præparo ad susc[illegible]piendum illius prędicationem: ita ob id baptizo in aqua, vt meo qualiquali baptismo vos præparem ad illius baptismum efficacissimum. Ipse enim vos baptizabit, non in aqua tantùm, sed etiam in spiritu sancto. Hęc Ioannes. Verisimile enim est eum postquam dixisset, Ego baptizo in aqua: adiecisse in fine: Ipse vos baptizabit in spiritu. Alioqui enim non satis ostẽdisset quod quærebatur videlicet cur baptizaret. Hãc tamen partem Euangelista Ioannes omisit, quod ab aliis Euangelistis omnibus satis esset explicata.

Hæc in Bethabara facta sunt trãs Iordanẽ, vbi erat Ioannes baptizans.] Bethabara legendum esse & non Bethania admonent Chrysostomus, Theophylactus, Origines, quod Bethania citra Iordanẽ esset prope Ierusalem, nisi quis fateatur duas fuisse Bethanias. Porrò locũ in quo hoc celebre de seipso & Christo Ioannes perhibuit testimonium, Euangelista descripsit, partim propter historiæ certitudinem, partim vt ostenderet multis præsentibus hæc Ioannem prædicasse, ideóque adiecit: vbi erat Ioannes, baptizatus. Quibusdam videtur locũ hũc Bethabara sic dictum, quod in eo esset traiectus Iordanis. Nomen enim hoc significat locum vel domum trãsitus. Ideóque in hoc loco Ioannem baptizare cœpisse,

& quod ob loci frequẽtiam multa illic semper esset hominum multitudo. Hinc consugit Christus declinans Iudæorum furorem vt scribitur Ioan. 10. Bethabaræ etiam sit mentio Iosuæ 18. inter ciuitates tribus Beniamin. Animaduertendum autem in his omnibus, idque in exemplo nostro, quanta fuerit Ioannis in prædicanda veritate constantia & libertas, quanta humilitas, quanta denique in respondendo non solum prudentia, sed etiam mansuetudo. Nihil enim asperum his iegerespondit quamuis insolentes essent, & increpare viderentur eius baptismum, eius rationẽ ex Isaiæ testimonio intellexisse oportuit: sed veritatem ipsam modestè non dedignatur aperire etiam his qui non simplici animo rogauerant, idque tum nomine eorum à quibus missi erant, tum eorum causa qui ex populi multitudine tunc aderant auditores, docens etiam impiis aliquãdo veritatem aperiendam, cùm ita aliorum astantium postulat vtilitas. Ioan. 10. Iosue. 18

IN SACRATISIMO FESTO NATIVITATIS DOMINI

EVANGELIVM.

IN illo tempore Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino. Et ibãt omnes vt profiterẽtur singuli in ciuitatem suam. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem Dauid (quæ vocatur Bethlem) eò quod esset de domo & familia Dauid vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem cùm essent ibi impleti sunt dies vt pareret. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involuit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat illis locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem, vigilãtes & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere. Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis si-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſuum inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Et ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Leo Ser. 1. de Na. Domini.

SAluator noſter hodie natus eſt, dilectiſſimi, gaudeamus: neque enim fas eſt locum eſſe triſtitiæ, vbi natalis eſt vitæ, quæ conſumpto mortalitatis timore nobis ingerit de promiſſa æternitate lætitiam. Nullus ab huius alacritatis participatione ſecernitur, vna cunctis lætitiæ communis eſt ratio, quia Dominus noſter peccati, mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. Hodie dies redemptionis, reparationis antiquæ, & fœlicitatis æternæ illuxit. Hodie à ſeculis vniuerſo orbi Meſſias Saluator, atque redemptor promiſſus, nobis eſt natus: hodie feſtum, in tota per orbem Eccleſia, omnium feſtorum maximè venerandum adorandumque celebratur, quod ſi quis appellet omnium feſtorum metropolim, haudquaquam aberret. Quod autem hoc eſt? Chriſti iuxta carnem natiuitas: Ab hoc enim illuſtratio diei, feſtum videlicet Epiphaniorum, ac ſacrũ Paſcha, Aſcenſio, & Pentecoſtes originem, ac fundamentum ducunt. Niſi enim ſecundum carnem natus eſſet Chriſtus, nequaquam baptizatus eſſet, nam id feſtum Theophaniorum: nequaquam fuiſſet crucifixus, nam hoc feſtum Paſchæ: nequaquam miſiſſet Spiritum ſanctum, quod eſt feſtum Pentecoſtes. Itaque ab hoc cen fonte quopiam hi diuerſi omnes orti, nata ſunt nobis hæc feſta. Verum non ab hoc tãtum par eſt hunc diẽ cæteris anteponi, ſed etiã ob id, quod id quod in hoc natũ eſt, cæteris omnib⁹ eſt venerabilius. Nam quod Chriſtus homo factus mortuus eſt, cum nullum omnino peccatum perpetraſſet, quid huic amplius poterit adiungi miraculo. Sed mortale corpus aſſumpſit, erat quidem & hoc admirandum. Cæterum, quod Deus cum eſſet, voluerit homo fieri, tãtumque ſe demittere ſuſtinuerit, quãtum ne cogitatione quidem complecti queas, hoc eſt omnium maximè reuerẽdum, ſtuporiſque plenum. Quod quidem & Paulus admirans, dicebat. Sine controuerſia, magnum pietatis

D. Chryſ. Ser. de B. Phiſogonio.

1. Timo. 3.

tatis myſterium. Quod magnum? Deus declaratus in carne. Ac rurſum alibi: Non enim Angelos apprehendit Deus, ſemen Abrahæ apprehendit. Gaudeat itaque vniuerſa Chriſti Eccleſia, iterum dico, lætetur & gaudeat, exultent filij Dei, ſerui altiſſimi. En, adeſt angelus, verum nobis Euangelium annuncians nimirum, CHRISTVM IESVM natum, & hominẽ eſſe factum. Eia, dilectiſſimi, ſi Chriſtus ſaluator, dux Aduocatus, & Mediator noſter aduenit, tuta & ſalua ſunt omnia: Conſolamini, conſolamini fideles, quia Dominus veſter præcipit. Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui Euangelizas Hieruſalem. Exalta noli timere, Dic ciuitatibus Iudę Ecce Deus veſter. Ecce Dominus Deus in fortitudine venit & brachium eius dominatur. Aut ſi angeli vocem audire placet: Annuntio, inquit, vobis gaudium magnum, quia natus eſt hodie Saluator mundi in ciuitate Dauid. Exultent igitur hodie omnes nationes gentium, quia hodie iuſtum ſuum videbunt, & cuncti reges inclitum ſuum. Exulter, inquam populus gẽtium, quia, qui hactenus ambulauit in tenebris, vidit lucem magnã, & habitantibus in regione vmbræ mortis, lux magna eſt exorta. Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Cuius quidem paruuli miraculoſam natiuitatem, fideliſſimus hiſtoriographus Lucas, ſequentibus verbis accuratiſſimè deſcribit.

Ad Heb.

Eſa. 40.

Eſa. 62.

Eſa. 8.

EXiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.] Decretum promulgatum eſt anno ab vrbe condita 752. ab orbe vero condito 3970. anno autem 42. vel circiter imperij Octauij Cęſaris, qui Auguſti nomen primus accepit à populo Romano, cum occiſo Antonio, & Ægypto ſubacta triumphans Romã rediiſſet. Hic itaque multis vbique prouinciis Romano imperio ſubiectis, anno 42. imperij ſui cùm Romanus, totique orbi ab omnibus bellis tanta eſſet pax, quanta prius nunquam alicui monarchiæ contigerat, templum Iani tertiò clauſit, manſitque deinceps clauſum duodecim annis, vt iam fores rubigo corripuerit, teſte Oroſio. Igitur hoc anno altiſſima ac generali pace orbi præſtita,

Universidad de Deusto
Biblioteca

decretum est vt describeretur vniuersus orbis, quo cognoscerent quàm latè pateret Romanum imperium. Extauit autem in tempore quo descriptio hæc facta est Iosephus. Siquidem vt patet lib.antiq.18.cap.1.factam putat postquam Archelaus,qui Herodi patri successerat priuatus regno Iudęorum in exilium Viennam missus fuerat,& iã Copeni⁹ primus factus esset præses Iudęæ, anno scilicet imperij Octauij.51.vel circiter. Porrò descriptio hęc orbis,cum non satis eius modus & qualitas hic exprimatur, dupliciter intelligi potest esse peracta. Nam descriptio aliquando fiebat,vt cognosceretur numerus hominum qui imperio vel regno subessent:sicq; descriptio nihil aliud est quam numeratio & annotatio eorum qui principi nomen dant,subiectosq; se profitentur,quomodo & militum solet fieri descriptio. Aliquando autem fiebat, vt cum numeratione hominum etiam sciretur quantum quisq; haberet in facultatibus, vt secundum diuitiarum proportionem vnusquisque tributum principi penderet. Vnde qui appretiabantur hominum facultates,censores dicti sunt,à censendo, hoc est, æstimando,& census,bonorum æstimatio, aut id quod vnusquisque pro suis diuitiis pendere cogebatur: & censum agere, idem quod recensere hominum facultates. Atque hoc secundo modo factam hanc descriptionẽ testatur Iosephus,Dicit enim lib.anti.18.cap.1.Porrò Iudæi,licet in ipsis initiis descriptionis nomen dirum haberent,subiiciuntur tamen ne amplius resisterent persuadente illis Pontifice Iozaro,Et illi quidem eiecti ratione pontificis depretiare suas permisere substantias, nihil hæsitantes Priori tamen modo magis peractã hãc descriptionem siue scilicet appretiatione bonorum, apparet partim ex Orosio, partim ex his quæ dicit Lucas. Si cum singulorum bona in hac descriptione appretiabantur,non conueniebat vnumquemque ascendere in eam ciuitatem vnde erat oriũdus,sed potius ibi describi vbi habitabat,& domũ possessioneq; habebat. Verum quoniam capita eorum qui nomen darent Cæsari annumeranda erant, necesse erãt Iudæis in vnam conuenire ciuitatem vnde erant oriundi. Nam Iudæorum mos erat,vt si quandõ numerarentur, describerentur in

sua tribu & familia.Certum tamẽ est in hac descriptione à singulis,dum nomen suum darent, etiam nũmum aliquem in subiectionis professionem datum,sed qui videri potest omnibus futile idem,qui etiam cẽsus dictus est sicut in numeratione populi apud Hebræos debebat vnusquisque recensitus secundum legem Moysi dare dimidium sicli,iuxta mensuram templi.Et quidẽ de nummo dato in signum subiectionis in hac actione census patet. Nam Iosepho teste, Iudas quidem Galonites Saddocum Phariſæum sibi adiungens, cùm Pontifex prædictus suaderet non repugnare Romanis, cessionem facere festinabat, dicens, censum nihil aliud esse quàm integram seruitutem,quã populo Dei indignam & illicitam putabat.Cuius meminit & Lucas in Actis ca.5 in oratione Gamalielis,dicens:Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis(significat autẽ eam descriptionem de qua hic dicitur)& auertit populũ post se.Verùm vt ad propositum reuertamur, census ille qui in hac descriptione actus est,deinceps,vt apparet,singulis annis exolui debebat. Atque huius census & Iudæ Galilæi occasione,videtur deinde nata illa inter Iudæos quæstio ,quàm Christo aliquando proposuerunt. Licetne censum dare Cæsari, an non. Postea verò dicetur qualis fuerit ille mummus census. Iam quod dicit Euangelista: Vniuersus orbis,hyperbolica locutio est, qua aliquid per excessum dicitur, ad insinuandam rei magnitudinem, quomodo apud Ioannem Phariſæi dicunt de Christo:Ecce mundus totus post eum abiit.Nõ enim vniuersus orbis paruit Augusto,cùm Ambrosio teste,& similiter Suetonio,Gothis Armeniis,& Indis Augustus non imperarat,quamuis iam illius amicitiã ambuissent.Proinde quod dicit:Vniuersus orbis:per synecdochen intelligi debet, vt intelligatur maxima orbis pars, aut subintelligi debet orbis Romanus, vel Romano imperio subiectus.Putat autem Caietanus ideo à Luca positum:vniuersus orbis:quod Augustus ad gloriam sui imperij scriberet vniuersum orbem describendum, quasi totius mundi esset dominꝰ.Ambros.verò trahit ad mysterium,nempè vt intelligeremus descriptionẽ hanc potius pertinere ad eum qui tũc nascebatur, verum totius

Act.5.

Mat.18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tius orbis dominum. Cui mysterio cõsonat quod refert Orosius, Augustum hoc tempore recusasse nomen dominus, quod plerique ei tribuendũ putabant, quasi præsagientem natum iam in terris eum qui verè esset terræ cœlique dominus.

Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino, &c.] Non est sensus huius loci, quod præses iste primus hanc descriptionem fecerit, & ab eo generalis ista descriptio cœpta sit primò, vt illud, prima, referatur ad præsidem. Nam quamuis hunc sensum habere possit nostra litera, non tamen Græcorum, quorum litera non habet: à præside Syriæ: sed. *γηγεμονεύοντος τῆς συρίας κυρηνίου*, hoc est, præsidente Syriæ Cyrenio, vt significetur hæc descriptio facta, cùm ille Syriæ præsidem ageret, quomodo & Ambrosius legit & interpretatur. Neq; rursum etiam secũdum hanc lectionem sensus, est, hanc descriptionem, de qua modo loquor, primam esse inter eas quæ sub hoc præside facta est, postquam & aliæ sub eodem præside postea factæ sint, quomodo intelligit Erasmus, referens etiam, illud, prima ad præsidem. Sed vt patet ex Orosio, intelligendum est hanc descriptionem absolutè dici primam, quod etsi ante eam particulares aliquorum locorum aut regionum præcessissent, nunquam tamen tam generalis fuerit descriptio etiam ab orbe cõdito, neque similis cõtigit aut in imperio Babylonico, aut Macedonico. Proinde sic locus iste distinguendus est: Hæc prima descriptio vniuersi orbis, ac deinde distinctiuncula interposita subiungendum: facta est præside Syriæ, hoc est, cum esset præses Syriæ Cyrinus, aut, vt habet nostra litera, facta est à præside. Ideo enim mentionem facit Lucas præsidis Syriæ, vt significaret descriptionem hanc factam in Iudæa ab illo, Romanorum nomine. Sub Syriæ enim nomine comprehenditur Plinio & aliis etiam Iudæa, & hoc temporis necdum Iudæa proprium præsidem habuit, cum adhuc in Iudæa regnaret Herodes. Voluit autem Christus nasci hoc tempore quo generalis erat & altissima toti orbi pax, & fœlicissimè rerum potiebantur Romani, vt per pacem hanc temporalem daretur, intelligi tempus iam esse quo veniret is de quo dictum erat: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia

dantia pacis, donec auferatur luna. Et Isaiæ 2. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Nam quamuis hæc de temporali illa pace dicta non erant, cùm pax ea mox finem habuerit, tamen vmbra quædam erat pax illa temporalis, pacis illius spiritualis quę per Messiam ventura promissa fuit. Deinde vt intelligeretur is iam nasciturus, qui totius orbis verus esset futurus dominus, sicut de eodem in Psalm. prædicto subditur: Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Proinde in descriptione orbis nasci voluit primũ quidem vt insinuaretur tum tempus esse quo veniret promissus liberator populi Israelitici, quando populus ille recensitus fuit sub alieno imperio, & externo principi subiectionẽ professus. Deinde vt descriptionis huius occasione, virgo è Nazaret in Bethleem ascendens ibi pareret, sicque & demonstraretur virgo cum prole sua fuisse ex semine Dauid, & impleretur prophetia Michææ, Christum in Bethleem Iud... nasciturum prædicens. Quòd enim virgo descriptionis tempore aliunde in Bethleem veniens peperit ibi, longè certius probat genus virginis ex semine Dauid, quàm si ibi habitans peperisset, cùm certum sit multas in Bethleem habitasse, quę ex Dauid originem non traxerunt. Deinde quod sic nouo euentu in Bethleem natus est Iesus, magis arguebat prophetiam Michææ ad ipsum pertinere quàm ad alium quemuis qui in Bethleem communi euentu natus erat. Conueniebat & ideo virginem in Nazareth habitantem in Bethleem veluti in transitu parere, vt locus natiuitatis Christi ad tempus impiis & infidelibus occultus esset, furorémque Herodis & Archelai filius virginis melius effugere posset. Præterea vt peregrè natus, & in vna ciuitate conceptus in alia verò genitus, ostenderet se in hoc mundo peregrinum esse, suóque exemplo nos doceret tanquam peregrinos & aduenas viuere in hoc seculo. Tertio in descriptione orbis Christum conueniebat nasci, vt in generali orbis descriptione etiam ipse asscriptus veritatem assumptæ naturæ humanæ ostenderet, communiorémque sui faceret orbi, & vt cum reliquis hominibus seruituti sese subiiciens,

seruitutem

Psal. 71. Isaiæ 2.

seruitutem nostram aboleret, quemadmodum sub lege factus est, quò eos qui sub lege erant redimeret. Postremum, vt ostenderetur eum iam nasci, cui plerique ex omnibus totius mundi partibus nomen daturi erant asscribendi per ipsum in regnum æternum. Vnde Ambrosius: Professio ista fidei, cœlus animorum est, &c. Et Gregorius: Quid est quod nascituro Domino mundus describitur, nisi quia ille apparebat in carne, qui electos suos asscriberet in æternitate?

Et ibant omnes vt profiterentur singuli in suam ciuitatē.] Pro, profiterentur, Græcè idem est verbum, nempè ἀπογράφεσθαι, quod prius vertit, describeretur: proinde & hic verti potuisset, vt describerentur, & prius, vt profiteretur. Dictio enim Græca vtrumque significat, sicut etiam apud nos in idem coincidunt, profiteri & describi, cùm quicunque profitebatur, etiam describeretur. Describebatur enim à censoribus qui nomen suum dabat principi, & ei subiectionem profitebatur: proinde professio dicitur, respectu eorum qui censebantur: descriptio, respectu eorum qui censebant. Porrò quòd dicit in suam ciuitatem: oportet per ciuitatem vnius cuiusque intelligere non ciuitatem in qua quisque natus erat, aut habitabat, sed eam vnde quisque erat oriundus. Ioseph enim in ciuitatem Bethleem ascendit tanquam in suam ciuitatem cùm tamen in ea non habitaret, & fortassis nec natus esset. Iam nec mysterio videri potest vacare, quod Bethleem ciuitas Ioseph & Mariæ, ac proinde etiam Christi esse dicitur, & tamen in ea Christus tanquam peregrinus & alienus natus sit, nimirum quia in propria veniens tanquam peregrinus sic conuersatus sit, non habens vbi vel caput suum reclinaret.

Ascendit autem & Ioseph à Galilæa, &c.] Euangelista sicut describens locum vnde Ioseph ascenderit, prius regionem nominat, dicens: de Galilæa: ac deinde regionis ciuitatem, dicens: de ciuitate Nazaret: ita describturus locum quò ascendebat, prius regionem nominat dicens, in Iudæam, ac deinde regionis ciuitatem dicens: in ciuitatem Dauid. Non enim legendum, in Iudæam ciuitatem Dauid: sed cum duplici præpositione in Iudæam, in ciuitatē Dauid. Porrò necessariò adiecit quæ

quæ vocatur Bethleem: ad distinctionem alterius ciuitatis, quæ etiā ciuitas Dauid dicitur in scripturis. Nam & arx Sion, ciuitas Dauid dicitur, quod eam ædificasset, & in sedem regni delegisset: Bethleem verò ciuitas Dauid dicitur, quod in ea datus esset. Apparet autem in hac descriptione etiam præceptum fuisse, vt & mulieres profiterentur, quia hic dicitur: vt profiteretur cum desponsata sibi vxore. Nam quamuis illud, cum desponsata, referri possit ad verbum, ascendit, vt significetur Ioseph ascendisse cum vxore sua, tamen non v[illegible] detur verisimile Ioseph cum vxore sua tam vicina partui ascensurum, nisi & mulieres describi necesse fuisset. Dicitur autem Maria adhuc desponsata Ioseph, cùm iam aliquot mēsibus cum eo vixisset, ad significandum eam adhuc incognitam fuisse viro, ac virginem peperisse, sicut virgo conceperat.

Factū est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret, &c.] Rectè impletos esse dies partus dicit, quo declararetur magis verū esse hominē qui nascebatur. In Bethleem autem Christum nasci conueniebat, non solùm vt impleretur propheta Micheæ, & ostenderetur esse ex semine Dauid, sed etiam propter nominis significationem, Bethleem enim sonat domum panis. In Bethleem ergo, hoc est, domo panis, nasci debuit is qui est panis ille verus de cœlo descendens, quem qui ederit, non morietur in æternum. In Nazareth tamen Galilææ ciuitate concipi voluit, vt intelligeremus eum ad vtramque pertinere populum, gentilem scilicet & Iudaicum. Vtrique autē rei, nempè & conceptui & natiuitati, humilis delecta est ciuitas, quia is cōcipiebatur & nascebatur qui venerat vt per humilitatis exempla superbiam nostram argueret & reprimeret, & per suam humilitatem apud patrem pro nostra superbia satisfaceret, atq; è vilitate summa ad maximam subueheret nos dignitatem. Quas easdem ob causas & matrem pauperem, & pannos viles quibus inuolueretur, & præsepe in quo reclinaretur sibi delegit. Iam sicut per hoc quod dicitur, virgo peperisse, significatur eam tāquam vera illius mater edidisse in hunc mundum per genitalia membra: ita cum dicitur pannis inuoluisse, & reclinasse in præsepi, cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Maria peperit sine dolore, nec obstetricibus opus habuit.

pi, significatur satis sine dolore omni & langore peperisse, vt quæ sine libidine conceperat, nec aliquam ibi adfuisse obstetricem quæ genitum paruulum exciperet, quemadmodum apocryphi quidam libri mentiuntur. Neque enim quòd sine languore pareret, obstetricibus aut nutricibus indigebat, sed & ob pietatem eas nolebat, atque ob paupertatem non habebat. Ex his autem iam etiam consequitur, quod filium suum virgo non omnino naturaliter peperit. Naturaliter enim partus non potuisset esse sine apertione claustrorum fœmineorum, quæ sine dolore & corruptione virginalis signaculi esse non potuisset. Atque ob id Ecclesiastica fides tradit, quod Maria virgo fuerit in partu. Porrò quod in præsepio reclinatus sit Dominus, eo quòd nec esset ei (vel, vt habent Græca, eis) locus in diuersorio & hospitio, primum quidem factum est ob eas causas quas prius diximus, & vt per illius paupertatem nos diuites efficeremur, pérque hospitij egestatem nobis pararet multas in cœlo mansiones. Deinde & in mysterio factū est, vt designaretur mundum hunc, in quem peregrinari pro redemptione nostra venerat, factum præsepe hominum, qui irrationabilibus assimiles facti erant animalibus, ipsumque ad hoc venisse, vt cibus hominum factus eos ab irrationabilitate liberaret. Vnde Beda: Qui panis est angelorum, in præsepio reclinatur, vt nos quasi sancta animalia carnis suæ frumento reficiat. Pulchrè mysterium explicat D. Gregorius Nyssenus, ap-

Isaiæ 1.

plicans ei locum Isaiæ 1 cap. Præsepe, inquit sermone de natiuitate, rationis atque sermonis expertium animalium domicilium est, in quo sermo nascitur, vt bos agnoscere possessorem suum, & asinus præsepe domini sui.

Quid per bouē & asinum intelligatur.

Bos subditus legi, asinus oneribus portandis destinatum animal, quod peccato simulachrorum cultus oneratum atque grauatum est. At brutis quidem conueniens cibus & potus gramen est ac fœnum (qui producit enim gramen ac fœnum pecoribus, inquit Prophe-

Psal. 103.

ta) rationale autem animal pane nutritur. Quamobrem idcirco præsepio, quod est habitaculum brutorum, is qui de cœlo descendit panis vitæ proponitur, vt etiam bruta rationali inuitem sumpto cibo rationē adipiscantur.

Medius

Medius igitur inter bouem & asinum in præsepio vtriusque dominus est, vt soluto interstitio legis, ambos in se creet in vnum nouū hominem, & ab hoc grauè iugum legis auferat, & illum idololatriæ onere leuet. Nazianzenus item in duobus his animalibus similiter philosophatur per bouem mundū animal & sacrificio aptum intelligens mundos & iustos: per asinum, nec cibo nec sacrificio aptum, immundos. Quòd autem non erat eis locus in diuersorio, magis videtur fuisse propter multitudinem hospitum tunc occasione descriptionis aduentantium, quàm propter paupertatem. Nam postea Magi inuenerunt puerum cum matre in domino, vetum tempore partus non erat in diuersorio locus aptus parienti, quæ soiitudinem requirit. Paupertas tamen virginis etiam his verbis satis insinuatur, vt quæ in ea ciuitate vnde erat oriunda, nullam haberent domum propriam, nullos amicos ad quos diuerteret: nec tum diues vt in illa hominum frequentia secretum aliquod in domo cubiculum conseq̄i posset. Porrò pro

γάνωσιν quod est, infasciauit aut fasciis inuoluit, Græcè est *ἐσπαργάνωσεν*

eo quod habemus, pannis inuoluit: Græcè est imaginetur lacertos pannos. Verisimile enim est Mariæ paupertatem fuisse mundam.

Et pastores erant in regione eadē, vigilantes & custodientes vigilias noctis. Postquam descripsit Lucas quando & vbi natus esset Christus, & qua occasione in Bethleē natus sit, & in quanta paupertate & humilitate sit natus, iam describit quibus primum natiuitas eius sit manifestata, & quomodo, quámque natiuitatis eius humilitas plena fuerit magnificentiæ. Pro dictione autem, vigilantes, Græcis est *ἀγραυλοῦντες*, quod est, in agro pernoctantes, aut agentes & stabulantes. Componitur enim ab *ἄγρος* ager, & *αὐλὴ* stabulum. Quidam verò dictionem Græcā exponunt *ἐν ἀγρῷ αὐλίζοντες*, hoc est, in agro tibia vel fistula canere: sed prior interpretatio conuenientior est, quamuis & secundæ meminerit. Theophylactus. Iam quod sequitur: custodientes vigilias, vel, vt habent Græca, *φυλάσσοντες φυλακὰς*, hoc est, custodiēres custodias, intelligendum est ipsum loqui de quatuor illis vigiliis & custodiis, in quibus olim nox distributa erat, & de quibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Euangelia sępe meminerunt. Itaque significătur pastores hi vicissim vigilias has obseruasse propter incursum luporum, aliarúmque ferarum. Quoniam autem statim vbi descripta est Christi natiuitas, sequitur de pastoribus quod erant in agro excubãtes, per quod satis significatur quod eodem illo tempore quo Christus natus fuit, hæc circa pastores gerebantur, consequitur, hinc quemadmodum habet Ecclesiastica traditio, Christũ nocturno tempore natum esse. Quod ipsum euidentius patet ex verbis angeli dicentis: natus est hodie Saluator. Nõ enim intelligi potest die noctem hanc præcedẽte natũ cùm dies apud Iudæos initiũ sumpserit à vespera. Nocte autẽ nasci Christũ cõueniebat, tum vt natiuitas eius impiis magis esset occulta, tum ad insinuandũ tenebras huius seculi, quas sol iustitiæ suo ortu venerat fugaturus. Itaque in ipso tunc mysticè adimpletũ est illud Sapien. 18. Cùm quietũ silentium cõtineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine exiliens de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram posiliuit. Simili ratione conueniebat Christum hyemis tempore eo quod iã dies crescere cœperũt, nasci, vt hyemis quidem asperitatem pro nobis suscipiens, iam in infantuli ætate pro nobis satisfacere, suamque erga nos charitatẽ declarare auspicaretur: ipsorum verò dierum incremento ostenderetur is nasci qui tenebras esset discussurus & per quem apud homines augenda esset lux diuina. Porrò pastoribus non quidem dormientibus, sed bono operi intentis, & vigilantibus pro ouibus suis Christi natiuitas primum annunciata est, non autem regibus, pontificibus, Scribis & Pharisæis. Primum quoniam illi propter simplicitatem & innocentiam morum, vitęque similitudinẽ cũ patribus quibus Christi natiuitas promissa & reuelata fuit, digniores erant huiusmodi diuina reuelatione, facilius etiam propter suam humilitatẽ & simplicitatem crediturí in Messiam tam humiliter natum. Scribæ verò & Pharisæi propter malitiam & superbiam suam & indigni erant hac manifestatione, & in humilitate nati pueri offendiculum passuri. Secũdò, factũ istud est etiã ob id, vt Dei etsi summi & maximi, dignationem

Sap. 18.

dignationem summam aduertamus, intelligamúsq; quàm sint ei etiam vilissimi homines chari, & ostenderetur in ipso iam Euangelij primordio, qui potissimum deligendi essent ad percipienda primùm Euangelij noui misteria, aliis deinde communicanda, simplices scilicet, ignobiles & contempti, secũdũ illud Pauli: Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes. Tertiò, quia conueniebat vt pastoribus humilibus & vigilantibus pastor ille humillimus primùm annũciaretur, qui relictis nonaginta ouibus in deserto, venit querere eam quę perierat, positurus contra luporum rabiem animã suam pro ouibus suis. De quo pastore multa Ezech. 34. Postremùm in hoc facto mystícè significatum est, necesse esse vt pastoribus rationalíũ ouiũ prius diuina mysteria reuelentur, vt qui deinceps ea aliis annunciare debeant, non tamen ipsis pastoribus reuelanda Dei mysteria, nisi in agro huius mundi, pro custodia creditarum sibi ouium inuigilent. Putant auctorem quidam pastores istos fuisse cùm hæc agerentur, circa turrim quandam vicinam Bethleem dictam Hebraicè Aeder, hoc est, gregis, quòd illis ob agros compascuos esset pecoris copia circa quam Iacob rediens è Mesopotamia aliquando moratus est, vt scribitur Genes. 35. vbi sic legitur: Egressus Israel (inde nempe à Bethleem) fixit tabernaculũ trans turrim gregis. Vbi pro, gregis, Hebraicè est Aeder Cuius turris etiam intelligunt facere mentionem Micheam cap. 4. dicẽtem. Et tu turris gregis (vel Aeder) nebulosa filio Sion vsque ad te veniet: & veniet potestas prima regnum filiæ Ierusalem. Verùm ex commẽtariis Hieron. super Micheam patet per turrim hanc gregis, de qua loquitur Micheas, intelligendã Sion & Hierusalem. Ipsa enim turris gregis vna ex turrib. ciuitatis Hierusalem, videtur fuisse constituta in aquilonari ciuitatis muro, ac dicta alio nomine Ophel, pro quo vertit Hieronymus in Micheam, nebulosa. In commentariis eiusdem super Isaię cap. 32. Hebræi (inquit) duas turres in Hierusalem fuisse arbitrantur quæ his appellantur nominibus, Ophel & Bechã. Quarum prior interpretatur tenebrę siue nubilũ, quod vsque ad nubes erigeret caput altera probamentũ & firmitas, siue, vt Symmachus ver-

Gen. 35.

Mich. 4.

Isaiæ 32.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tit,inquisitio, eò quòd in contemplando culmine eius
2.Par.27 oculi fallerẽtur.Hactenus ille Proinde 2.Paral.27. Hieronymus nomen dimisit Hebraicum,turrim quandam ciuitatis Ierusalem vocans Ophel.Et in muro(inquit)
2.Par.33 Ophel multa construxit Similiter 2.Paral.33.& Nehe-
Nehem.3. mię 3.Et Brocardus monachus in descriptione terræ sanctę dicit vbi occidentalis muri pars conectebatur aquilonari,fuisse turrim,dictam , Nebulosam,(quod secundum Hieronymum Hebraicè diceretur Ophel(quẽ admodum alta fuit, in alta rupe constructa, & propugnaculum valde firmum,cuius ruinæ adhuc visuntur, vnde tota Arabia,Iordanis , mare mortuum , & alia plurima loca sereno cœlo videri possunt.

Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos,& claritas Dei circumfulsit]Quod nos habemus:steterit iuxta illos,Græci est ἐπέστη αὐτοῖς quod propter ambiguitatem præpositionis potest ἐπὶ, etiam verti:supereminebat illis:vt intelligatur angelus nõ astitisse illis in terra, sed inhæsisse ex alto capitibus eorũ.A qui sensus videri potest magis conuenire ex eo quod sequitur;Et subito facta est cum angelo multitudo militię cœlestis.Hec enim multitudo videtur potius in aere substitisse. Quod autem habemus claritas Dei Græcè est δόξα κυρίου,hoc est,gloria Domini Non enim δόξα significat splendorem & claritatẽ,quomodo dicimus splendorem solis,Junę & ignis sed maiestatem & gloriam , quæ & ipsa nobis dicitur, claritas.Proinde non potest claritas Dei hic exponi vt sit lumen diuinum:& tamen in lumine & splendore angelum apparuisse patet ex verbo, circunfulsit, verũ maiestas quædam diuina præferebatur per lumen illud in quo apparuit angelus , atque ob id dicitur maiestas & gloria Dei circumfulsisse eis;per quod significat nõ circumfulsisse eis lumen sydereũ aut igneum,sed lumen à specie quadam gloriæ Dei profectum.Porrò , vt & annotauit Beda,nusquàm in tota veteris testamenti serie reperimus angelos qui tam sedulò apparuêre pastoribus,cũ luce apparuisse. Sed hoc priuilegium recte huic
Psal.3. tempori est seruatũ,quando exortũ est in tenebris lumẽ rectis corde,Cùm autẽ Græca habeãt,Domini,nõ Dei, δόξα κυρίου,& angelus Christum notum dicat Dominũ, videri

videri potest Euangelistam significare voluisse,Dominum Christũ qui obscurus iacebat in præsepio obscuro,tam tũ pastoribus sua claritate & maiestate circumfulsisse.Non enim dixit,claritas angelica , sed claritas & gloria Domini.Dominum autem vocat angelus Christum.Iam hic considerate conuenit quàm tota natiuitatis Christi humilitas plena sit magnificentiæ.Nascitur enim ex paupera matre,sed tamen ex virgine.Putatitium habet patrem fabrum,Ioseph scilicet , sed idem patrem naturalem habet Deum fabricatorẽ cæli & terræ.Nascitur in obscuro stabuli loco,sed idẽ cælesti lumine fulget,& ab angelis palam prædicatur pastoribus, atque à stella Magis in oriente denunciatur.In præsepi collatur,non inueniens locum in diuersorio , sed eisdem angeli ci famulantur exercitus,atque ab eis dominus omnium prędicatur. Humilibus pastoribus primùm manifestatur,sed ab angelo.Et omnino ita semper permixta sunt admiranda humilibus,vt simul & illius pro nobis susceptа humilitas.& eiusdem diuinitas commonstretur. Quamuis autem clariтas hæc in qua apparuit angelus,læti esset hominis,tamen ob insolitũ ac subitum prodigium magno timore correpti sunt pastores.Verùm angelus solito suo more mox illũ timorem excutit,iubẽrq; potius gaudere,dicẽs:*Nolite timere ecce enim euangelizo*] Hoc est,annuncio vobis gaudium, non qualecunque, sed magnum,hoc est, gaudij magni materiam. Dicit autem vobis,cum emphasi significans illos prę Pharisæis,Scribisq;,& aliis ad hoc nouũ nunciũ audiendum esse singulariter delectos.Sed addit: quod erit omni populo:quasi dicat: Vobis quidem annuncio,sed tamen nõ erit vobis proprium,verùm commune omni populo;Quod intelligi potest vel de omni populo Israelitico,vel potius de omni populo mundi. Multi enim sunt ex vniuerso populo mundi,qui de natiuitate Messiæ gaudent.Explicat autem deinceps quæ sit gaudij istius magni materia:Quia, inquit, natus est vobis hodie Saluator.Bene quidem dicit:natus est vobis,hoc est,humano generi,ad insinuandum quod nõ angelis,sed nobis iã natus,erat cũ illi Saluatore opus non habetent. Potest & hoc quod dicitur natus est vo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis: intelligi significare natiuitatem Christi secundum carnem cum distinctione natiuitatis eius diuinæ: vt sit sensus: Etsi prius quidem natus sit in diuinitate, tamen vobis hodie natus est, quando humanam ex vobis pro vestra salute naturam assumpsit. Et prius quidem natus erat omnibus creator Deus nunc verò natus est hominibus Saluator homo. Absolutè autem vocat eum Saluatorem, quod non ab hoc vel illo malo saluaturus esset, sed ab omni malo, vt patebit in resurrectione iustorum. Iam sicut saluatoris huius humanitatem angelus apertè significat, dum dicit: natus est vobis: ita eiusdem diuinitatem, dum dominum eum vocat, dicens: qui est Christus Dominus. Adiecit autem, in ciuitate Dauid: tum vt certo loco demõstrato occasio daretur quærẽdi puerum, tum quia omnes expectabant Messiam ex ciuitate Dauid, vt sic ad credendum quod annũciabatur faciliores redderentur. Adiecit autem & signum, dicẽs: Et hoc vobis signum, &c. Circa quod tamen signum dubitari potest quomodo conueniat ad confirmandum id quod dixit. Nam per hoc quod inueniretur infans pannis inuolutus, & positus præsepio, non potuit comprobari natum esse saluatorẽ qui esset Messias & Deus: sed ex illo potius videri potuisset contrarium, cùm pãni illi & præsepe non potentiam Christi & diuinitatem, sed tantum infirmitatem humanæ naturæ declararent. Sed dicendum, signum hic non accipi pro miraculo aliquo, & re supra naturam adhibita ad confirmationem alicuius dicti, neq; sensus est: Et hoc est vobis signum quo cognoscere potestis verũ esse quod dico, natum esse saluatorem vestrum. Nam pro signo huius dicti confirmatiuo postea accessit multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum. Sed signum hic accipitur pro distinctiuo signo quod scilicet natus iam infans internosci posset ab aliis. Estq; sensus: Hoc sit vobis signum, quo adeũtes ciuitatem Bethleem dinosci possit à vobis infans, quem natum vobis hodie annuncio. Sunt tamẽ qui pio magis quàm vero intellectu intelligunt hic ab angelo signũ dari, quo comprobetur quod asseruit, natum scilicet saluatorem mundi Messiam, nimirum quia infirmitas à Iesu suscepta, euidens fuit signũ quod ipse esset

lũtate, vt sit sensus: Et in terra sit hominibus pax bonæ voluntatis Dei, hoc est, pax & reconciliatio proueniẽs non ex hominum meritis, sed ex gratuita & propensa Dei erga eos benignitate: aut intransitiuè pax, quæ est bona voluntas Dei erga eos, quemadmodum Psalm. 5 Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos scutum bonæ voluntatis exponi debet pro scuto, quod est bona Dei voluntas. Potest tamen textus Græcus etiam sic accipi, vt hymnus angelicus tres distinctas cõtineat partes: vt prima parte gloria Deo tribuatur in cœlis, secunda significetur pax hominum inter se & in terra, religionum diuersitate per quam dissidebant sublata: tertia verò Dei erga homines beneplacitum. Sed prior sensus videtur conuenientior, secundum quem intelligendum est angelos loqui de pace Dei cum hominibus quam tamen sequitur & alia duplex pax, pax scilicet mentis, & cõcordia dissidentium inter se populorum. Videndum autem quod verbum subintelligi debeat in his nominatiuis, gloria & pax, indicatiui scilicet modi verbum an optatiui. Hoc est, an sit sensus: Gloria sit Deo, & in terra sit pax, an gloria est Deo & in terra facta est pax. Caietanus quidem intelligens in hoc hymno tres distinctas cõtineri partes, intelligit hic tres effectus incarnationis Domini designari, vt sit sensus: Per nouã hanc natiuitatem vobis annunciata erit gloria Deo in cœlis, & pax erit in terra, & in hominibus erit bona Dei voluntas. Verùm cùm his verbis dicat Euangelista angelos Deum laudare (Laudantium enim inquit, Deum & dicentium) manifestum satis primæ partis hũc debere esse sensum: Gloria sit Deo in excelsis, aut, gloria debetur Deo in cœlis. An autem & sequens pars similiter intelligenda sit optatiuè. Et in terra sit pax hominibus: non satis constat. Beda enim precatiuè accipit: Dicit enim: optant etiam pacem homini- bus, cum subdunt: Et in terra pax hominibus. Verùm si consideretur pacem hanc iam per Christi natiuitatem præstitam, aut saltem inceptam, vt potius pax hæc prædicanda fuerit quàm optanda: ac deinde consideretur & illud quod his verbis Euangelista angelos laudare Deum insinuat, non precari, videbitur secunda pars

Psal. 5.

potius sit accipienda: & in terra pax iam facta est: vt hac parte iam causa reddatur quare gloriam Deo optent, illique deberi prædicent, ac coniunctio, &, pro quia accipiatur. In quem sensum exponit Theophyl. sic enarrans: Quid autem hymnus angelorum declarat? Vel omnino gratiarum actionem supernorum exercituum & gaudium, eò quòd terreni beneficia tanta consequamur, gloriam enim Deo dicunt. Super terram autem pax nunc facta est, & cùm prius humana natura inimica fuerit Deo, nunc adeo conciliata est, vt & Deo adiuncta sit, & incarnato vnita. Hactenus ille, è quibus non obscurum est quid senserit. Simplicius tamen videtur vtramque partem hymni similiter accipere optatiuè per sub intellectionem verbi, sit, non purè tamen optatiuè accepti (non enim purè optasse hæc intelligi possunt, quæ iam saltem ex parte adimpleta erant & præstita) sed intelligendo angelos quæ iam fieri videbant optasse vt amplius fierent in signum lætitiæ eorum & congratulationis ob beneficia humano generi impensa. Ita enim etiam in Apocalypsi sancti dicuntur dicere: Sedenti in throno, & agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum, scilicet sit. Quo hymno ita optat perpetuam Dei laudem, vt potius significent se gaudere in gloria & laude Dei, quam perpetuam esse sciunt. Itaque gloriam angeli prius Deo dicunt, deinde pacem terræ & hominibus, vt significarent nihil ex hoc negotio gloriæ deberi vel angelis, vel hominibus, sed vniuersam gloriam deberi bonitati diuinæ, cui soli tribuenda est pax quæ in terris iam fieri cœpit. Et notandum quàm rectè Deo in cœlis gloriam canant, hominibus autem in terris pacem. Duo enim hæc vtrobique deerant. Nam nec Deo dabatur quæ ei debebatur gloria, cum apud gentes Dei gloria translata esset ad idola, & Iudæi in suis magis gloriarentur meritis, quàm in Dei gratia: & terris deerat pax cum Deo. Christus verò sua incarnatione & doctrina Deo reddidit suam gloriam, hominibus pacem, vt verè dixerit Paulus ipsum restaurasse omnia quæ in cœlis, & quæ in terris sunt.

DOMI-

esset saluator mundi futurus, vt qui per infirmitatem hanc nos erat saluaturus. Vnde Bernardus: Panni tui, ô Christe, positi sunt in signum, sed in signum cui quotidie à multis contradicitur. Verum prior intelligentia simplicior est & verior. Iuxta quã tamen considerandũ est, quod quemadmodum non puduit filium Dei infirmitatẽ nostram suscipere, & in ea apparere, imò per eã & in ea agnosci voluit: ita nec angelum puduit hoc humilitatis & paupertatis signo infantem tantum, quem Saluatorem & Dominum appellauit, demonstrare, per quod infinuatum est ab angelo humilitatẽ hãc infanti nato nõ ad ignominiam, sed ad gloriam esse tã, & Messiæ huius regnum non in opulentia & fastu consistere, sed in infirmitate & humilitate, per quę triumphaturus esset de hostibus nostris, & redempturus nos. Proinde & nos conuenit signũ istud ab angelo datũ, quo natus Saluator internosceretur, memori semper mẽte retinere, vt hoc signo semper dinoscam⁹ quę Christo gratora sint, & in quibus Christus inueniatur, quę, illi nos magis commendent. Porrò ex eo quod absolutè hic dicitur: Inuenietis positum in præsepio: apparet præsepiũ istud fuisse aliquod præsepe notorium & cõmune omnibus, quodq; communiter sic diceretur, alioquin enim particularem aliquam conditionem angelus addidisset, dicens: in præsepio huius vel illius diuersorij. Quibus adstipulãtur quę scribit Brocardus terræ sanctę descriptor. Hic enim tradit in extremitate orientali ciuitatis Bethleem, sub rupe quadam quæ erat iuxta murum ciuitatis, fuisse secundum monumentum illius terræ locum pro stabulo, habentem præsepe in rupe excisum, vbi mundi saluator de virgine natus fuit reclinatus, vbi & hodie dicit extructum sacellum nobilissimum, stratũ marmore, & marmoreis erectum columnis vt vix inueniri possit locus sacer illo pulchrior.

Quod fuerit vbi præsepe Domini.

Et subito facta est cũ angelo multitudo militiæ cœlestis, &c.] Ne parua videretur vnius angeli autoritas, & ne in paupertate nati pueri offenderẽtur pastores, postquã vnus sacramentum nouæ natiuitatis edocuit, statim multitudo cœlestium agminũ affuit. Intelligit enim per militiam

litiam cœlestem, exercitum angelorum, qui frequenter in scripturis dicitur apud Hebræos tsaba (vnde est Dominus tsabaoth) hoc est, exercitus & militia, ad significãdum angelorum multitudinem, eosque omnes certo quodam inter se ordine vni Deo subesse, & paratos esse ac fortes ad exequendum ipsius in omnibus voluntatẽ, atque ad debellãdum aereas potestates humano generi & diuinæ voluntati aduersas. Bene itaque hic dicit angelo coniunctam esse multitudinem cœlestis militiæ nimirum vt significaretur natum illum puerum quem angelus dixit Dominũ, esse Dominum illum tsabaoth vel virtũ am, sortem in prælio, cui aduersus principes huius mundi quos expugnare venerat, seruiturus esset & militaturus exercitus angelorum, Hi itaque angeli annunciationem non solùm approbantes, sed etiam obrem hanc nouam & Deum laudantes, & nobis cõgratulantes dixerunt: *Gloria in altissimis Deo, &c.*] In quo angelorum hymno primum annotandum, Græca non habere, hominibus bonæ voluntatis, quomodo tamen constanter omnes Latini legunt & interpretantur, sed in hominibus bona voluntas. Et pro bona voluntate nõ est ἀγαθὴ εὐδοκία, sed vna dictio εὐδοκία, qi propriè idẽ est quod beneplacitum: & nõ tribuitur vnquam hominibus respectu Dei, sed frequenter Deo respectu hominum, cùm scriptura gtatuitã Dei erga homines beneuolẽtiam vult designare. Cùm autem apud Græcos nõ intercedat coniunctio, & inter duas has partes: in terra pax, in hominibus bona voluntas vel beneplacitum, sicut intercedit inter illas: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax: apparet conuenientissimè duos illos nominatiuos, pax & bona voluntas, coniungi per appositionem, vt sit iste sensus: & in terra pax, hoc est, bona voluntas Dei erga homines. Nihil enim aliud est pax Dei cum hominibus quàm beneplacitũ illius erga eos quibus prius offensus erat. Itaque nostra litera non potest intelligi vt significetur pax promitti hominibus habẽtibus bonam voluntatem, hoc est, bene viuendi propositum bonum, sed vt habeat nostra litera sensum Græg lectionis genitiuus, bonæ voluntatis, cõstrui debet cum nominatiuo, pax, & accipi pro bona Dei erga nos voluntate.

EVANGELIVM.

IN illo tempore, Erant Ioseph & Maria mater Iesu, mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertrãsibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser. Hæc processerat in diebus multis, & vixerat cũ viro suo annos septẽ a virginitate sua. Et hæc vidua erat vsque ad annos octoginta quatuor, quæ nõ discedebat de templo ieiuniis & obsecrationibus seruiẽs nocte & die. Et hæc ipsa hora superueniẽs cõfitebatur Domino & loquebatur de illo omnibus, qui expectabãt redẽptionẽ Israel. & vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. Luc. 2.

DOcemur isto Euangelio dilectissimi, Christum & verè aduenisse, & tamen non omnibus æqualiter prodesse. Qui enim ipsum in fide, & charitate recipiunt, iis petra est firmissima, cui niti, & in quem gradum figere debeant aduersus mortis, baratti, & aduersitatum omnium insultus constantissima securitate. Qui oblatam verò gratiam asperuantur, & tempus visitationis agnoscere contemnunt, iis est petra scandali, & lapis offensionis. Ita tamẽ proderit piis, si meminerint, non tam corporum, quàm animarum redemptorem ipsum aduenisse, potior siquidẽ hominis pars prior restituenda venerat, tãdémq; in fine seculi subsequetur & alterius partis restitutio, si tamen probè fuerit in hac vita æstibus calamitatũ excocta, repurgatáque. Et genuinum, si quis obseruet, nõ duo, aut tria duntaxat in hoc Euangelio occurrunt homini Christiano consideranda, perfecundum namque est parænesim, & monendorum affectuum aptissimum. Alius siquidem locus gaudiũ,

alius

Universidad de Deusto
Biblioteca

alius tristitiã, alius verò admirationem adfert, nec desunt qui doctrinam, admonitionemq; suppeditent. An non mirificam conscientiæ nostræ consolationem & gaudiũ ingetere debet, quod Simeon dicit, Christum in hoc positũ, id est, à patre mundo donatum, vt esset hominum resurrectio? Atqui quod addit, seu potius præmittit, de ruina multorum, præsertim in Israel, iure optimo mœrorem atque terrorem nobis incutiet. Iam quod venerabilis senex nõ locupletibus, aut iuxta mundi æstimationem præstantibus, sed pauperculis quales erant Maria & Ioseph, benedicit, & læta precatur, quibus tamen nõ nisi externas cruces, clades, atque dolores denunciat merito admirandum venit. Reliqua verò, quæ de quinque personis, Maria & Ioseph, Simeone & Anna, & pueri Iesu profectu, cõmemorãtur, plurimas in se doctrinas, & admonitiones continent. Si quis igitur in conscienciæ pauoribus, aut afflictionibus quibuslibet tam corporis, quàm animæ, opus habet consolatione, huc accedat. Nemo tam tristis, animoque consternati esse potest, quin gaudio afficiatur, cum audit, Christum nobis in salutem, vitam & resurrectionem esse constitutum, ac proinde pusillanimitati ac desperationi suæ resurrectionem in Christo opponat. Quis autem tam securus, animosus, & in se confidens esse possit, qui pauore, metuque non corripiatur, audiens, siue cogitãs, Christum in ruinam quoque plurimorum ex Israel, hoc est, ex iis, qui credunt positum fore? Philautiæ igitur, præsumptioni, & arrogatiæ, quibus ad securitatem sollicitamur, ne altum sapiamus, hanc ruinam, qua multi exciderunt à Christo hodierno Euangelio discemus opponere. Quod si quis sub cruce, & afflictione laborat, si mundi iniuriis, satana procurante, ad impatientiam sollicitatur: videbit virginem Mariam, matrem Domini nostri Iesu Christi, quæ omnibus dotibus animi cumulatissimè ornata fuerat, dolores & cruciatus non effugisse, & æquo animo tollerabit aduersa. Quod si denique, aliquis inertia, & desidia à bono torpet, proponat sibi quinque has in Euangelio commemoratas personas, earũque erga bona opera studium atque feruorem imitetur. Quid nobis be-

bis beatius, si hoc modo istud Euangelium expendemus, quàm eximium fructum reportaremus domum, si gaudium pariter & metum, admirationem simul & consolationem, doctrinam, & vitæ exempla inde hauriremus, quod vt fiat, ad salutem animarum nostrarum, propitius, idémq; benignus Deus, clementer concedat.

Erant Ioseph, & Maria mater Iesu mirantes &c.] Iosephum, patrem Christi vocat, non solùm quoniam ad famam virginis conseruandam pater eius sit ab omnibus æstimatus, sed etiam quia ratione coniugij legitimus eius pater esset magis quàm si ipsum aliunde genitum adoptasset. Mirabantur autem parentes in iis quæ dicebantur, non quod hæc omnino eius noua essent, cum & ab angelis & pastoribus similia audiuissent, aut etiam maiora, sed quod etiam alia quædam non minus miranda, & superioribus cõformia, audirent per afflatum spiritus dici de eo. Neque enim iam primum mirari cœperunt, sed iamdudum cœpta admiratio magis iam etiam aucta est. Admirationis verò parentum meminit Lucas siue quod illi magis aduerterent ad dicta Simeonis & Annæ, siue vt insinuaret quanta de puero diceretur, quando ob ea etiam parentes eius, qui iam de eo ab angelis multa audierant, sunt admirati. Ex eo autem quod sequitur: *Et benedixit illis Simeon:* intelligitur quidam hunc virum fuisse sacerdotem, & Euangelistam hic loqui de ea benedictione sacerdotali, de qua Num. 6. Verùm ineffícax planè est argumentum, cùm simpliciter accipi possit, senẽ illis benedixisse, siue quia fœlicia illis precatus sit, siue quia fœlices eos predicauerit qui tanti pueri parentes esse meruerint. Videtur enim, illis, inconueniens dicere. Simeonem etiam benedixisse Christo, hoc est, optasse ei fœlicem successum negotij eius ad quod missus fuit. Huiusmodi enim benedictio non arguit excellentiam maiorem benedicentis, sed tantum votum animi eius. Iam quod dicit Paulus ad Hebræos: Sine vlla contradictione minus à maiore benedici: intelligitur non de simplici benedictione, sed ea quæ fit ex authoritate diuina. Cùm autem Simeon & patri & matri

Num. 6.

Heb. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

matri benedixerit, tamen prædicturos quæ circa puerum euentura erant, sermonem suum tantum conuertit ad matrem eius, vt ad quam non dubitauit puerum magis pertinere. Et quoniam dixerat eum saluatorem paratum coram omnibus populis, ostendit per eum tamen non omnes saluandos, sed quosdam eius occasione proprio vitio magis perdendos. *Ecce*, inquit, *positus est hic in ruinam, & in resurrectionē multorum in Israel.*] Quibus verbis de Iesu contrarios effectus propherat respectu populi Israelitici. Et quoniam resurrectio proculdubio hic accipi debet resurrectio spiritualis, qua scilicet à peccatis per Christum quidam resurrecturi erant, consequens est quod de ruina dicitur, non debere principaliter intelligi de ruina temporali, qua per Romanos perierūt occasione Christi multi Iudæorum, sed de ruina spirituali, in cæcitatem scilicet & interitū æternum. Verùm cùm Deus nollit interitum hominum, & prius dixerit Simeon hunc in saluatorem & lumen omniū esse paratum à Deo, quōmodo hic dicit positū ipsum in ruinam multorum? Huius difficultatis occasione Origenes ad mysticū conuersus sensum intelligit de salutari ruina peccatorum, qua scilicet peccatores cadūt à peccatis suis moriētes peccato, & deinde resurgūt ad iustitię opera. Quā interpretationē & Theophyl. ponit, adiungens & alterā, secundum quā genitiuus: multorū, non refertur nisi ad resurrectionē, & non ad ruinā, vt sit sensus: Positus est Dominus in ruinā suiipsius, hoc est vt cadat in mortem, & deinde per eum resurgāt multi in Israel. Verùm cùm hæ interpretationes coactiores sint, dicendum Christum positum fuisse à Deo & in multorum ruinam, & in multorum resurrectionem, quamuis non omnino similiter. Nam in resurrectionem positus est à Deo, quia voluit Deus per ipsum quorundam efficere resurrectionem. In ruinā verò positus erat, quia voluit Deus occasione eius quosdam sinere labi, tum quod ita quidam mererentur, tum quod ita videbatur gloriæ suę illustrandæ conducere. Porrò cùm ruina non sit nisi stantium, aut eorū qui profundius labuntur, & resurrectio iacentium atque lapsorum, intelligēdum quod hic dicitur de ruina multorum, quosdam occasione Christi grauius

grauius casuros quàm iam ceciderant: aut potius quosdam qui stare videbantur, & arcem iustitiæ obtinere in populo Israelitico, prolapsuros iam in maximam cæcitatem, & exitium æternum: resurrecturos autem, qui per aperta crimina in quibus viuebant, omnibus iacere videbantur, sed credendo in Christum reuocandi erant ad frugem meliorem, & spem salutis æternæ. Itaque in ruinam fuit infidelibus Scribis & Phariſæis, in resurrectionem verò publicanis & meretricibus. Idem ergo his verbis significat Simeō quod postea Christus ipse Ioan. 9. aliis verbis dicens: In iudicium ergo in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Videtur autem Simeō his verbis alludere voluisse ad illud Isaiæ 8. Erit vobis Dominus in sanctificationem. In lapidem autem offensionis, & petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum & in ruinam habitantibus Ierusalem. Et offendēt ex eis plurimi, & cadēt, & conterentur, & irretientur, & capientur. Quod de Christo etiam Petrus & Paulus interpretantur dictum. Nam & ideo videtur dixisse Simeō: ecce positus est hic: vt significaret cum esse petrā illam & lapidem, de quo Isaias illo loco, de quo etiā alibi: Ecce pono in Sion lapidem probatum angularem, &c. Iam quod sequitur: *Et in signum cui contradicetur:*] ex eodem Isaię loco desumptum videtur. Nam mox post superiora verba in Isaia sequitur: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & in portentum Israel: quem locum etiam de Christo citat Paulus ad Hebræos 2. Est autem signum, generaliter quidem quicquid alicuius rei est significatiuum: sed speciatim signum frequenter dicitur, quod rei alicuius mirabilis & occultæ est indicatiuum, ita vt non ab omnibus à quibus videtur intelligatur, sed tantū ab intellectū & sapientia prædictis. Secundū hāc ergo significationem quidā hic per signum intelligunt ipsam Christi crucem aut crucifixionem, quæ signum quidem est diuinæ reconciliationis cum hominibus, sed tale signum, cui & olim à Iudæis, & nunc ab infidelibus contradicitur, tanquam rei probrosæ & infirmæ. Itaque sensus erit: Christum positum esse in signum, hoc est, positum esse vt crucis signū subeat, & mundo exhibeat.

Verùm

Luc. 2.
Rom. 9.
1. Pet. 2.
Heb. 2.

Verùm quoniam videtur esse, vt dictum est allusio ad locum Isaiæ, rectius per signum intelligitur ipsemet Christus, secũdum eam significationem, qua res nouas & insolitas, & miracula, signa dicimus, prodigia & portenta, quod ferè semper nouum aliquod portendant & significent. Sicque sensus erit: Puer hic positus est in signum, hoc est, vt sit signum, quomodo Psalmista dicit: Esto mihi in Deum protectorem, pro eo quod est: Sis mihi protector. Sic & de Ezechiele, qui nouis quibusdam rebus portendebat quid euenturum esset Israelitis, dicit

Ezec.24. Dominus: Ezech.24. Erit vobis Ezechiel in portentum.

Zach.3. Zachariæ quoque 3. capite amici Iesu sacerdotis magni dicuntur viri portendentes, vel, vt habent Hebræa, viri portenti, hoc est, viri portentosi. Signum itaque dicitur Christus, quòd res esset noua & insolita, qualis non fuerat ab initio mundi, vtpote Deus simul & homo, qui per nouam suam ex virgine natiuitatẽ, mirabilium patrationem, crucis ignominiam, ac deinde gloriosam resurrectionem, & ascensionem in magnum stuporem & admirationem homines erat adducturus, & nouæ quædam orbi iam esse præstita significaturus, vtpote promissam per Prophetas salutem. Dicitur quidẽ Chri-

Isaiæ 11. stus apud Isaiam cap. 11. etiam signum his verbis. In die

Rom.15. illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. Et post pauca: Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor ventis. Verùm hic paulò diuersa ratione signum dicitur Christus. In Hebræis enim hic iam est alia dictio quàm cap. 8. nempè dictio Nes, quæ illis vexillum significat, quod etiam Latinis signum dicitur. Itaque hoc loco signum Christus dicitur, quod in ligno crucis tanquam in vexillo subleuatus sit, vt ad eum constuãt omnes filij Dei per vniuersum orbem dispersi, militaturi deinceps sub eo, & illo duce superaturi. Sicut ipse de se dixit in Euangelio: Ego cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Vnde pro eo quod nos illo loco habemus: ipsum gentes deprecabuntur: Hebraica habent, ipsum gentes quærent. Pro eo autem quod nos habemus hoc loco: cui contradicetur: Græcè est præsens tempus, ἀντιλεγόμενον, hoc est, cui contradicitur

tradicitur: verùm quoniam præsens tempus hîc videbatur accipi pro futuro, sicut suprà, ideo, quod nasceretur ex te sanctum, vbi Græcè est γεννώμενον, interpres siue scriptor scripsit, contradicetur. At contradicitur, legit etiam Augustinus & Origenes. Putat autem Caietanus dictũ per præsens tempus contradicitur, eo quòd iam ab Herode contradictio inchoata esset. Verùm cùm Herodis contradictionem Lucas non scripserit, non videtur ad eam respexisse, sed vel præsens pro futuro posuisse, aut potius, præsens tempus posuisse, vt absolutè accipere-mus, & ἀντιλεγόμενον σημεῖον, sit signum contradictioni obnoxium. Vnde Tertullianus libro de carne Christi legit semel, signum contradicibile. Agnoscimus, inquit, ergo signum contradicibile, conceptum & partum virginis. Videtur enim adiecisse Simeon ἀντιλεγόμενον, ad distinctionem huius signi ab aliis signis. Nam cum Iudæi semper signa quærant, solcántque Dei signa lubenter amplecti, nec illis contradicere, istud signum tale fuit, vt ob suam admirãdam nouitatem apti eos esset contradictioni obnoxium. Itaque per hanc partẽ insinuat non obscurè quomodo Christus esset futurus in ruinam multorum. Rectè autem intelligimus eum loqui non solum de contradictione quæ fit lingua, sed etiam ea quæ fit facto, per persecutionem scilicet, quomodo ad Hebræos Paulus cap. 12. Recogitate eum qui talem sustinuit aduersum se contradictionem. Quamuis autem Simeon loquatur potissimùm de contradictione qua huic signo contradiceretur apud Iudæos, vt satis patet ex iis quæ præcedunt & sequuntur in ipsius verbis: tamen vsque hodie huic signo cõtradicitur, non solùm ab infidelibus Iudæis, paganis & hæreticis, sed etiam à Christianis plerisq; saltem facto, qui scilicet a-

Hebr.12.

stus suo nobis exemplo præmonstrauit, propositus nobis in signum aliquod, in quod semper respiciamus, & quod omnia nostra instituamus.

Iam viuendi normam amplectuntur quàm ipse Chri-

Et tuã ipsius animã pertrãsibit gladius, vt reuelẽtur, &c.]

Nihil dubium est quin hæc verba ad virginem pertineant non ad puerum Iesum, tum quòd prius dixerit Lucas: & dixit ad Mariam matrem eius tum quòd pro-

nomen ipsius. sit Græcis generis fœminini. Proinde locum etiam non habet illa quorundam interpretatio: tuam ipsius animam, hoc est, animam filij tui, quam vt propriam animam diligis, sed tuã ipsius, idem est quod quis diceret, tuammet animam. Nec otiosè additur, ipsius, sed auxesin notat, significatq; præter alios etiam Mariæ animam gladio ferendam. Ad quod magis significandũ multũ valet coniunctio, καὶ, quæ est apud Græcos τὲ καὶ δὲ καὶ, & tuã autem ipsius: Vel, sed aut quoque & tuam ipsius. Itaque non conuenit huic loco Ambrosij interpretatio, qua per gladium intelligit prudentiam Mariæ non ignaram cœlestis misterij, secundum illud

Hebr. 4. Pauli: Viuus est sermo Dei, & penetrabilior omni gladio accipiti. Cùm enim ante hæc verba præcedat, puerum positum in signum contradictioni obnoxium, non iam secundum illum sensum aptè subiungeretur: sed & tam ipsius animam gladius pertransibit. Neque tamen rursum hoc loco conuenit accipere gladium pro scandalo, & dubitatione, quàm cum Apostolis & aliis tempore passionis Christi passa fuisset, quemadmodum exponit Origines hoc loco, & Augustinus libro de quæst. noui & veteris testamenti. Nam præterquam quod gladius in scripturis sic nusquam accipiatur, nec sit illa sententia satis pia, etiam verbum, pertransibit, huic intelligentiæ satis repugnat. Non enim potest hic, pertransire, accipi pro præterire, quemadmodũ accipit Augustinus, intelligens dubitationem non sedisse in animo Mariæ nec animam eius vulnerasse, sed sicut gladius pertransiens iuxta hominem timorem facit, non percutit: ita dubitationem in anima virginis fecisse quidem mœstitiam: non tamen occidisse, sed quasi per vmbram pertransisse. Non, inquam, sic verbum accipi potest, cum Græce nõ sit παρελεύσεται, sed διελεύσεται, hoc est penetrabit & per mediũ ibit. Iam certè falsum videtur & impiũ si quis dicat gladium scandali & ambigoitatis non contigisse solũ, percussisse & vulnerasse animam virginis, sed etiam omnino penetrasse: & per medium eius pertransisse. Id enim fuerit gladiũ hunc animam eius occidisse. Proinde rectius per gladium intelligimus dolorem quem in passione filij Pertulit mater acerbissimã, intima

intima animæ eius penetrantem & possidentem, et itaque sensus iste: Adeo contradicetur ab impijs huic signo, vt gladius doloris non solum sit penetraturus animam filij tui aut eorum qui credent in eum illiusque nomen prædicabunt, sed & tuam quoque animam. Similis est locutio in Psal. 56. cùm de Ioseph dicitur. Pertransiit animam eius: vbi item per ferrum tribulatio intelligitur, vt annotat D. Augustinus Epist. 59. Cùm autem eam partem in signum cui contradicetur: vnde hæc verba pendent, diligenter attẽdimus fortasse conueniet magis per gladium hic intelligere gladium contradictionis linguarum, de quo gladio in scripturis sæpe quale est illud: Et gladius in labiis eorum. Et rursum: Et lingua eorum gladius acutus, Et alibi frequẽter Itaque sensus esset: Adeo contradicetur filio tuo, vt cõtradictionis gladius non illius tantùm animam & corpus sit percussurus, sed & tuam quoque animam etiã nõ mus eius ad futuros casus magis roboraretur. Iã quod sequitur: vt reuelentur vel retegantur ex multis cordibus cogitationes: quod plerique ad mox præcedentia refertur, & variis modis à diuersis exponitur, rectissimè videtur referri ad illud: & in signum cui contradicetur: vt mox præcedentia quasi per parenthesin legantur interposita, & intelligatur sensus ille quem in Paraphras. indicat Erasmus, videlicet puerum hunc positum in signum cui à multis contradiceretur, vt multorum cogitationes quæ prius occultæ latebant in corde, retegerẽ tur: & declararentur esse impij & Cyristo contrarij, qui prius atcem iustitiæ obtinere videbantur, & pietatis doctrinam sibi vindicabãt, Messiam & legem semper in ore habentes. Eo enim quod signo huic dontradixerũt Scribæ & Pharisæi cum aliis, declaratum est qualia illi de Christo quem expectauerunt, cogitauerunt, quamq; impię, & ab omni vera iustitia quã prius simulauerunt, alienæ essent eorum cogitationes. Neq; necesse est seeũ dum hunc sensum coniunctionẽ, vt accipere hoc loco non eau saliter, sed tantùm consecutiuè, Posuit enim Deus hunc puerum in signũ contradicibile, quia sinere voluit vt ei contradiceretur, idque ob id vt hypocritarũ

cogitationes hac ratione detegerentur. Quidam autem cùm immediatè præcedentibus hanc partem coniungentes, & coniunctionem, vt consecutiuè accipientes, hunc intelligunt sensum: Adeo contradicetur huic signo, vt & tu nõ sis à gladio passionis eius futura immunis, vnde fiet vt multorum cogitationes detegantur, dum apparebit qui Christum verè sint amplexi, qui verò non. In passione enim Christi multis à Christo deficientibus declaratum est quales erga Christum fuerunt, Ioseph, & Nicodemus, & mulieres quæ permanserunt apud Christum.

Et *erat Anna Prophetissa filia Phanuel de tribu Aser. hæc, &c.*] Adiecit testimonio Simeonis, & alterius personæ eisdem titulis commendatæ testimonium, vt ore duorum testimonium de Domino Iesu firmius cõsisteret. Adiungitur autẽ Simeoni mulier in testem, quia vtrumque sexum Christus reparaturus venerat. Quod autem dicit Lucas: Et erat Anna prophetissa: non sic est ordinandum: Et Anna erat prophetissa: sed sensus est: Et in illis diebus erat mulier quædam quæ dicebatur Anna, propheticum habens spiritum, filia Phanuel de tribu Aser. Nam vt testimonio huius mulieris plus addat autoritatis, profert illius genealogiam, cõmemorans patrem & tribum propter historiæ certitudinẽ; cũ illo tempore multi adhuc testes huius narrationis esse possent qui anum hanc nouerant, & vt hanc distinguerẽt ab aliis eodẽ nomine illo tẽpore vocatis. Deinde & multis eam commendant nominibus, non parum facientibus ad comprobandum eius testimonium: primùm quia prophetissa, deinde quia processerat in diebus multis, hoc est, prouectæ admodũ erat ætatis præterea quod summæ continentiæ & castitatis. Id enim significat cùm dicit: vix erat cum viro suo annis septẽ à virginitate. Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor. Nam his verbis insinuat castitatẽ eius virginalem ante matrimonium, castitatem quoque coniugalem in matrimonio, & vidualem post matrimonium iam morte diremptum. Et quidẽ cùm septem tantùm annis primum habuerit maritũ ac proinde (vt verisimile est) multũ adhuc inuenis vidua effecta esset nec tamẽ cõiungiũ

repetierit

repetierit, manifestũ satis maximæ castitatis indicium dedit, nec se prius coniugem fieri voluisse, nisi mores illius temporis ita postulassent. Quod autem hæc dicitur vidua vsque ad annos 84. vel, vt habẽt Græca, circiter annos 84. incertum an intelligi debeat numerus hic pertinere ad ætatem mulieris, an ad spacium viduitatis, nisi quòd prius sit verisimilius, maximè cũ Græca sic potius verti debeant: Et hæc vidua annorum fere mè. 84. quamuis Ambrosius secundo modo intelligat. Quoniam vero parua laus est vidualis continentiæ, nisi adiunctam habeat pietatem & religionem. Quæ enim inquit Paulus 1. Timot. 5. verè vidua est sperat in Deo, & instat obsecrationibus & orationibus nocte & die. ostendit etiam hac laude præclaram fuisse hanc anum. Quæ (inquit) non discedebat de templo, ieiuniis & orationibus seruiens die ac nocte. Itaque mortuo marito, ipsa quoque velut mundo mortua, soli se Deo consecrebat. Non sunt autem hæc verba Lucæ sic intelligenda, quasi in templo habitauerit, & nunquam templum exierit, nihilque aliud vnquam egerit quàm precari. Non enim vitæ necessaria præterijt, cibo necessario & summo proculdubio vsa: sed intelligendum hęc fuisse præcipua quæ egerit, atque, vt dici solet, totam in his fuisse. Quomodo & Dauid dicit se requisiturum vt inhabitet in domo Domini, & visitet templũ eius omnibus diebus vitæ suæ: & iustus meditari dicitur in lege Domini nocte diéq;: Et eum qui frequentissimus in studiis est, dicimus à libris non discedere, sed sine intermissione noctes diésq; studere. Legim⁹ autẽ etiã Exod. 38. & 1. Regnũ 2. de mulieribus quibusdã Hebræis similis pietatis, vbi dicitur de mulieribus quæ excubabant ad ostium tabernaculi, vel, vt alij vertunt, quę conuenerunt & congregabant se ad orandum ad ostiũ tabernaculi. Incertum autem, nec multum ad rem facit, an nomina illa, ieiuniis & obsecrationibus, sint casus instrumentales, vt sint apud nos ablatiui casus, & sensus sit, eã seruiisse Deo per ieiunia & obsecrationes: an casus prij, quomodo dicimus, seruio Deo, vt sint apud nos datiui casus, & sit sensus: eam deditam & intentam fuisse ieiuniis & precibus. Prioti tamẽ modo sensus est

P *Psal. 22.*
Psal. 1.
Exod. 38.
1. Reg. 2.
1. Tim. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

conuenientior, significaturque quibus rebus Deo maximè seruierit, victimis scilicet nõ tam legalibus quã Euãgelicis: quarum vna quidẽ corpus, altera mentem spectat. Ieiuniis enim crebris corpus immolabat Deo præcationibus verò pro se, populiq; salute effusis animum Deo offerabat & consecrabat. Et respondent hæc duo sacrificiorum Euãgelicorum genera duobus, illis legalibus sacrificiorum generibus quorum alia quidem de animalibus offerebantur foris in atrio super altare holocausti, alia verò de incenso offerebantur intra templũ super altare aureum. Et bene quidẽ prius dixit ieiuniis & deinde, orationibus. Bona est enim, vt dicitur Tobiæ 12. ratio cum ieiunio. Et omnino necesse est vt mens ad orandum libera, sit carnem ieiuniis & abstinẽtia macerari, ne menti obstaculo sit. Quod si autem hæc anus tam multorum annorum ieiuniis vacauit, atque ob id à Luca laudata sit, cùm habens iam corpus mortuum, nõ opus haberet mortificare & macerare ieiuniis carnem, sed eis tantũ vacabat quo expediti⁹ Deo vacare posset, quid dicendum de his qui rationẽ ecclesiasticarum ieiuniorum irrident & blasphemãt: quomodo non multò magis ieiuniis debent vacare & in iuuenili adhuc constituti ætate, & orationibus laudibusq; diuinis addicti. duplici iam nomine ieiuniorum remedio salubri indigent.

Et hæc ipsa hora superueniens, confitebatur Domino &c. Hæc inquit, tam multis scilicet nominibus cõmendata anus eadem illa hora qua quæ dixi gerebantur, superueniẽs, eodem nimirum spiritu quo venerat Simeõ in tẽplum, confitebatur Domino, aut, vt habent Græca, ἀνθωμολογεῖτο, quod verbum nõ simpliciter confiteri significat, sed confessione respondere, vt referatur ad cõfessionem Simeonis. Itaque vertunt vicissim confitebatur Domino, hoc est quemadmodum Simeon Dominum laudauerat & benedixerat, ita & ipsa vicissim respondens confessioni illius, Domino gratias egit, laudibus efferens eius benignitatem qua iam respexisset populum suum. Hebraica enim phrasi confiteri Domino positum est pro gratias Deo agere, illúmque laudibus efferre, Non solum autem collaudabat Dominum, sed

(quem ordinem & Simeon prius seruauerat) deinde etiã loquebatur de illo aliis. Hic verò Lucas Christi diuinitatẽ apertè rursum significat. Cũ enim prius dixisset confitebatur Domino: (vbi per Domino intelligendum esse Deum constat) subiecit; & loquebatur de illo: nimirum Domino. Nõ enim aliud præcedit antecedẽs. Loquebatur autem certum est de puero. Puer ergo de quo loquebatur, Dominus erat cui confitebatur. Nisi quis velit relatiuum, illo, referendum ad antecedẽs superius positum, ad puerum scilicet. Loquebatur ergo liberè omnibus tũc in templo præsentibus sed & postea aliis etiã tunc non præsentibus, sed his qui expectabãt redemptionem Israelis tanquam iam imminentem. Loquendum enim verbum Dei eis potissimum, apud quos spes esse potest fructum facturum verbũ Dei. Pro eo autem quod nostra litera habet, Israel, Græcè est, ἐν Ἱερουσαλήμ, in Ierusalem, & potest referri vel ad datiuũ omnibus vt significetur omnibus qui erant in Ierusalem locuta, aut ad redẽptionem, vt significetur eos qui ibus loquebatur expectasse redemptionem perficiendam in Ierusalem. Ibi enim expectabant eam præstandam, quod illa præcipua & regia esset Israelitarum ciuitas. Porrò considerandum iam, quòd cùm à tribus hominũ generibus testimonium acceperit Christus primum natus, à pastoribus scilicet. Magis & istis duobus senibus, nulli horũ sine cœlesti illuminatione Christũ agnouerũt, sed tamẽ diuerso modo. Siquidem pastores ab angelis instructi sunt. Magi à stella cœlesti, accedente & hominum ex scripturis demonstratione. Senes verò isti à solo spiritu sancto mentem eorum illuminante. Siquidẽ his tribus modis diuersis cognitionem sui Deus impartit hominibus, quosdam quidem per angelos docens, alios verò miraculis accedẽte hominum prædicatione ad se vocãs, alios autem etiam solo spiritus magisterio in sui cognitionem deducens, vt patet de Paulo, qui Euangelium non ab homine se didicisse gloriatur. Considerandum & illud, quàm probè nomina horum duorum testium conueniant personæ illorum. Simeon enim si interpreteris, est obedientia vel auditus. Anna vel potius Hãna, idem quod gratia. Ob quorum

Gal. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Allegorica prædictorum interpretatio.

etiam nominum significationem, præter alia rectè secundum anagogen his duobus testibus significari intelligimus duo testamẽta quorum vtrumque Christo testimonium perhibet. Simeon enim figura fuit veteris testamenti, Anno verò noui. Nam lex quidem vbique mandatorum suorum obedientiam exigit, Euangelium verò fidem imprimis gratię Dei hominibus factę Et quomodo oraculo Simeon didicerat nõ moriturum se priusquam Christum vidisset, illo autem viso dimitti se dicit in pace: ita Christus suo aduẽtu legem quidem abstulit, & mortuam fecit, viduam autem Annam, hoc est, gratiam in vita conseruauit, & iam emortuam penè resuscitauit, Deinde sicut Anna superueniens cõfessioni & testimonio Simeonis subscripsit, ita Euangelium legi succedẽs comprobauit ea quæ de Christo lex testificata fuerat. Et Simeon quidem, quæ de Christo erat prophetaturus, matri tantùm loquitur. Anna vero omnibus qui expectabãt redemptionem, quia & lex vetus vni tantùm populo ex quo Christus nasciturus erat, Christum prædixit, Euangelium verò omnibus mundi nationibus Christum prædicat. Ad hanc eandem allegoriam trahi etiam potest, quòd Anna filia fuit Phanuel (quod est, facies Dei) quod de tribu octaua Aser, hoc est, beati quòd septem annis cum viro, reliquis vidua, &c. de quo vide Bedam. Quod verũ ad moralem attinet sensum, præterquam quod rursum in his duob' senibus docemur, Christum agnosci non posse nisi cœlesti afflatu spiritus, deinde quod agnito Christo & laudandus sit Deus, & eius gratia aliis prædicãda, etiam id nobis insinuatur, non posse eundẽ amoris brachiis cõprehendi à puerilibus animis, & adhuc leuibus huius mundi rebus deditis: sed tantùm ab his qui senili sunt animo, & voluptatibus carnis superiores. Iam nec mysterio vacat, quod qui primi Christum viderunt pastores, vidisse quidem puerum & cognouisse dicuntur, nõ autem adorasse: Magi verò etiam adorasse: Senes autem isti etiam brachiis suis ipsum complexi. Nam id etiam verisimile est Annam fecisse. Is enim & in nobis ordo est, vt primum quidem Christum agnoscamus, deinde agnitum adoremus, postremum etiam amoris brachiis

chiis complectamur.

Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini reuersi sunt in Galilæam &c.] Incertum an reuersi sint statim postquam perfecissent hæc omnia quæ dicta sunt, an ante reuersionem in Galilæam præcesserit fuga in Ægyptum, de qua Matthæus: vt aduentus in Galilæam, cuius hic meminit Lucas, idem sit cum eo cuius memi nit Matthæus in fine ca. 2. Sæpe enim dum aliquid post aliud factum narrant Euangelistæ, ita id narrant, quasi mox post illud factum sit, cùm multa tamen interceserint. Quoniam autem Lucas significare videtur, nullam aliam causam fuisse quare à partu non statim redierint in Nazareth, vnde venerant, quàm observatio dierum purificationis: & quoniam dicit reuersos postquam omnia perfecerunt, verisimile videtur in Nazareth reuersos fuisse antequam in Ægyptum fugerent. Rursus ex eo quod Ioseph secundum narrationẽ Matthęi, rediens ex Ægypto cogitauit redire in Iudęã admonitus autem in somnis, secessit, in Galilæam: apparet è Iudæa, & non è Galilæa ipsum fugisse. Alioqui enim, vt videtur, eo non dubitasset esse redeundum vnde fugerat, maximè cum ibi etiam domum haberet propriam.

An Christus verè secũdum animam proficerit.

Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientia, & gratia.] Hactenus cœlestis ille princeps notter, qui sese nostra causa vsque ad fascias, cunas, vagitus, & imbecillem corporis infantiam deiecit, alieno testimonio prędicatus est & commendatus, Cæterùm nunc Lucas ostendere incipit quomodo paruulus iste seipsum commendare, cœperit, sapientiæ, omnisque diuinæ gratiæ ostensione. Puer (inquit) crescebat, corpore scilicet: & cõfortabatur spiritu scilicet. Nam dictionem spiritu Græci codices hic addunt, quemadmodum prius cum de Ioanne quoque dixit Lucas: Puer autem crescebat & confortabatur. Apparet autem ab aliquo reiectam hoc loco dictionem, spiritu, quod offenderetur illo quod Christus diceretur secundum spiritum confortari, cuius spiritus ab initio plenus fuerit omni gratia. Verum offendi hinc non oportet, cùm & postea dicatur profecisse sapientia, & ætate. Recepta autem est apud

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnes pene ea sententia, quod Christus secundum animam non profecerit re vera, sed perfectus fuerit ab initio sapientia & omni gratia. Ita enim Hieronymus sentire apertè videtur super eo loco Ieremię Fœmina circundabit virum: vt prius ostensum est. Sic sentit manifestè Augustinus libro de peccatorum meritis & remissione, capite vigesimonono, sic scribens: Quis enim est qui audeat dicere Dominum CHRISTVM tantum maioribus, non etiam paruulis factum Iesum, qui venit in similitudine carnis peccati ut euacuaret corpus peccati, in quo infirmissimo nulli vsui congruis vel idoneis infantilibus membris, anima rationalis miserabili ignorātia prægrauatur. Quām planè ignorātiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo verbum caro factū est vt habitaret in nobis, nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo paruulo fuerim suspicatus quam videmus in paruulis. Hæc ille. Proinde quod dicitur Christus confortatus spiritu, & profecisse sapientia, sic communiter intelligitur, quod in eo paulatim magis emicuit fortitudo spiritus, & sapientia, ita vt tantum creuerit eius sapientia in ostēsione & opinione hominū. Quo modo debere intelligi videri potest ex eo quod postquā dixisset: confortabatur spiritu: adiecit, plenus sapiētia: quasi significare volens eum non vulgarium hominum more profecisse in fortitudine spiritus & sapiētia, vt qui semper fuerit plenus sapientia. Verùm ex isto hæc sentētia probari non potest. Pro dictione enim, plenus, non est Græcis nomen πλήρης, sed participiū πλερώμενον, quod (vt annotauit Erasmus) indicat illum impleri sapientia accessu ætatis. Non potest autem hoc participium vna dictione bene correspondente exprimi apud nos, cùm sit præsentis temporis passiuæ significationis, tamen per circumlocutionem sic eius significationis vis exprimi posset: confortabatur spiritu accipiens plenitudinē sapientiæ: ex qua explicatione patet hic à Luca non significari puerum hunc semper fuisse plenum sapientia quod si etiam dictum fuisset, non tamen ex eo sequeretur Christum verè non profeciisse. Plenitudo enim gratię non impedit profectum, cùm ea Ioanni aliisque tribuatur,

buatur, quibus gradus & accessionem nihilo secius tribuimus. Itaque cùm scripturis sacris & fidei syncerităti obstare nō videatur, si dicatur, deitas per gradus quosdam dotes suas impartisse humanæ naturæ assumptæ, & Lucas id apertè hoc loco bis dicat, eisdē verbis nunc loquens de Christo quibus prius de Ioanne, putāt quidam hæc Lucæ loca simpliciter accipienda, vt verè Christus significetur profecisse sapientia sicut profecit ætate, Nam quod plerique veteres dicunt Christum ab initio fuisse plenum sapientia, nec potuisse proficere, magis videntur respexisse ad sapientiam eius diuinam quę competit Christo quatenus Deus, quemādmodum id patet in Hieronymo scribente super illud Isaiæ: Butyrum & mel comedet, &c. Licet, inquit, post multa secula de eo Euangelista testetur: Puer autem proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines; & hoc dicatur vt veritas humani corporis approbetur, tamē adhuc pannis inuolutus, & butyro pastus ac melle, habebit boni maliq; iudiciū, vt reprobans mala eligat bona. Nō quod hoc fecerit, aut reprobauerit, vel elegerit, sed quod scierit reprobare & eligere, vt per hęc verba noscamus infantium humani corporis diuinæ non præiudicasse sapientiæ. Et Ambrosius hoc loco fatetur Christum secundum quod homo erat profeciisse. Secūdum carnem (inquit) vtique sapientia Dei implebatur & gratia. Et sub nomine Theophili in catena aurea sic legitur: Sicut verbum in carne passum fatemur, quamuis sola caro fuerit passa, quia caro verbi erat quæ patiebatur: ita proficere dicitur, ex eo quod humanitas proficiebat in ipso. Verum hęc à Scholasticis, & bene quidē intelliguntur dicta esse de sapientia Christi ipso vsu & experientia acquisita, cùm prius ab initio conceptionis fuerit infusa animæ eius omnium rerum cognitio: Sicut enim ex prædictis autoritatib. Ambrosij & Theophili patet in Christo ponendam sapientiam aliquam tempore & vsu rerum acquisitam, contra magistrum sententiarum, qui eam non videtur agnoscere, distinctio. 13. lib. 3 ita ex Augustino, aliorūque, authoritate ac ipsa denique ratione omnino videtur Christo etiam quatenus homini tribuendam perfectam omnium rerū

Isaiæ. 7.

à conce-

Universidad de Deusto
Biblioteca

à conceptione cognitionẽ ei infusam. Nam prẽter scientiam beatæ visionis, qua secundum animum assiduè fruebatur sua diuinitate, ex qua multo plenius anima eius omnia cognoscebat quàm angeli, qui ex cõspectu & fruitione diuinitatis omnium rerum habent cognitionem, maximè quantum ad se pertinet. Prætet hanc, inquam, omnino verisimile est & cogenitam quandam in eo omnium rerum fuisse scientiam, quam verbum Dei animæ suæ in ipsa creatione implantauit ad eum modum quo angelis suis ab initio naturalium rerum perfecta cognitio cõgenita est, sicut & ipsi Adã. Neque enim conuenit animam Christi his esse inferiorẽ. Porrò quomodocunq; intelligantur hæc loca Lucę, illud certum his verbis: Puer crescebat & confortabatur, &c. ipsum voluisse ita notare veritatem assumptę ab eo naturę humanæ, vt tamen etiam significaret in eo aliquid homine maius apparuisse. Si enim statim ex vtero matris processisset in staturam viri perfecti, & si ab initio mox suam declarasset sapientiam, creditus fuisset fantasma fuisse, & prodigiosus aliquis homo. Esse tamẽ in eo aliquid homine maius satis declaratum est, quòd simul cũ ætate augebatur & robur spiritus & sapientia. Nõ enim obnoxius erat iis vitiis quib. ea ętas solet laborare, ineptia, laciuia, inconstantitia, stulta: sed robur spiritus cœlestisq; sapientia in dies magis ac magis sese exerebat vultu, incessu, sermone & factis, in quibus nihil erat quod non spiraret modestiam, castitatem, suauitatem, pietatem. In eo autem quod sequitur, & gratia Dei erat in illo: nomen gratiæ accipitur rectè pro acceptatione Dei, & fauore quo filium suum, nosq; per illũ sibi gratos habet. Nam pro. in illo Græcè est ἐπ' αὐτο. super illum, quod huic sensu: bene conuenit. Non enim videtur accipi posse pro gratuito Dei dono, cùm nõ vna aliqua gratia in ipso fuerit, sed gratiarum omnium plenitudo. Itaque sensus erit: Dei patris fauorem fuisse super ipsum, donis suis illum ornantis, ac ipsum in omnibus moderantis & componentis. Quidam tamen per gratiam Dei hic intelligũt gratiã vnionis, hoc est, gratuitam illam coniunctionẽ verbi cum humana natura, quæ humanam naturam omnibus charismatibus spiritus

ritus replebat. Potest quoq; rectè & simpliciter per gratiam Dei, ipse spiritus sanctus intelligi, qui cum omnibus suis donis animam pueri inhabitabat. Nam illud, ἐπ' αὐτο. rectè intelligitur, in ipso quemadmodum prius cum de Simeone dictum est; & spiritus sanctus erat in eo. Bene autem dicit ipsum & plenum fuisse sapientia, & habuisse in se gratiam Dei, vt ostenderet eum & admirabilem fuisse ob sapientiæ augmentum supra ætatem, & amabilem fuisse omnibus ob diuinam gratiam in ipso effulgentem, & omnes in amorem pueri pertrahentem. Neque gratiam solùm dicit in eo fuisse, sed gratia, inquit, Dei, vt ostenderet fauorem pueri non fuisse vulgarem, aut temporarium, quem sibi nonnunquam puerilis ætas humanis & naturalibus dotibus colligit puta formæ gratia, aut præcoci docilitate, aut alio denique simili munere.

IN EPIPHANIA DOMINI

EVANGELIVM.

IN illo tempore: Cùm ergo natus esset Iesus in Bethleem Matt. 2.
Iudæ, in diebus Herodis regis: ecce. Magi ab Oriente
venerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est
Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, &
venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turba-
tus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans om-
nes principes sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab
eis, vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethleem
Iudæ. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethleem
terra Iudæ, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te
enim exiet dux, qui reget populum meum Israel. Tunc He-
rodes clàm vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stel-
læ, quæ apparuit eis. Et mittens illos in Bethleem, dixit: Ite
& interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis renun-
ciate mihi: vt & ego veniens adorem eum. Qui cum audissent
regem, abierunt: Et ecce stella, quam viderant in Oriente, an-
tecedebat eos, vsque dum veniens staret suprà, vbi erat puer.
Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno valde. Et
intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius:
& procidentes in terram, adorauerunt eum. Et apertis the-

sauris

Universidad de Deusto
Biblioteca

sauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, tus, & myrrham. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

HOdierna solennitas, dilecti in Christo, sacrosancta nobis erit, & magna celebritate peragēda, tū, quia ordinem nobis legitimum institutionis Christianæ continuet, tum quia apertissimum testimonium exhibeat, Christum dominatorem & regem, gentium quoq; fore saluatorem, & vaticinium Esaiæ impletum esse. Prober: Lauda sterilis quæ non paris, quia multi filij desertæ, magis quàm eius, quæ habebat virū. Hic enim gentium vocatio sumpsit initium: Iustum enim fuit: vt mundi saluator, quem sui negaturi erant, reciperetur à gentibus, vt horum fides illuminaretur, dum Iudæorum perfidia est exæcata. Id autem quàm eleganti methodo in Ecclesia fiat, paululum contemplemur. In die natalis Christi, personam saluatoris angelus claro testimonio demonstrauit in Bethleem natum, & in festo circuncisionis, qualis saluator sit, didicimus, nempe, quod suos à peccatis, à lege, à morte pariter, & damnatione redemerit. idque non armis, aut corporali potentia verum patientia, modestia, obedientia, mansuetudine, & sanguinis effusione. Cùm itaque duos istos, quantum satis est, Christianæ religionis articulos, intellexerimus, & quis sit in persona, & qualiter se gesserit in redemptionis historia, consequens fuit, quibus profutura sit redemptionis gratia, explicare. Quod nobis in præsenti festiuitate meditandum proponitur. Iudæi sibi solis messiam saluatorem mittendum astruunt, gentes verò reiiciunt. Cæterùm hodierni Euangelij series manifestè demonstrat, diuina beneficia mundo per Christum collata, non tantum ad reliquias Israelis conuertendas, verùm etiam gentium lucem fore, & salutare Dei vsque ad fines terræ. A nato enim seruatore, quod medium parietem sustulit, vt duos in se conderet, nullum restat discrimen, sed omnis, qui inuocauerit nomē Domini saluus erit. Negari nō potest, solis Iudæis Messiam promissum, à quibus & carnem suscepit, quibus & solis prædicauit, omnésque suos discipulos ex ea gente delegit.

Esa. 54.
Rom. 11.
Ephes. 2.
Ioel. 2.
Matt. 15.

Non tamen inde conficitur, ad ipsos solos pertinere, gentes verò vt perpetuos hostes, nunquam recipiendas in gratiam. Cùm enim ex hoc Euangelio constet, gentes longè positas, de nato seruatore cœlesti miraculo edoctas, haud secus, vti & Iudæi, oraculo angelico, eadémque fide, stella duce, illos quemadmodum hos, angelo demonstrante, ad Christum peruenisse, nemo dubitare potest, vtróque æquo iure, ad Christum pertinere. Hæc præsentis solennitatis est causa, quàm si attenta mente perpendamus, nobis ex gentibus procreatis, plurimum gaudij conferet. Tametsi enim ipso natiuitatis die, omni populo magnum gaudium pastoribus denuntiauerit angelus, quia tamen solis id dictum est Iudæis, & in propriis terminis constitutis, dubium erat de gentibus, quid fieret. Hodie verò mysterium illud, quod à seculis fuit absconditum, reuelatum est, videlicet, gentes esse concorporales, cohæredes, & compartipes promissionum Christi. Quapropter summopere gaudendum nobis est, & cum Ioanne exclamandum. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se. Et illud Isaiæ, Gaudens, gaudebo in Domino, & exultabit anima in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me, &c. Ante, hæc Iudæi sibi solis vendicabant omnia, quid posthac dicturi sunt, cum intelligent quod etiam gentibus conspicuum se fecerit Messias illustri preconio. Hoc autem quo pacto sit factum, audiamus.

Ephes. 3.
Apo. 19.
Esa. 61.

CVm ergo natus esset Iesus in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis, &c.] Locum simul & tēpus quo Christus natus est nominat Euangelista, non solùm propter historiæ certitudinem, sed locum quidē etiam propter prophetiam Michææ, tēpus verò regni Herodis alienigenæ, propter prophetiam Iacob Patriarchæ, nimirum vt ostenderet tempus tum fuisse, vt secūdum illius prophetiam Christus expectatus nasceretur. Locum autem nominaturus adiecit, Iudæ, ad distinctionem alterius Bethleem, quæ fuit in Galilæa, in sorte Zabulon, vt patet Iosue 19. Et quidem Græca hic habent *Iudææ*, hoc est, Iudææ quomodo & aliquando lectum fuisse in Latinorum

rum libris paret ex Hieron. qui putat corruptè & librariorum errore legi, Iudææ, eo quod Iudææ appellatione contineatur tota Israelitarum hæreditas, ac proinde etiam Galilæa, ita vt nomine Iudææ addito non possit distingui ista Bethleem quæ erat in tribu Iudæ, ab ea quæ erat in Galilæa: quare legendum putat, Iudæ, vt significetur terra tribus Iuda, maximè cum postea dicatur: Et tu Bethleem terra Iuda. Sciendum tamen rationem Hieronymi non esse efficacem. Nam quamquam nomine Iudææ nonnunquam significetur tota Israelitarum hæreditas nonnunquam tamen sola ea pars hoc nomine designatur, quæ sorte obuenit tribui Iudæ, vt cùm postea eodem hoc capite Matthæus dicit Archelaum regnasse in Iudæa, ac propterea Ioſephum timuisse illò ire, & secessisse in Galilæam. Iam sicut Iudæ vel Iudææ additum est, ad distinctionem alterius Bethleem: ita cùm dicit: in diebus Herodis regis additum est nomen regis ad distinctionem huius Herodis ab alio Herode, qui sub eodem nomine apud Iudæos præfuit Galilææ sine regis nomine.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymã dicentes, &c.] Quoniam rem nouã est narraturus, præmonet lectorẽ aduerbio, ecce. Et notanda quidem locutionis cõtinuatio: Cum natus esset Iesus, ecce Magi venerunt: vt intelligas statim post Christi natiuitatem Magos venisse. Non parua autem quæstio est, quales fuerint hi Magi. Quidam enim maleficos fuisse autumant, alij sapientes, plerique etiam reges. Similis quæstio est, à quo oriẽtis loco venerint, & qualis fuerit stella ea quæ Christum eis natum demonstrauit, & qnomodo id ex apparente stella innotuit. Quæ omnia vt certius intelligantur, de significatione & vsu nominis Magus apud probatos scriptores altius qnædam repetẽda sunt. Et in primis annotanda ea quæ de Magia & Magis scribit Cælius lib. 3. ca. 42. Qui (inquit) accuratius introspicere ista enixi sunt, Magiæ species duas deprehenderunt. Alteram infamis est, ac immũdorũ spirituũ commerciis inauspicata. Reliquam si pensitatius explores, disciplina quæ non ferè aliud est quàm naturalis philosophiæ apex. Priorem illam non magnopere magiam, sed goetiam vocant

Qui fuerint Magi.

Cælius lib. 3. cap. 42.

vocãt Græci, incantationibus & carminibus nefariæ curiositatis arte compositis concinnatam quam honestiore vocabulo etiam theurgiam nuncupare audent. Quæ vero propriè Magia nũcupatur, perfecta creditur, & summa scientiæ potestas, quãdo Persarum lingua est. Magus non ferè alius, quam diuinorum interpres & cultor. Goetiam omnium placita legum exterminant, execrantúrq; Magiam festo plausu sapientissimus quisque excipit, venerator & colit, vt quæ altior sit, sanctiórque philosophia, ex qua insignis profluat literarum claritas. Pythagoram, Empedoclem, Democritum, Platonẽ quoque hanc equis velisq; conquisiuisse, nauigatione susceptã non longiore modò, sed & periculosa, constans opinio est, Huius veluti parentes celebrant Zamolxidem, quem postea sit imitatus Abbaris Hyperboreus: & Zoroastrem, nõ quem vulgatis recipit opinio, sed Oromasi filium. Plato certè in Alcibia de apertius testatur non aliud sibi videri Zoroastris Magiam, quam diuinorum scientiam atque cultu, qua imbuebatur Persarum regum filij, vt ad mundanæ reipub. imaginẽ, suam & ipsi rempub. administrare, distribuerẽq; condiscãt. Propterea M. Tullius in lib. de Diuinat. neminem apud Persas regio potiri fastigio scribit, qui prius magicam non imbiberit scientiam. Hæc naturalium consensum, quem significantissimè Greci συμπάθειαν vocãt, indagine scrupulosa dum rimatur exploratius, inter sparsas mũdo potestates rerum, alioqui quasi illatebratas, in naturæque quodammodo sanctariis recõditas in apertum ita producit, vt per illecebras mutuas, quę Magorũ ἰυγὰς nuncupantur, & cognationem quandã miracula consurgant maximè mira, non vtiq; Magia ipsa artifice, sed natura potius, cui se hæc mutuos copulando aptè cõsensus ministram exhibet. Ecclesiasticos multos nouimus hanc amplexatos. Hanc denique Albertus Magnus ita approbasse comperitur, vt sequeretur, & periclitando multa se deprehendisse non erubescat non inficiari. Denique ad inuiscendum, adorandúmque Christum venisse Magos veritas testatur euãgelica. Eos opinor impium fuerit omnium suffragio damnãtis illis adiecisse, quando & interpres quidã non maleficos ibi, sed Chal-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dęorum ſapientes monuit intelligi oportere. Hactenus Cœlius, omiſſis quibuſdã in medio quæ propoſito huic non conueniebant, Cæterum quoniã Ciceronis meminit, placet & illius verba quibus Magorum meminit, ſubſcribere. Hic enim 1. lib. de Diuination. ſic circa finẽ habet: Omnino apud veteres, qui rerum potiebantur iidem auguria tenebant. Vt enim ſapere, ſic diuinare regale ducebant, vt teſtis eſt noſtra ciuitas, in qua & reges augures & poſtea priuati eodem ſacerdotio prædicti rempublic. religionum autoritate rexerunt. Et in Perſis augurant; & diuinant Magi, qui congregantur in fano commentandi cauſa, atque inter ſe colloquendi. Quod etiam iidem vos quondam facere Nonis ſolebatis. Nec quiſquam rex Perſarum eſſe poteſt, qui non antè Magorum diſciplinam ſcientiamque perceperit. Hactenus ille, qui eodem libro ante hunc locum exprimit qui dicebantur Magi, & quanta in eis prædicendi fortuita fuerit ſcientia. Quid ego (inquit) quę Magi Cyro illi principi interpretati ſunt, ex Perſicis libris proferam? Nam quum dormienti ei ad pedes ſol viſus eſſet, ter eum ſcribit fruſtra expetiuiſſe manibus quum ſe conuoluens ſol elaberetur & abiret: ei Magos dixiſſe (quod genus ſapiẽtum & doctorum habebatur in Perſis) ex triplici apparitione ſolis 30. annos Cyrum regnaturum eſſe portendi. Quod ita contigit, &c. Et poſt pauca: Qua nocte templũ Epheſiæ Dianæ deflagrauit, eadem conſtat ex Olympiade natum eſſe Alexandrum: atque vbi lucere cœpiſſet, clamitaſſe Magos, peſtem ac perniciem Aſiæ maximam proxima nocte natam. Ex his autem patet, primum Magos propriè non dici maleficos & incantatores, ſed eos qui naturalis Philoſophiæ culmen aſſecuti ſunt. Complectitur enim Magia teſte Plinio libro viceſimotres artes, nempe Phyſicam, Metaphyſicam, & Aſtrologiam. Patet deinde nomine Magorum nominatos potiſſimum ſapientes Perſarum, quod hi in primis magnam diſciplinam percalluerint: quemadmodum proprio nomine ſapientes Indorum Gymnoſophiſtæ dicti ſunt, & ſapiẽtes Græcorum, Philoſophi: Gallorum verò Druidæ vel δρυΐδαι, ἀπὸ τῆ δρυὸς, hoc eſt, querca: Vt auctè ex Cicerone patet ſapiẽtibus Perſarum proprium fuiſſe nomen

Cic. lib. de diuinat.

nomen Magorum, ita etiam ex Plinio lib. 6. cap. 27. vbi in deſcriptione Perſię ſic ait: Perſia habet in extremis finibus Laodiceam ab Antiocho conditã. Inde ad orientem Magi obtinent Paſſagardas caſtellum, in quo Cyri ſepulchrum eſt, & horum Ecbatana oppidum translatum à Dario rege ad montes. Idem teſtatur lib. 20. Magiam imperare regum regibus in oriente: quamuis eo loco Magiam orientalium improbet. Itaque cum Euãgeliſta viros iſtos qui ad adorandum Chriſtũ venerant, Magos abſolutè vocet, & ab oriente veniſſe dicat, omnino videri poteſt hic Perſicos illos ſapientes voluiſſe ſignificare, quos certè hic ſignificatos intellexiſſe Cicero & Plinius. Et Chryſoſtomus exiſtimãt Perſas fuiſſe Magos iſtos, nimirum quod illorum ſapientibus id nominis propriũ eſſet. Verũ his obſtare videtur quod prius dictum eſt Magos ante purificationẽ virginis in Bethleem veniſſe, imò ſecundum communem Eccleſiæ traditionem die 13. à nato puero, intra quod tempus non poteſt videri veriſimile ex Perſide peruenire in Hieruſalem potuiſſe Magos, cũ Perſia 300. prope miliaribus à Hieruſalem diſtare dicatur, ad quod iter tantillo tẽpore abſoluẽdum nec dromedarij certè ſuffecerint. Nã quod dicitur à quibuſdam miraculo hoc eſſe factum, vt tam breuis temporis ſpacio tantum iter abſolueretur, tam facilè reiicitur quàm aſtruitur. Quod autem quidam aſſerunt eos ad iter hoc ſeſe accinxiſſe vno aut altero anno antequam Chriſtus naſceretur, & ſtellam eis prius apparuiſſe quã Chriſtus natus eſſet, quemadmodum ſentit is cuius ſunt homiliæ ſuper Matthæũ nomine Chryſoſt. & Auguſt. in ſermone de Epiphania, ex eo ſatis probatur nõ eſſe verum quod dixerunt Magi: Vbi eſt qui natus eſt Iudæorum rex? Vidimus enim ſtellam eius in oriente. Quibus verbis ſignificant ſe ex apparente eis ſtella intellexiſſe natum regem Iudæorũ quod certè falſum erit, ſi ante natum hunc regem multò ante ſtella ac eis viſa fuit. Proinde notandum, nõ ſolum genus quoddã ſapientum quod apud Perſas erat vocatũ, quaſi proprio eis nomine, Magos: ſed & ſapientes Chaldæorum, quos Ciceronem & Chryſoſt. ſub nomine Perſarum, etiam comprehẽdiſſe veriſimile eſt,

Quomodo Magi ad ueniret cæ perunt.

quod aliquando vnum fuisset Persarum & Chaldæorum regnum. Chrysostomus enim dicit Iudæos paulò ante fuisset liberatos captiuitate Persica: vbi proculdubiò per captiuitatem Persicam intelligit captiuitatem Babilonicam. Chaldæos autem Steuchus & veteris Theologię principes meritò facit, & prius Magos dictos fuisse quàm sapientes Persarum testatur. Sic enim scribit libro de perenni philosophia 1. cap. 3. Magi Persarum & Chaldæorum (nam priores sunt Persis Chaldæi & regno, & ortu, eoque doctrina potius erat Chaldæorum) sapientes ac sacerdotes eius nationis fuerunt qui regum gestas scriberet, secretiores quasdam scientias soli cognitas habentes. Hos constat non solùm res diuinas plurimum tenuisse, sed etiam dæmonum naturas, & euocationes adeo cognouisse, vt mira portenta eos euocatos cogerent in conspectu edere. Hinc Balaam horum è numero Magorum sua tempestata celeberrimus, creditus est posse veneficiis & incantationibus obesse populo Hebræorum ascitus à rege Moab ob hanc causam. Habitabat autem is, vt testatur Moses super fluuium filiorum Ammon, hoc est, Euphratem: quò fit perspicuum, eum fuisse Aramæum, siue Chaldæum, vnum nempe ex his Magis Hactenus ille, qui deinceps ostendit inter hos Magos fuisse & Sibyllam illam nobilem Erithream, quæ fertur Chaldæa fuisse filia Berosi Chaldæi, tum & Sambethen, quæ clara & aperta de diuinis rebus, & filio Dei ediderunt testimonia. Sed & Magorum horum quædam testimonia de filio Dei: & ab æterno genita mente recenset, sic scribens In dictis igitur Magorum; à Zoroastre descendentium (etsi quod fieri solet, ad superstitiones, vanissimumque dęmonum & elementatorum cultum nonnunquã deflexerint) hæc ad alia habẽtur: πάντα ἐξετέλεσεν πατὴρ, καὶ τῷ παρεδωκε διανοίᾳ, ἣν πρώτην καλίζεται πᾶν γένος ἀνθρώπων· hoc est: Omnia perfecit pater, & menti tradidit secundæ, quam vocant primam omne hominum genus. Hactenus ille, qui deinceps cap. 22. ostendit quomodo factum sit, vt ex stella apparente intelligerent Magi natum Christũ. Solos (inquit) Chaldæos & Hebræos Apollo testatus est esse sapiẽtes: μόνοι γὰρ Χαλδαῖοι καὶ Ἑβραῖοι σοφοὶ ἦν λέγεται, ἡλίου ἄρα

ἀνατολὰς γνῶναι Solis nosse datum Chaldæis, atque Hebræis. Nec aliũde euenisse putes vt hi potissimum cognouerint ortum illius magnæ mentis, diuinæq; prolis, creatricisq; intelligentiæ, quàm ex antiqua eorum Theologia, quę prædicabat apertè fore vt filius ille Dei omnium rerum creator, venturus esset aliquando in mundum, ostendendumq; ipsis Magis super hac re signum de cœlo. Itaque in eorum Theologia quæ referta esset oraculis de filio Dei, & tẽpus aduẽtus declarabatur, & signum quod locum indicaret ostendendum cœlitus. Propterea vigilantissimè obseruabant, ortumq; ea fama Orientem repleuerant, vt Suetonius in Vespasiano & Tito testatur. Præceperatq; Sibylla vt in cœlo signum cõspicati, ducem stellam sequerentur, regemq; magnum adorarent. More autem gentis suę adorarent. Nemo autem apud Persas salutabat regem, nisi muneribus allatis. Munera erãt quorum regio esset ferax. Itaque & illi, quoniam auro propter vicinam Arabiam, & thure ac mirrha abundant Chaldæi ac Persæ, his oblatis regem illum deorum creatorem mundi filium Dei, primam mentem adorauerant. Hactenus ille. Vt autem magis verisimile fiat Sibyllæ illius oraculis edoctos fuisse Magos de nascendo rege Iudęorum, & stella eius natiuitatem denunciãte, notandum id quod ex Cicero idẽ Steuchus adducit. Hic enim sic scribit lib. 2. de Diuinationibus: Sibyllæ versus obseruamus, quorum interpres nuper falsæ quædã homiaum fama dicturus in senatu putabatur, eum quem re vera regẽ habemus, appellandum quoque esse regem, si salui esse vellemus. Ex quibus verbis satis manifestum est publica tunc tẽporis fama creditum à Romanis, libros Sibylle contineri, futurum, aliquem circa illud tempus regem Romanorum, quẽ regem vocare deberet quisquis saluus esse vellet. Hæc autẽ falsa Cicero asserit, nimirũ quod propter tyrannidem superiorũ regum, Romani abhorrerent à regis nomine, imperatoribus eorum, etsi verè regibus, nomen illud tamen denegãres. Verùm Sibyllæ (cuius versus fatetur compositos esse per ἀκροστιχίδα, quales ostendit etiã Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei fuisse versus Sibyllæ Erithreæ) non de regẽ vaticinabatur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur,qui per tyrannidem libertatem erat abluturus, sed per humilitatem asserturus nos in libertatē. Itaque simile vaticinium verisimile est à Magos accepisse ab hac Sibylla,cuius in Chronicis Chronicorum hoc dicitur esse vaticinium, In vltima ætate humiliabitur Deus humanabitur proles diuina. vnietur humanitati diuinitas,iacebit in fœno agnus,& puellari officio æducabitur. Accedit his,quod Magos istos verisimile, sit vt testantur Hieronymus Chrisostomus & alij,audiuisse & didicisse vaticinium Balaam,vt cuius essent successores. Ille ait de stella quadam oritura,quæ potissimum regem aliquem Israelitarum significaret, vaticinatus erat,vt scribitur Numer.24.hoc modo:Orietur stella ex Iacob,& consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab,vastabitq; omnes filios.Set. Et erit Idumea possessio eius,hęreditas Seir cedet inimicis suis:Israel vero fortiter aget.De Iacob erit qui dominetur,& perdat reliquias ciuitatis.Iam verisimile etiam est Chaldęorum, imo & Persarum Magos pleraque ab Hebræis maximè tempore captiuitatis Babylonicæ de expectato ab eis Messia audiuisse, vt etiam ab ea ad inquirēdum & adorandum ipsum proniores fuerint, maximè cùm Hebræorum prophetarum vaticinia viderent consentire cum vaticiniis sibyllæ & Magorum maiorum suorum. Ex his igitur omnibus constat Magos istos sapientes Chaldæorum,ex Chaldæa,loclsve vicinis in Hierusalem venisse.Sic autem simul constat etiam quomodo ex oriente dicantur venisse, & quomodo fieri potuerit vt ante purificationem virginis,imo decimatertia die Bethleem peruenirent. Non enim quoniam ex oriente venisse dicuntur,necesse est intelligere venisse eos ex vltimis terrę finibus, aut ex Persia. Nam & Balaham Numer.23 ab oriente se dicit venisse,De Aram (inquit) adducit me Balac rex Moabitarum de montibus orientis Fuisse autem Magos hos sapientes Chaldæorum,testatur etiam Chalcidius Platonicus in commētariis in Timeum Platonis, sic de eis scribens: Et quoque alia sanctior &venerabilior historia,quæ perhibet ortu stellæ cuiusdam nō morbos morētq; denunciatas, sed descensum Dei venerabilis ad humanæ cōseruationis,

Num.24.

Num.23.

Magi vn de fuerūt.

rumque mortalium gratiam. Quam stellam cùm nocturno itinere respexissent Chaldæorum profecto sapientes viri & consideratione rerum cœlestium satis exercitati quæsisse dicūtur recētem ortum Dei,repertáque illa maiestate pueruli venerati esse,& vota Deo tāto conuenientia nuncupasse. Hæc ille. Itaque vt ad id reuertamur vnde cœpimus,cùm Magia,si propriè accipiatur,sit naturalis philosophiæ apex,& diuinorū scientia,atque in hac primum locum obtinuerint sapientes Chaldæorum atque Persarum, factū est vt illi proprio nomine dicerentur à Græcis Magi:quæ tamen appellatio etiam aliarum gentium sapientibus legitur attributa, vt cum Plinius libro 25. cap.2. dicit Pythagoram & Democritum de naturis herbarum scripsisse,peragratis prius Persidis, Arabiæ, Æthyopiæ, Ægyptiq; Magis.Ex quo etiam satis constare videtur,nomen Magi non esse nomen persicum,vt quidam putant,sed nomen Græcū, tributum sapientibus maximè, Chaldæorum & Persarum,quemadmodū Indorum sapientibus,nomē Gymnosophistarum.Verùm quoniam, vt fieri solet. Magi huiusmodi dum nimis essent curiosi,ad vanitates & superstitiones declinauerunt,& illicitis se dæmonum paggressi sunt, factum videtur vt Magorum nomen pro maleficis in vsu veniret:quomodo Astrologia,quæ Magiæ pars est,cum prius idē esset quod Astronomia, per abusum eius venit in vituperium:quomodo & nomen Sophista abiit in inuidiam apud Græcos, & nomen itē Tyrannus.In vtraq; sua significatione inuenitur nomē Magus in sacris literis.Nam Leuitici 19.vbi vertit Hieronymus:Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid scisciteminī.Et rursus cap. 20. Anima quæ declinauerit ad Magos aut ariolos,ponam faciem meam cō tra eam:magus pro maleficio accipitur Sic & apud Lugum vocat.At in Daniele,vbi nomen Magorū frequēter ponitur, distinguitur à maleficis. Sic enim legitur cap. 2. Præcepit autem rex vt conuocarentur arioli & magi,& malefici,& Chaldæi, &c. Vbi Hieronymus in commentariis sic scribit:Magi sunt qui de singulis phi-

Leuit.19.

Dan.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

losophantur: Mal efici, qui sanguine vtuntur & victimis,& sæpe contingunt corpora mortuorũ.Consuetudo autem & sermo communis magos pro maleficis accipit,qui aliter habentur apud suam gentem, eò quòd sint philosophi Chaldæorum,& ad artis huius scientiã reges quoque & principes eius gentis omnia faciunt. Vnde & in natiuitate Domini saluatoris ipsi primũ ortum intellexerunt, & venientes in sanctam Bethleem adorauerunt puerum stella desuper ostendente. Hæc Hieronymus.Dictio autem Hebraica,quam in Daniele Hieronymus semper vertit per nomen Magi, secundum Fabi Daud significat astrologum, teste Pagnino.Vtrùm autẽ Magi isti,de quibus loquitur Matthæus reges fuerint,& an tres numero, vt nunc habet communis opinio,non planè constat.Nam Euangelista eos reges non vocat,vocaturus,vt apparet, si tales fuissent, cum id ad gloriam Christi non parum pertinuisset.Sed nec veterum interpretum quisquam hos magos reges vocat.Nam Chrysostomus quidem meminit regis Persarum,scribens de Iudæis his verbis: Oportuerat nanque eos continuo sentire quantum sibi esset additum dignitatis,de tãti scilicet natiuitate regis,qui Persarum ad se regem ortu suo triumphante traxisset. Verùm apparet Chrysostomum ob id asserere Persarum regẽ tractum ad Christum,quod illius consensu aut etiam ipsiu Magi,qui apud Persarum reges maximi erant,venissent ad adorandum Christum. Theophylactus tamẽ semel hos magos vocat Persicos reges.Oportebat(inquit)gaudere potius quod rex suus à Persicis regibus adoretur.Videtur autem recepta hæc opinio de magis istis primùm obtinuisse ex his quæ in Epiphaniorum die in ecclesiastico officio canũtur.Tũc enim ex Psalmis decãtatur illud:Reges Tharsis & insulæ munera offerẽt,reges Arabum & Saba dona adducent.Et ex Isaia in Epistola: Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, &c. Verùm hæc non propriè dicta esse de his Magis ex eo manifestum,quod nõ venerint ex Saba aut Arabia,cùm hęc loca respectu Ierusalem planè sint in meridie,non in oriente. Canit enim

Nũ Magi reges fuerunt.

nim hæc Ecclesia in die illo festo,quod his prædicta sit gentium vocatio,quarum hi magi primitiæ fuerunt, in quibus etiam pleraque ad literam competunt, quæ in prophetis mysticè accipienda sunt. Rectè tamen magi isti reges dicuntur,quoniam scilicet potentes erant, & quoniam propter suam sapientiam soleant semper regibus Persarum astare, sine quorum consilio nihil in regno gerebatur,nec statuebatur, imò ex quorum numero semper esset Persarum rex. Siquidem prius ex Cicerone patuit nemine persarum regem esse potuisse, qui nõ Magicam scientiam perceperit.Et,vt dictum est ex Plinio, magia in oriente imperabat regum regibus. Et in libro Hester septem illi sapiẽtes,qui ex more regio semper aderant regi Persarum Assuero, quorũ cõsilio cuncta fecisse dicitur,scientes leges ac iura maiorum,duces Persarum ac Medorum vocantur, quos & ipsos magos fuisse certum est.Et Plinius magos Passargardas castellum & Ecbatanam oppidum obtinuisse testatur.Ammianus quoque libro 23. post miranda quædam de magis enarrata sic scribit: Ex hoc magorum semine septem post mortem Cambysis regnum iniisse Persidos antiqui memorant libri, docentes eos Darij factione oppressos.His itaque rationibus & Theophylactus videtur eos vocare Persicos reges.Sic enim & in libro Tobiæ cap.2.& ab Ambrosio lib. 1. officiorum cap. 12. tres amici Iob reges vocantur: qui & ipsi magi videri possunt,si eorum in disputando scientiam quis adhibeat.Tres autẽ fuisse in suis sermonibus semper affirmat Leo primus.

Ammia. lib.23.

Tobiæ 2. Amb.li. 1.offic.

Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente.] Conueniẽs certè omnino erat Christi natiuitatem & pastoribus Iudæis personis humilibus, & magis gentilibus viris potentibus & sapientibus manifestari,vt ostenderetur omnibus natus saluator, & ab vtraque gente testimonium acciperet. Si enim solt Iudæi illi testimonium perhibuissent nouo regi, visi fuissent cognationem suam honorare.Nunc autem & alieni testamento Dei testimonium eidem perhibuerunt. Inimicorum autem testimonium maioris solet esse fidei.Vide Basilium in sermone de natiuitate. Sed prius

quidem Iudæis manifestari debuit, quoniam & Iudæis primùm prædicari oportebat Euangelium. Deinde in pastoribus quidem demonstratum est, quibus Euangelij mysteria primùm & maximè aperienda forent, quique potissimum ad testificandum de Christo deligendi essent. Verùm quoniam pastorum testimonium leue videri poterat, additum est & magorum, virorum scilicet quos mundus admirabatur, & qui videri non poterant venturi è longinqua terra in externum regnum ad adorãdum regem extraneum, nisi persuasissimum habuissent natum esse regem quem quærebant, eúmque dissimilem aliis regibus fore. Verùm pastoribus per angelũ Christi natiuitas annũciata est, Magis autem per stellam: quoniam illi multa patribus angelos denunciare solitus cognouerunt, & hi cœlorum astrorumque motum diligenter obseruabant, astris multum tribuentes. Habet enim hoc diuinæ sapientiæ dispositio, vt per ea in cognitionem sui homines ducat quibus assueti sunt. Vtrobiq; tamen cœlesti signo Christi natiuitas declaratur, vt cœlorũ, angelorúmq; pariter & astrorum dominus demonstraretur, qui in terris natus fuerat, vt cui & angeli & astra seruirent. Qui autem stellæ indicio Christum natum magis ostenderat, poterat & sine humana instructione locũ natiuitatis demõstrare: sed magis conueniebat vt Magi sciscitantes in Hierusalem vrbe regia & præcipua Iudæorũ, & natum ipsorum regem nescientibus denunciarent, & locũ natiuitatis Christi ab eis vicissim discerent: tum vt de Christo quem quærebãt certiores redderentur Magi, discentes prophetæ vaticiniũ cum stella Christum in Bethleem natum demonstrante consentire: tum vt gloria Christi clarius effulgeret, testimoniũ illi perhibentibus etiam Magis, & Iudæorum cæcitas & desideria condemnarentur, dũ gentes vnico viso astro crediderunt: ipsi autem neque ex tot prophetis tempus visitationis ipsorum agnouerunt: & gentibus regem ipsorum tãto desiderio ex longinqua regione quærentibus, ipsi dominatum non quæsierunt, imò regem suum, quem ex libris propheturum alius móstrauerũt, ipsi videre neglexerũt. Postremùm hac ratione demonstrauit Deus, non omnia omnibus manifestari, sed

sed mutua nos in cognoscẽdis diuinis rebus egere ope ra, iámq; in proximo fore eam gentium & Iudæorum conditionem, vt vtrique ab vtrisque discere deberent. Itaque interrogant Magi dicentes: Vbi est qui natus est, &c. Vnum quærunt, & vnum asserunt. Asserunt enim natum, sed quærunt nati pueri locum. Quærunt autẽ de rege Iudæorum, non qualicunq;, sed eo quem iam multis seculis sciebant expectatum à Iudeis, cui ex vaticinio Balaham totum orbem subiiciendum non ignorauerunt. Vnde postea dicitur Herodes occasione interrogationis Magorũ quæsiisse ex Scribis vbi Christus nasceretur, nimirum quod de illo rege Iudæorum interrogassent, qui Messias & Christus communi hominum appellatione dicebatur. Proinde Græci articuli vim conuenit non dissimulare, πῦ ἐστιν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς Ἰουδαίων: hoc est: Vbi est ille natus rex Iudæorum. Quæ verba dupliciter intelligi possunt. Primum simpliciter, vt sit sensus: Vbi est ille rex Iudæorum, qui iam natus est? Secundò, vt significetur rex iste quem quærunt esse natus rex hoc est, qui non ab hominibus in regem eligendus esset, & vngendus in legitima ætate, sed qui in tua natiuitate rex esset Iudæorum, ad distinctionem aliorum regum Iudæorum. Porrò etsi in Ierusalem regnaret Herodes, non metuerunt tamen alterius regis Iudæorum mentionem facere, quia non putabant alicui Iudæorum, nec ipsi Herodi incognitam esse natũ. iam regem, eiusq; claritatem apud eos quoque cœlestibus signis declaratam: nec in animum inducere potuerunt, non lubenter omnes Iudæos & Proselytos de eo rege audituros, quem iam multis expectassent seculis tanquam saluatorem ipsorum. Deinde & efficaciæ gratiæ diuinæ id ascribi potest, quæ vt non solùm eos instruxit de nouo rege nato, sed ad inquirendum eum, adorandúmque commouit & accendit, ita & effecit ne præsentem metuerent regem ob amorem noui regis quem quærebant. Proinde Chrisostomus in secunda expositione super Matthæum: O beati (inquit,) magi, qui ante conspectum crudelissimi regis priusquam Christũ cognoscerent, Christi facti sunt confessores. Addunt autem rationem quare quærant de nato rege Iudæorum

& quo

Universidad de Deusto
Biblioteca

& quo indicio eum iam natum esse cognoscant aperiũt cum sequitur : *Vidimus enim stellam eius , &c.*] Stellam eius , vocant stellam nouam declaratiuam natiuitatis eius. Sicut autem his verbis satis significatur magos ex ortu nouæ stellæ intellexisse ortũ Christi, ita quoque colligere hinc licet non his magis primùm reuelatum fuisse stellam hanc portendere Christi natiuitatem , sed antiquam fuisse reuelationem hanc, atque à patribus magos accepisse exorituram nouam stellam, quæ regis Iudæorum maximi ortum monstraret. Non enim dicunt, vidimus stellam quandam nouam in aere, & fuit nobis reuelatum quod demõstraret natum regem Iudæorum: sed solùm vidimus stellam eius, & cum articulo τὸν ἀστέρα, satis significãtes se vidisse eã stellã quam ex antiqua traditione non dubitauerunt esse ipsius. Nõ enim id noui sibi contigisse significant , vt docerentur quid apparens eis stella portenderet, sed id tantũ, vt viderent stellam iam diu scilicet expectatam & obseruatam. Deinde si non antiqua fuisset stellæ illius expectatio, sed ipsi magi de seipsis dixissent vidisse se stellam, & de ea reuelatum tũc sibi portendere ipsam natiuitatem Messiæ , ex eorum verbis nõ multum cõmoti fuissent Iudæi, & maximè Herodes, sed tãquam vana somnia reiecissent. Porrò stellã hanc non fuisse veram stellam, vnámq; de numero astrorum cœlestium, ex multis patet. Et primum quidem ex motu. Nam cùm reliqua omnia astra moueantur motu diurno ab oriente in occidentem, hæc mouebatur à septentrione versus meridiem. Talis enim est situs Ierusalem respectu Bethleem. Secundò ex splendore eius. Siquidem nulla astra in die apparent propter excessiuum splendorem solis. Hanc solam in die apparẽtem sol occultare nõ poterat. Tertiò ex tempore apparitionis eius. Prout enim opus erat apparebat, & rursum occultabatur, neque certo statutóque tempore reliquorum astrorum more sese cõspiciendam exibuit. Quartò etiam ex loco situs eius. Siquidem non in cœlo sitam fuisse , sed terræ proximam fuisse constat. Alioquin enim neque dux viæ esse potuisset, neq; domum in qua erat cum matre infans demõstrare. Postremùm & ex quiete eius . Stetisse enim dicitur

Quod stella non fuerit de numero astrorum cœlestiũ.

tur supra vbi erat puer, cùm omnes cœlestes stellæ cõtinuo moueantur motu. Proinde non habẽt astrologi genethliaci & Priscillianistę hęretici, quod ex hoc loco patrocinium artis suæ quærant & proferant. Illi enim stellæ huius occasione artem suam comprobare adnisi sunt, vnumquémq; subiectum secundum corpus & animam asserentes constellationi illi (quam fatum vocãt) quæ est in vniuscuiusque natiuitate, hac sua assertione, præter alia multa inconuenientia, tollentes ab homine liberam agendorum & omittendorum facultatem. Dubium autem an cum dicunt se vidisse stellam eius in oriente, intelligendũ sit eos in oriente existentes vidisse etiam stellam eius existentem in oriente: an potius eos in oriente existentes vidisse quidem stellam, sed in terra Iuda existentem. Non est autem huic dubio locus secũdum receptam & communiorem sententiam, qua creditur stella hæc totius viæ dux fuisse ab oriente vnde venerunt vsque Ierusalem, verum hanc sentẽtiam non esse verisimilem ex sequentibus patebit: Sequitur: *Et venimus adorare eum.*] vbi venimus, esse præteriti temporis Græca certissimò docent. Est enim ἤλθομεν. His autem verbis Magi & excludũt falsam suspicionem, qua videri potetant venisse ad perdendum regem, & certitudinem suam ac persuasionem insinuant, nempè quòd tam perspuasi essent natum esse hunc regem , vt non dubitarent eius adorandi gratia venire. Deinde & quanti hunc facerent significant, vt quem solum præ omnibus regibus Iudæorum adoraturi venirent, non ignari scilicet fœlices eos futuros qui illũ sibi haberẽt propitium. Quamuis autem esse possit, imo verisimile secundum prædicta sit Magos agnouisse nati huius regis diuinitatem, id tamen non consequitur ex verbo, adorare, quemadmodum plerique colligunt. Nam in scripturis frequenter homo hominem veneratus, adorasse illum dicitur. Hebraica enim dictio correspondens semper verbo nostro adorandi simpliciter significat prosternere se coram aliquo humi reuerentiæ causa. Hoc autem modo antiquitus veneratio exhiberi solebat regibus, quin & priuatus quandoque priuatum sic venerabatur.

Audiens autẽ Herodes rex turbatus est, & omnis Hierosolyma

Refutatur astrologorum patrocinium.

ſolyma cum illo.] Herodes quidem cum non intelligeret niſi terrenum regnum, iure turbabatur, metués ne ipſo & filij ſui regno per hunc regem priuarentur. Verùm tota ciuitas cur turbabatur? Oportebat, enim gaudere potius, quòd is natus eſſet quem iam diu expectaſſent, cuius adorandi gratia etiam exteri aduenieſſent. Sed turbatio non ſolùm eſt ex timore, ſed etiam ex admiratione, & nouæ rei etſi gratiſſimæ nuntio. Proinde intelligi poteſt Herodem quidem turbatum præ timore: ciuitatis verò ciues quoſdam quidem præ timore, alios verò propter rei nouitatem ſolam fuiſſe turbatos. Aut potius, ut per Hieroſolyma, accipi debet pro maiori parte ciuium Hieroſolymitarum. Nam cùm omnes gaudere deberent, tamen quæ fuit eorum carnalis cæcitas, multi eorum partim timore Romanorum, ne fortè opprimerentur huius noui regis occaſione, partim quod applauderent Herodi, eíque amici eſſent, ſimili turbatione turbabantur qua Herodes. Atque huic ſenſui magis conuenit illud additum ab Euangeliſta: cum illo; quaſi per eam partem voluerit ſignificare ſimilem ciuium fuiſſe perturbationem.

Et congregans omnes principes ſacerdotum & ſcribas populi.] Cùm vnus tantùm eſſet apud Iudæos qui proprie erat princeps ſacerdotum, in Euãgeliis dum principum plurium fit mentio, oportet intelligere eos qui ſibi mutuo in pontificatu ſuccedebant, & aliquando pontifices fuiſſent. Nam ſub Herode cœpit pontificatus eſſe venalis, & ante mortem ab vno ad alterum transferebatur. Aut potius ij intelligendi ſunt vocari principes ſacerdotum, qui principes erant illarum 24. familiarum ſacerdotalium, de quibus 1. Paralip. 24 Nam & ibi legitur de principibus ſacerdotum hoc modo: Diuiſit autem eis Dauid hoc eſt, filiis Eleazar principes per familias ſedecim, & filiis Ithamar per familias & domos ſuas octo. Portò Scribæ dicuntur, non qui ſimpliciter ſcribebant, ſed erat hominum genus quos Hebræi ſuo quodã nomine vocabant: quorum erat profeſſio, vt quemadmodum olim apud Romanos in rebus dubiis ex Sibyllæ libris per aruſpices aut interpretes reſponſa petebantur, ita & iſti conſulti, ex prophetarum libris reſponderent.

1. Par. 24

Proinde

Proinde quos Matthæus, & huius imitator Marcus ſcribas vocat, Lucas appellat legiſperitos. Hebraicè enim dicebantur ſopharim, quo nomine ſunt appellati non à ſcribendo, ſed à ſepher, quod eſt liber aut litera, vt ſint ſopharim quaſi librarij, ab euoluendis enarrandiſque libris ſacris: aut literati, qualis fuit & Eſdras, de quo legitur 1. Eſdræ 7. Et ipſe ſcriba velox in lege Moyſi, hoc eſt, librarius dexter, ſcitus & expeditus in Moyſe. Aut dicti ſunt ſopharim à verbo Saphar, quod eſt recenſere, narrare & nunciare, quod illorum eſſet ſcripturas populo annunciare, prælegere & exponere. Vnde apud Græcos pro nomine, Scriba, ſemper eſt γραμματεύς, quod nomen ſignificat Scribam publicum & cancellarium, cuius officium erat publica ſcripta atque decreta ſeruare, eadémque ſi poſcerentur lectitare. Sic & Saraias dicitur Scriba regis Dauid, & Sobna Scriba Ezechiæ. Admiranda autem eſt in hoc negotio diuinæ ſapientiæ diſpoſitio, mirabiliter omnia quæ hic gerebantur cedere facieus in gloriam nati humiliter pueri, & confirmationem fidei in illum. Gloria enim pueri erat, quòd illi exteri Magi viri & eruditione & fortunæ ſtrepitu nequaquam aſpernandi tam inſigne teſtimonium ferrent, quódque Herodes rex potentiſſimus huius metu pueri conturbaretur. Deinde quod & ipſe Herodes, & principes ſacerdotes cum Scribis, quamuis hoſtes eſſent Chriſti, tamen autores eſſent vt locus natiuitatis Chriſti Magis innoteſceret. Malitioſè enim Herodes inquirebat vbi Chriſtus naſceretur, & tamen neſciens gloriæ Chriſti inſeruiebat. Non quæſiuit autem Herodes vbi Chriſtus natus eſſet (dixiſſent enim ſe neſcire) ſed vbi naſci deberet ſecundum ſcripturam. Hoc enim eſt, vbi Chriſtus naſceretur.

1. Eſd. 7.

At illi dixerunt ei. In Bethleem Iudæ, Sic enim ſcriptum eſt per prophetam.] Is qui ſub nomine Chryſoſtomi autor eſt ſecundi cõmentarij ſuper Matthæũ dupliciter culpat Scribas & pontifices ob eorum reſponſionem ad quæſtionem Herodis. Primùm, quòd alienigenæ & impio regi prodiderint myſterium prophetarum. Deinde, quod in prophetiæ teſtimonio id omiſerunt: Et egreſſus eius à diebus æternitatis: per quod ab Impia ſua cogitatione Hero-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne Herodes reuocari potuisset. Verùm non appa-
eos hac in re culpandos, cùm regi suo cui subiecti erãt,
eidémque proselyto. & pietatem simulanti non potue-
rint non pro suo officio respondere, illud in testimo-
nio iure omittentes, quod propositæ quæstioni non ser-
uiebat. Dubium autem hic est non paruum, quomodo
testimonium hic ab Euangelista aut à Scribis prolatum
ex prophetâ, consentiat cum loco prophetæ. Nõ enim
solùm est in verbis diuersitas, sed etiam contrarietas vi-
detur esse manifesta. Hic enim dicitur: Bethleem ne-
quaquam minima in principibus Iuda. In Michea ve-
rò interprete Hieronymo, dicitur: Et tu Bethleẽ Ephra-
ta paruulus es in militibus Iuda. Proinde Hieronymus
super Micheam, ascribit hanc diuersitatem ignorantiæ
& negligentiæ Scribarum, arbitrantúrque Matthæum
volentem arguere Scribarum negligentiam ergo diui-
næ scripturæ lectionem, sic scripturam posuisse vt ab
eis prolata erat. Addit autem, quosdam asserere Euan-
gelistas per errorem nonnunquam ex veteri testamen-
to citare testimonia, vt qui non ex libro dum scribe-
rent ea carperent, sed memoriæ crederent, quæ non-
nunquam fallitur. De quorum sententia prolixè di-
sputat Erasmus in Annotationibus. Verùm ea senten-
tia tanquam eneruans veritatem & autoritatem scri-
pturæ sacræ, omnino reiicienda videtur. Sunt qui pu-
tant Scribas & sacerdotes non imperitè aut infideliter
respondisse, sed ita adduxisse testimonium & Scribas &
Matthæum, quomodo tunc legebatur in editione Sy-
riaca, qua tunc magis quàm Hebraica veritate passim
vtebantur. Alij Scribas & Euangelistam non tam verba
quàm sensum potius prophetæ voluisse reddere asse-
runt, ostendúntque hoc modo in eundem sensum coin-
cidere & prophetæ locum, & istud testimonium addu-
ctum. Nam Micheæ loci hic est sensus: Tu Bethleem
paruulus quidem nunc es vicus in milibus Iuda, sed ex
te egredietur dux, &c. ac proinde significatur à prophe-
tâ, futuram Bethleem non minimam, sed maximam. Ita-
que cùm id intelligerent Scribæ & Euangelista signifi-
carum à propheta, potius quod sensit explicare voluê-
runt, quàm ad literam obscurum eius testimonium red-
dere.

dere: Quidam autem culpans Hieron. versione in Mi-
chea, vt ostendat testimonium hic citatum conuenire
cum loco Micheæ vnde desumptum est, sicut putat He-
bræa in Michea verti debere: Et tu Bethleẽ Ephrata, pa-
rum est vt sis inter Chiliadas seu Chiliarchos Iudę, &c.
intelliges scilicet nomen illud masculinum, quod Hie-
ron. vertit, paruulus, & Septuaginta ὀλίγος, accipi pro
neutro genere, quo cùm careãt Hebræi, vtuntur pro eo
masculino aut fœminino. Iam idem vult esse: parum est
vt sis inter principes Iudæ. & nequaquã minima es inter
principes Iudæ. Qui enim simpliciter dicitur esse inter
principes, non excellit alios, sed est qui è vulgo princi-
pum. Verum cum Micheas secundum eum dicat parum
esse vt numeretur Bethleem inter principes Iudæ, satis
significatur eam maximam fore inter principes, ac
proinde non minimã esse, vt asserit Matthæus, in prin-
cipibus Iudæ. Sed vt in eo bene quidem dicit quod He-
braicam asserit veritatem non habere verbum, es quod
vertit Hieronymus, sed infinitiuum esse, vertendum vt
sis: ita contra omnium sententiam masculinum nomen
pro neutro accipi debere putat, vt omittamus Hæbrea
nullo modo illum sensum habere posse. Nam Isaiæ cap. *Isaiæ 49.*
49. vbi talis est locutio, qualem hic esse vult: Parum est
vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob. Et Isaiæ *Isaiæ 7.*
7. Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus:
longè alia est phrasis in Hebræo, quàm hoc loco apud
Micheam. Itaque Septuaginta Hebraicam veritatem
paulò rectius quàm Hieronymus reddiderunt. Sic enim
verterunt: καὶ σὺ Βηθλεὲμ οἶκος ἐφραθᾶ ὀλίγος εἶ τοῦ
εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα· ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται τοῦ εἶναι εἰς ἄρχο-
τα τοῦ Ἰσραήλ, hoc est, Et tu Bethleem domus Euphra-
ta, minima es vt sis in milibus Iuda, ex te mihi exibit vt
sit in principem Israelis. Consentit huic versioni & sen-
sui Chaldæus interpres, qui vertit in hunc modum: Et
tu Bethleem Ephrata, quodammodo minor fuisti, quàm
vt numerari potueris inter Chiliades domus Iudæ, &c.
Quæ versiones quomodo cum testimonio hic addu-
cto, saltem secundum sensum principaliter intentum à
propheta conueniant, superius satis dictum est. Potest
tamen & aliter locus hic concordari cum loco Micheæ,

siue eum quis legat secundum Hebraicam veritatem, siue secundum Hieronymi versionem, quæ parũ differt in sensu ab Hebraica veritate: nempe si intelligatur locus Micheæ per interrogationem hoc modo: Tu Bethleem Ephrata, nũ, sicut haberis, minima es in milibus Iuda, aut minor es quam vt numerari possis in milibus vel principibus Iuda? ac deinde per sequentia intelligatur negatiuè respondendum esse, quasi dicat: Nequaquam certè minima es, quia ex te mihi exibit, &c. Sic enim manifesta erit consonantia, Euangelista id per negationem affirmãte quod propheta per interrogationem insinuare volẽs. Expendendum ante reliquit Erasmus num per hyperbolen accipi possit: Nequaquam minima es pro eo quod est, adeo quidem humilis es, vt ne minimus quidem vocari possis inter principes Iuda. Verum huic intelligentiæ obstat subiuncta causalis: Ex te enim exiet. Reliquarum autem diuersitatum quæ sunt in hoc testimonio à verbis Micheæ, facile est causam reddere. Nam quod dixit Michæas: Ephrata, hic dicitur, terra Iuda. Hoc enim certius & notius erat, ad distinguendum Bethleem de qua est sermo, ab altera ciuitate eiusdem nominis, ob quam distinctionem Michæas adiecit, Ephrata. Quòd autem hic dicitur, in principibus Iuda: & Græcè ἡγεμόσιν Ἰούδα, cũ Hieronymus in Michæa verterit, in milibus Iuda, & Septuaginta, ἐν χιλιάσιν Ἰούδα, in causa est æquiuocatio Hebraicæ dictionis Aleph, quę & mille, & ducem aut principem significat. Sensus tamen secundũ vtramque significationem eodem recidit. Nam si intelligatur, in principibus vel inter principes, sensus est: nequaquam minima es inter principales & præcipuas vrbes Iuda, quæ multa continent milia hominum. Et si intelligatur, in milibus, sensus est: in ciuitatibus aut familiis quæ continent multa milia. Possent autem hæc verba nequaquam minima es in principibus sic accipi, vt, in principibus, nõ accipiatur pro inter principes, sed significetur Bethleem nequaquam minimam esse in producendo principes Iuda, aut nequaquam minimum habere principem Iuda. Nam quæque ciuitates & tribus suos habebant principes. Verum hic sensus etsi proposito optimè conuenit, non tamen potest intelligi significari

ri in Hebraica veritate. Iam quare hic additum sit, ex te enim exiet, &c. cùm non sit apud Micheam, facilè ex prædictis patet. Pronomen autem, mihi, quod est in Micheea, etiã est hoc loco in Græcis codicibus: ἐκ σοῦ γάρ μοι ἐξελεύσεται, ex te enim mihi exibit. Per quod significatur in gloriam Dei Messiam nasciturum, & principẽ futurum. In sequentibus quædam pro explicatiore sensu de suo adiecit Matthæus. Nam Hebræa secundum Hieronymum sic habent: Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel. Aut potius: Ex te mihi egredietur vt sit princeps in Israel: quomodo & Septuaginta ferè verterunt. Apparet autem in Hebræo subticeri suppositum verbi, egredietur, ac significare voluisse prophetam, ex Bethleem illum omnibus expectatum proditurum vt sit dominator in Israel. Vnde Chaldæus interpres addidit nomen Messiæ, ex te mihi exibit Messias: nisi malimus sic accipere: ex te mihi veniet vt sit aliquis dominator in Israel. Porrò pro, regat, Græcè est ποιμανεῖ, quod potius est tegat, & significat non simpliciter regere, sed pascere, & regere quomodo pastor gregem. Quãquam Græca vox non omnino respondet Hebraicæ, quæ dominatum magis significat. Dicit autem ducem hunc recturum populum Israel, non quod & gentium non esset futurus pastor & rector, sed nomine Israelis, vt & alios omnes electos complectens, videturque nomen Israelis opponi Iudæ, vt sit sensus: Tu Bethleem etsi minima, vilis, & contempta habearis comparata reliquis ciuitatibus Iuda, nequaquam tamen vera minima es inter principes vrbes Iuda. Nam quemadmodum olim ex te mihi prodiit in typo Dauid, vt esset pastor totius Israelis: ita rursum ex te mihi proditurus est & alter Dauid, qui non more regum sequentium Dauid & Salomonem, tantùm præsit tribui Iudæ, sed regat & pascat vniuersum populum meum Israel, hoc est, vniuersos ex omnibus gentibus collectos quorum primitiæ & typus fuerunt duodecim tribus Israel.

Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligẽter didicit ab eis tempus, &c.] Postquam ex sacerdotibus didicit Herodes locum natiuitatis Messiæ, tẽpus quoq; natiuitatis eius per tempus apparitionis stellæ discere à Magis voluit, existimans

Universidad de Deusto
Biblioteca

existimans hac ratione natum hunc nouum regem non posse effugere suas manus, sed his duobus indiciis facilè posse deprehendi, etiamsi non contingeret Magos redire, natum puerum demonstrare. Clam autem vocat Magos, quod suspectos haberet Iudæos, metuens ne ex curiosa & diligenti inuestigatione temporis apparitionis stellæ putaretur insidiari velle nato regi, quem illi iamdiu desideranter expectauerant. Porrò in his quæ hic de Herode scribuntur, aduertere licet malitiæ quanta sit versutia, quanta quoque diligentia ad perficiendum quod cupit. Siquidem veluti pium Magorum studium adiuuare volens, Scribis & Pontificibus congregatis, quærebat vbi quem illi quærabant nasci deberet, cùm re vera per hoc pernicié pueri moliretur. Deinde clam vocat Magos, nec discit tantùm tempus apparentis stellæ, sed diligenter discit, omnibus scilicet neruis in hoc incumbens vt exactum tempus sciret, nec tamen proderetur illius impium molimen. Ad hęc quo faciliore negotio puerum quem perditum optabat inueniret, mittens in Bethleem Magos, mandat, de puero sibi renunciari, atque vt id ab eis impetraret, malitiam cordis sui humilitatis colore depingebat, deuotionem Magorumque imitationem dolosè promittens. Nec dicit solùm: Ite & interrogate de puero, sed interrogate diligenter, aut, vt habét Græca, ἐξετάσατε, hoc est exactè inquirite. Nec dicit, renũciate nobis, sed mihi sibi enim primùm volebat innotescere puerũ, vt eum prius tolleret è medio quam populus Iudaicus eũ plane rescisset natum esse. Verum vt in his patet quę sint malitiæ artes, quantum sit eius studium: ita rursum considerare in eis licet Herodis insipientiam, & malitiæ cæcitatem. Nam cùm natum puerum tantùm esse iam didicisset, vt eius natiuitatem & scripturæ diuinę longe ante prædixissent, & stella iam de cœlo manifestasset, putauit tamen suis consiliis diuinæ se posse resistere volũtati, & perturbandum suo furore diuinũ consiliũ. Deinde nõ aduertit quam parum sibi constabant hæc duo, vt clam vocaret Magos, & pietatem prætexeret præcepto. Sic enim verè adoraturus erat, quare hoc clanculo præcipiebat? Magi autem eo, quod nõ est suspicios pietas, sed ex se-

Quanta malitia versutia, quãta ad sua persiciendum diligẽtia.

se alios semper metitur, dolum Herodis præsentiscere nequibant: proinde nihil illum celant eorum quæ quærebat, renunciaturi etiam de puero, nisi angeli monitione reuocati fuissent. Iam vero etiam hic aduertas Dei in impiorum consiliis moderationem. Diuino enim nutu factum est, vt in Magorum simplicitate consideret Herodes, sperans eos ad se reuersuros, vt sic nullum eis adiungeret comitem, vtque & ipsi incolumes in patriam redirent, annunciaturi suis regionibus Christum. Alioqui enim nisi spes hęc scelerato imposuisset, sæuiturus erat in Magos ipsos, qui nuncium tam inauspicatum ipsi attulissent. Deinde in suam, puerique nati gloriam tam callidis, variisque consiliis permisit Deus Herodem pueri necem cogitare, vt ostenderetur quam nihil possint consilia hominum quamtumuis callida, & quantumuis potentium, contra dispositionem diuinam: & quantus esset puer iste natus, qui prævalere nequiuit callidissimus simul & potentissimus rex. Notandum autem & illud in verbis Herodis, non dixisse eum interrogate de rege hoc, sed de puero hoc. Neque enim regis nomen terre poterat, satis insinuans quantum contra illum insaniret.

Qui cum audissent regẽ, abierunt: & ecce stella quã videbant in, &c.] Ex his apparet stellam non fuisse reliqui itineris ducem quemadmodum communiter putatur. Alioqui enim non tam vehementer gauisi fuissent hac visa, nec dixisset Euangelista solùm: & ecce stella quam videbant in oriente, &c. sed, & quæ comitata eos fuerat. Et ipsi Magi fatentur se in oriente quidem vidisse illam, sed non addunt se eam ducem itineris habuisse, quod vt maius fuisset miraculũ, ita primis fuerat commemorandum. Vt autem stella Magis egressis Ierusalẽ & iam vicinis loco natiuitatis rursum apparet, cosque præiret. duplex causa erat. Primùm quia cùm iam primum tentata esset Magorum solida fides, eò quòd in regia vrbe non solũ non inuenissent quod quærebãt sed nomen eius omnes vidissent Iudæos conturbatos, & quem quærebant planè illis esse incognitum, ita vt merito potuissent se delusos cogitasse: iam tempus erat vt fidelis ille Dominus qui facit cum tentatione prouẽ-

An stella comitata fuerit per totum iter.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum,quo sustineri posset,probatam illorum fidem corro boraret,& quasi præmio quodam collaudaret, comprobaretque.Secundò,id factum est,ne cogerentur de nato in Bethleem puero , sed adhuc Bethleemitis incognito sollicitè inquirere , sicque per Magorum inquisitionem puero manifestato,quis improbo regi prodere pergeret cognitum regem , & ne in Bethleem venientes Magi offenderentur propter humilitatem &obscuritatem nati pueri.Itaque eadem illa stella , quæ tempus natiuitatis indicauerat, locum quoque demonstrat.Quam cùm vidisset, Magi meritò gauisi sunt gaudio maximo. Nã sideris quidem spectaculo gauisi erant Magi in oriente, sed multo magis nunc , nimirum quod intelligerent spem suam non esse frustratam, nec frustra tanti itineris se suscepisse laborem,idque post apparentem negotij desperationem. Deinde quod experirentur stellam ad eundem perducere locum quem scriptura demonstrauerat,quodque ducem iam sacti essent nequaquam fallacem.

Et intrantes domum inuenerunt puerum cũ Maria matre eius,& procidentes,&c.]Verisimile est iam Mariam cum puero fuisse in diuersorio , digressa scilicet iam hospitum multitudine , ob quam non erat ei dum pareret locus in diuersorio,nisi per domum,hic ipeluncam illã & stabulum quis putet intelligendum.C m autem Magi quererent regem Iudæorum , inuenerunt puerum , aut,vt habent Græci,παιδίον,puerulum nihil scilicet specie à cæteris differentem,& in quo nihil quod admirandum esset aut adorandum apparebat. Comperisse eum puero solam matrem dicuntur. Diuino enim consilio factũ est, vt ne multi adessent , quò Herodi puer magis celaretur,& Magorum fides declararetur,qui puerulum omni satellitio destitutum tanquam regem adorauerũt Deinde & ob id matrem tantùm Euangelista fortè repertã dicit,quo significaretur,hanc etsi recentem puerperam,non indiguisse obstetricibus aut nutricibus , vt quæ sine dolore peperisset.Atque ne Ioseph quidem inuentus hic describitur , sicut à pastoribus. Nam diuino fortè nutu factum est vt & is abesset,ne gentibus suspicio esset communi generationis ratione hunc puerulum

lum natum,qui ex Sybillinis libris aut aliunde discere Potuerunt regem quem quærebant ex virgine nascitutum.Quamuis autem nihil quam puerulum viderent, & matrẽ eius vestitam vt esse poterat vxor fabri peregrè constituta,tamen(quod fidei maximum erat argumentum)procedentes adorant , qui forte etiam ipsum Herodem in regali suo residentem solio non adorauerant.Quo cõstat eos alia quædam de puerulo hoc sensisse quam vel de eo audierant,vel in eo viderãt. Quod quidem in eis effecit,primùm stellæ indicium. Deinde & splendor quidã diuinus qui animas illorum illustrabat.Hinc enim factum est nouũ istud, vt nato puerulo non suo in regno,sed & paucis cognito,& lõge distante regione,præterea non in arce,aut aula , sed humili hospitiolo,hoc honoris tribuendum putarent.Nec hac pietate contẽti, depromunt,è repositoriis suis munera, eáq; optima.Quod quãuis pro more patriæ suæ facerẽt (nam Orientalibus mos est cum muneribus reges suos adorare)eásque res offerient , quarum prouentu regio Persarum vt Chaldæorum præcipuè diues erat, fortasse non intelligentes quid his donis speciatim portẽderetur:tamen dubitandum non est, quin his donis mysteria quędam spiritus sanctus etiam ipsis ignorantibus significare voluerit.Ideo enim Matthæus tam distinctè videtur munerum numerum& qualitatem explicuisse. Itaque is muneribus primum quidem significatum est puerulum hunc esse eum de quo scripturæ: Omnes de Saba venient,aurum & thus deferentes,&cæt. & Reges Tharsis & insulæ munera offerent:& Dabitur ei de auro Arabię,& adorabunt de ipso semper.Deinde per tria hæc munera iam velut per ænigma significata est ineffabilis in diuinitate trinitas,patris,filij & spiritus sancti simulque vno hoc puerulo comprehendi humanitatem,diuinitatem & regalem dignitatẽ ei conuenientẽ, & humanitatis & diuinitatis ratione.Aurum enim regi cõpetit.Thus Deo.Myrrha homini morituro.Nã Iudęi suos mortuos myrrha sepeliũt,vt corpus maneat incorruptũ,Myrrha enim sic cum ũcca sit,arefacit,& exiccat humilitatẽ,nec sinit innasci vermes.Itaq; vt & Hieron. annotauit,pulcherrimè munerum sacramẽta Iuuencus

Isaiæ. 30.
Psal. 71

Universidad de Deusto
Biblioteca

vno versi. complexus est: Aurum Thus, Myrrham, regique hominique, Deóq; Dona ferunt: Quidã tamen thure significatũ intelligunt Christi sacerdotiũ. Quid autẽ his muneribus significatũ est à nobis offerri debere, postea dicetur. Porrò per factum horum Magorũ conuellitur satis impius error Lutheri, asserentis Christũ etsi in sacramento altaris verè præsentẽ, non tamen debere nec posse ibi à fidelibus adorari. imò idololatriciũ esse cultum qui hic christo exhibetur, eo quòd (inquiũt) Eucharistia non ad hoc est instituta vt manducetur à fidelibus, nec legimus in scripturis illic Christũ sibi coli & adorari velle. Ergo ne idololatræ fuere Magi illi qui qui Christum adorauerunt in cunabulis, & mysticis illis honorauerunt muneribus? Neque enim ad hoc incarnatus & in mundum natus erat, vt hic adoraretur in mortali corpore, sed vt conspueretur, cæderetur, crucifigeretur: nec vllum Dei verbum ex scripturis proferri potest, quo à Magis ille cultus exactus fuerit. Vide pighium controuersia octaua.

Refellitur error Lutheri de adoratione Eucharistiæ.

Et responso accepto in somnis ne redirẽt ad Herodem, &c.] Eo quod dicitur, responso accepto: satis significatur Magos iam secum agitasse num reuertendum esset ad Herodem, imò quoniam subdubitare inceperunt, desiderasse aliquod signum diuinæ voluntatis. Nam quod quidam dictionem Græcam χρηματισθέντες. Vertendam putant potius oraculo accepto, nec sic quod diximus significari, minus significatur. Nam χρησμοὶ dicuntur quidẽ oracula quæ redduntur à numine aliquo, sed petentibus & consulentibus. Itaq; eodem verbo Euangelista & postea vtitur cùm Iosephum Ægypto redeuntem, & dubitantem num in Iudæam secedendum esset, admonitum dicit vt in Galilęam iret: non vtitur autem hoc verbo cũ admonitum dicit vt vel in Ægyptum fugeret, vel inde rediret. Eodem vtitur & Lucas, cum Simeonem dicit responsum accepisse à spiritu sancto, &c. vbi etiam Erasmus vertit responsum acceperat. Porrò Hieronymus putat χρῆσμον dici, cũ Deus nõ per angelum, sed per se respondet. Responsum (inquit) quod Græcè dicitur χρηματισθέντες, non per angelum fit, sed per ipsum Dominum, vt meritorum priuilegium demõstraretur. Iussi autem

autem sunt non redire ad Herodem, non solum ne Herodis impietati subseruirẽt sua simplicitate, & puer tueretur ab impiis regis crudelitate: sed etiam vt frustra se insidiari intelligeret, & ab incepto desisteret. In quo facto demonstratum est, quam essent hi magi Deo curæ, vt ne quis putet eos solo naturalis sapientiæ ductu intelexisse natũ regem Iudæorum, aut admonitos à dæmonibus vel inuitè Christum confitentibus, quemadmodũ videtur sentire Hieronymus commentatio in Isaiam 7. & D. Augustinus libr. de dæmonibus. Discimus autem etiam in his Magis, eorum curam habere Dominum qui ab ipso pendent, & simplici corde incedunt, ita vt redimat animas seruorum suorum, & non delinquant omnes qui sperant in eo. Non peccauerunt autem Magi rescindentes promissionem Herodi factam (promiserant enim verisimile est se reuersuros) tum quòd Deo iubente id fecerunt, à quo tanquam superiori domino fuerant à promissionis vinculo absoluti, tum quòd etiam sine Dei speciali iussione promissio seruanda non sit, quam intelligimus in fraudem aut perniciem alicuius extortam. Porrò vt paucis attingamus quæ mysticè in historia ista Magorum designata sunt, quod Magi post pastores Christum incognitum Iudæis reliquis agnouerunt, idque partim stellæ, partim scripturarum adminiculo, significabant Gentes, quarum hi Magi primitiæ fuerunt, post paucos quidem Iudæos ad Christi cognitionem & gratiam vocandas, atque in eadem Iudæis præferendas. Non posse autem nos in Christi cognitionem deuenire, nisi cœlesti diuinóque lumine mens illustretur, & ab hominibus ex scripturis sanctis doceamur, scripturarumque instructionem cœlestis gratiæ lumen & præcedere debere & subsequi. Præcedere quidem, vt ad scripturas nos mittat. Subsequi verò, vt eisdem credere & obedire faciat. Iam quod Magi nisi longè à patris recessissent, ac relictis Hierosolymitanis cum doloso Herode in Bethleem secessissent, Christum nequaquam vidissent, nobis significat agnosci Christum non posse, nisi longè à patrio ritu & terrenis affectibus semoti, relictisque carnalibus Iudæorum cæremoniis, ac impiorum

Psal. 33.

Mystica prædictorũ interpretatio.

consortio, mundanoque tumultu, in Ecclesiam, quæ vera est Bethleem, hoc est domus panis, concesserimus. Munera verò Magorum cũ variis modis mysticè accipi possint, rectissimè acceperimus; vt ad tria illa quę habemus bona referantur, nempè facultates, animam & corpus, atque ad tres virtutes illas, fidem, spem, & charitatem. Aurum enim Deo offerimus, cùm externa fortunæ bona pauperibus per charitatem erogamus. *Heb. vlt.* Beneficentiæ enim, inquit Paulus, nolite obliuiſci, talibus enim hostiis promoueretur Deus. Thus verò offerimus, cùm ex fide feruenti oratione mens nostra fertur in Deum, illique se deuotam exhibet. *Psa. 140* Dirigatur enim (inquit Dauid) oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Myrrham autem offerimus, cùm spe cœlestium bonorum carnem nostram mortificamus, & ieiuniis, abstinentia, omnique aspe- *Psal. 50. Rom. 12.* ritate à putredine vitiorum præseruamus. Sacrificium enim Deo, spiritus contribulatus. Et Paulus precatur vt offeramus corpora nostra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Itaque in auro, thure & myrrha, significata sunt eleemosyna, oratio & ieiunium, quæ tria vniuersa in se comprehendunt virtutum opera, quorum quidem trium vnum, proximum alterum Deum: tertium verò nosipsos respicit. Vbi autem in Bethleem semel Christum agnouerimus, nequaquam ad turbatam carnalémque redeundum est ciuitatem Ierusalem, sed per aliam, nempè virtutis, viam regrediendum in cœlestem patriam nostram. Cæterum in hac historia & hoc aduerti potest, quod tribus diuersis modis deprehendantur se alij & alij habere erga scripturas. Nam scribæ in eis versantur, tantum vt sciét aliisque veritatem commonstrent, quam ipsi non sectabantur. Herodes scripturas quærit, vt veritatem quidẽ cognoscat, sed ad nocendum. Magi verò, vt agnitam veritatem amplexentur. Ita & hodie quidam in scripturis occupantur tantum vt docti sint, aliisque docere valeant; alij vt inde venentur per quæ suas hæreses stabiliant, Christumque adhuc tenerum in cordibus imbecillum occidant cum Herode; alij, vt agnitam sectentur veritatem.

Diuersis modis scriptura à diuersis reuoluitur.

DO-

EVANGELIVM.

IN illo tempore: Cùm factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam, secundum consuetudinem diei festi: consummatisque diebus, cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos: & non inuenientes eum, regressi sunt in Hierusalem; requirentes eum. Et factum est post triduum, inuenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia & responsis eius. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego, dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate & gratia apud Deum & homines. Luc. 2.

RECOLIMUS toto isto octiduo, Auditores, quo pacto nuper natus saluator, etiam gentibus manifestari dignatus sit, & quid hi magi tali beneficio adfecti, inuicem ex pia mentis gratitudine officiorum contulerint, qualiter procedentes adorarint, & apertis thesauris, tanquàm Domino Deo suo, aurum thus, & mirrham immolarint. Quum itaque nos, qui ex gentilium genere sumus, ad eiusdem redemptoris cognitionem vocamur, par est, fidem & deuotionem magorũ, quàm fieri potest, itudiosissimè sectemur. Docemur ergo tam in Epistola, quàm hodierno Euangelio, quo ritu sit nobis venerandus, quibúsque muneribus demerendus Dominus. Est autem cultus, quo Deus afficitur, duplex Primus, corporalis siue externus, de quo in Euangelio: Secundus spiritualis, de quo in epistola traditur. Nugãtur, & imponunt vobis, qui solum internum cultũ cõmendant, quasi ad perfectam salutem sufficeret, credẽda de

da de Christo scire,& iis assentiri. Verũ aliter Paulus: Glorificate,inquit,& portate Deum in corpore vestro. Videmus etiam hoc loci,quanto studio non solũ parẽtes Iesu,sed etiã ipse in externo cultu Dei versatus sit à cunabulis. Et postmodũ ceremonias aliquot,quas absq; dispendio salutis nemo negligere possit,sanctissimè sanciuit,vt sunt Baptismus,Synaxis,& reliqua Ecclesię Catholicę sacramenta. Cor meũ & caro mea exultauerunt in Domino Psalmographus dicit. Quidquid autem in hoc Euãgelio dicitur nõ tã parẽtib.& prolib.sed omnibus ad imitationẽ propositũ est: In quo tria de parentibus,& pia itidẽ de puero Iesu,notatu dignissima,proponuntur. De illis,quod in Dei timore & cultu versari quotãnis soliti fuerint,deinde,quod puellũ Iesum aliquot satis ad diuina ꝓpensum,à cunabliis in timore Dei educauerint,& ad legem ipsius assuefecerint. Postremo, quod maximam sollicitudinem pro puero habuerint perdito. Hæc sunt vera parentum officia: Timor Domini,pia liberorũ educatio,& diligẽs pro ipsis sollicitudo. Clamatur hodie passim pro reformatione Reip. vt p Cõciliũ clerus,per Comitia Magistratus,& politica restituãtur,nec iniuria,verũ nisi dissimularemus, esset nobis domi reformationis copia,si iuuentutem nostram,si proles quisque suas,ad exemplum domini saluatoris instituerent,in illis enim futura Reip seminatim emendatio,& integritas consistit. Quos si deprauate educari,contingat, quæ spes emendationis aut in clero, aut in politia superesse poterit? De puero antẽ Iesu nobis in exemplum dicitur: Primùm quod remãserit pietatis ergo in Ierusalem,in iis,quę Dei patris sunt,diutius se occupaturus,in quo pueros,& omnes à cunis Deũ obseruare & colere docet. Deinde, quod proborũ & doctorum,non dissolatorum cõsortium sibi delegerit,docẽs,vt omnes,maximè pueri,prauorum sodalitia fugiant,& iis sese coniungant,quorũ conuersatione tũ doctiores,tum magis probi possint euadere. Postremò, sic sese Dominus Iesus,tam in cultu Dei quam in cõuictu magnatum exercuit,vt ab obedientia tamen parentũ,nõ discesserit. Dominus & creator Mariæ & Ioseph obediuit,nos,quãta obseruãtia parentes colere deceat,

hinc

hinc intelligamus,qui præcepto, promissione, & pœna ad mandatum hoc obligati sumus. Omnes itaque reuereamur Deum,obsecundemus maioribus,& cum optimis conuersemus,sic fiet,vt gratia,ætate, & sapientia,apud Deum pariter & homines proficiamus.

Et cum esset Iesus annorum duodecim,&c.] Quòd saluator duodẽnis cõsummatis diebus Paschæ hoc est,septem diebus,cùm redirent parentes remansesit in Ierusalem,volens commiscere doctoribus, indicium quoddam raræ suæ sapientiæ dare voluit, & velut radiolum aliquem sui splendoris spargere,ad confirmandam fidem tum parentum,tum aliorũ qui ab ipso salutẽ Israelis expectabant. Deinde & ostendere voluit ad quid à patre hunc mundũ missus esset, quamq; ad peragenda patris sui mandata iam in tenera ætate prægestiret. Duodecimo autẽ anno id conuenienter factũ est, quod eo tempore discretionis iudicium perfectum esse inciperet,& pueritia terminari. Porrò insolitis parentibus istud Christus fecit, ne ab eis retraheretur, aut eos contemnere videretur, si retrahentibus non obediret: præterea quod doceret renunciãdum esse parentum cognatorũque effectibus ei, qui velit cœlestis doctrinæ professionem susc ipere, mandataque Dei amicorum affectibus esse præponenda, & in Euangelico negotio nullam carnalium parentum autoritatem spectandam. Proinde recte Hieronymus ad Heliodorum: Licet (inquit paruulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine & scissis vestibus vbera quib. te nutrierat mater ostendat: licet in limine iaceat pater per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus est,in hac re esse crudelem. Itaque laudatur Deuteronomij 33. tribus Leui,quòd dixerit patri suo & matri suæ: Nescio vos,& fratribus suis Ignoro illos,& nescieruntfilios suos,Iam nec parentes Christi culpari possunt negligentiæ,quod illis nescientibus puer remanserit in Ierusalem. Nam autore Beda,filiis Israel moris fuit, vt temporibus festis vel Ierusalem confluentes,vel ad propria remeantes, seorsum viri & seorsum fœminæ incederent,pueri tamen indifferenter cum altero parentum

coniun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

coniungerẽtur, atque ita factum vt maria puerum cum Iosepho esse, & contra Ioseph crederet Mariæ adesse. Quod si autem hic mos Israelitis non fuit (nam de eo non constat) satis Euangelista parentes Christi excusat, eo quòd dicit existimasse ipsum esse in comitatu, inter amicos & notos, quibus lubenter solet ea ætas adhærere. Itaque securi de puero venerunt è Ierusalem versus Nazareth itinere vnius diei, vesperi illum requirentes inter cognatos & notos. Nam quod dicuntur venisse iter diei, non est intelligendum de itinere quo venerunt redeuntes è Nazareth ad quærendum puerum, vt intelligit Erasmus in Paraphras. Vno enim die venerunt è Ierusalem versus Nazareth, & non inuento puero vesperi inter amicos, altero die regressi sunt in Ierusalem, ibi verò tertio deinde die in templo inuenerũt. Proinde quod dicuntur post triduum inuenisse puerum, non est intelligendum tribus diebus iam finitis puerũ inuentum, sed post triduum, hoc est cùm iam tertius dies aduenisset, & tertio iam die, sicut prius dixit Christum circuncisum, postquam cõsummati fuissent dies octo, hoc est, die octauo. Inuenerunt autem in templo non ludentem, nec ociosum, sed sedentem in medio doctorum, hoc est, inter doctos. Inter quos sese nõ ingesserat tanquam doctor, quamquam vnus esset omnium magister, nec cum fastu & procacitate (quæ vitia solẽt adesse pueris præcocis ingenij) iactabat eam qua plenus erat sapientiã, sed velut discendi cupidus inter eos sedebat audiens scilicet eos, & vicissim interrogans. Non quod necessitas illi esset scisciari ab hominibus quod disceret, sed quo omnibus iunioribus exemplum modestiæ & disciplinæ præberet. Hic enim rectius disciplinæ ordo, primo diligenter audire doctos & senes, deinde ab eis de
Eccl 32. auditis inquirere, iuxta illud Ecclesiastici 32. Audi tacens simul & quærens, & pro reuerẽtia accede tibi gratia bona. Simul etiam hoc suo exemplo saluator nos ad discendi sacras scripturas studium accendere voluit, ac docere nullam ætatem esse præproperam & immaturã ad discendum ea quæ sunt pietatis. Interrogabat etiam prudenter saluator, vt interrogando doceret eos qui legis scientiam profitebantur. Ex vno enim fonte doctrinæ ma-

næ manat & interrogare & respondere prudenter, teste Origine. Non solùm tamen eum & audisse & interrogasse doctores, sed etiam ab eis interrogatum respondisse, patet ex eo quod sequitur.

Stupebant autẽ omnes qui eum audiebant super prudentia & responsis eius.] Et meritò quidem stupebant, quod tantillus puer interrogationibus & responsis suis admirabilem quandam & plusquam senilem declararet sapientiam, in tenera illa & indocta ætate ea promens, quæ doctores prouectæ ætatis non pigeret discere. Itaque imbecilli cõporis ætate, ipsáque interrogatione se hominem esse declarabat: ipsa autem in interrogando & respondendo prudentia supra hominem se esse satis manifestauit. Verisimile autem auditores non solum admiratos eius prudentiam, sed & ratam vultus, gestus, linguæque modestiam, quæ gratiam addebat intelligentiæ, & sine qua explosa fuisset à doctoribus eius in interpellando audacia. Proinde non obscurè hæc pueri Iesu modestia hic insinuatur, cùm significetur doctores non dedignatos & audire illum interrogantem & vicissim illum interrogare. Iam autem non vacat vtili mysterio, quod non statim cum quæritur, inuenitur, quódque qui quæsitus inter cognatos & notos inueniri non potuit, Hierosolymis in templo repertus est. Id enim nobis significat Christum instanter quærendum, eúmque humana nec cognitione, nec cognatione cõprehendi. Dein de eundem ibi inueniri non posse, vbi res agitur humanis affectibus, aut his rebus visibilibus studetur quæ peream eum hoc mundo, sed in Ierusalẽ tantũ, & in templo Dei, hoc est, in ecclesia. Idque tantum inter eos, qui disputant quæ cura salutis dispendium nesciuntur, sed de cognitione sacrarum literarum, per quas Deus nobis viam ostendit, qua possimus æternam assequi salutem. Porrò quod inter doctores inueniatur Dominus audiens illos, meritò timorem incutere debet doctoribus omnibus sanctarum scripturarum, vtpote in quorum medio sit Christus attendens quomodo doceant. Quòd verò post triduum inuentus est, rectè secundum Ambrosium referimus ad mysterium resurrectionis, quę tertio à morte die

Mystica præcedentium interpretatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

te die facta est. Bene autem ratione istius facti quadrat
Psal.118. in Christum illud Psalmi 118. Super omnes docentes
me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Su-
per senes intellexi, quia mandata tua quæsiui.

Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid, &c.] Non solum ij qui Christum interroganteṁ & respondentem audierunt admirabantur sed & parentes eius videntes puerum sedentem in medio doctorum admirabantur. Nunquam enim in eo simile viderant, nec satis intelligebant facti huius noui rationem. Porrò modestia parentum Christi satis hic notatur, dum ueo puero sedente in medio doctorum, qui omnibus erat admirationi solum admirati dicuntur non sibi placuisse, nec de tali sese iactasse filio. Quam modestiam dum consideramus, simul & veneretionem parentum in puerum, verisimilius est quæ scribatur matet dixisse filio, tum primum illi dixisse, cùm dimissis doctoribus solus esset cum parentibus puer. Tacet autem Ioseph, quod sibi conscius, esset nihil se habere iuris in partum sponsæ suæ: mater verò pro peculiari sua in filium autoritate loquitur, dicens: Fili, cur ad istum modum agis nobiscum, Cur te clam subduxisti à nobis? Ecce enim pater tuus & ego cum dolore animi te iam aliquot dies quæsiuimus. Hæc autem accipienda sunt non dicti increpando & obiurgando, sed tanquam verba eius querulosè effectum suum & dolorem manifestæ. Neque enim durè illi loqui potuit quem tam vnicè amabat, quemque, quod Christum & filium Dei esse ex angelo didicerat, reuerebatur, nec dubitabat nihil reprehensibile admittere posse. Cum dolore autem puerum quæsierant, quòd metuerent ne illorum aliqua offensa culpa, nollet vltra illis ministris vti, aut ne in grauem & culpabilem negligentiam illis apud Deum imputaretur derelicto pueri, quem sciebant tuæ curæ commissum esse. Fortasse autem & ideo, quod humano quodam affectu puero omnia metuerent quæ solet parentum pietas amatis liberis metuere. Hic enim naturalis parentum metus non planè repugnat illi fidei, qua credidit Maria hunc esse Christum & filium Dei, eiúsque singularem curam gerere Deum & angelos. Porro in verbis

Mariæ

Mariæ propriam animi eius humilitatem rursus perspicere licet. Non enim dedignatur Iosephũ patrem Christi nominare, quamuis sciret ipsum ex illo non concepisse, sed nec in ipso ordine nominis se præferebat matrito, vt diceret: Ego & pater tuus, inquit & ego, non attendens vteti sui dignitatem, sed ordinem coniugalem, omnibúsque fœminis exemplum præbens honorandi suos maritos.

Et ait ad illos, Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his, &c.] Et hæc rursum verba accipienda sunt dicta à saluatore non mordaciter aut indignabundè, sed modestè, quemadmodum decet summam ipsius erga omnes, & maximè erga parentes modestiam, quamuis tamen duriusculum aliquid sonent. Nam parum blandè Christus matri respondit, quotiescunque in Euangelio aliquo negotio maternam suam autoritatem interponere visa est: ac matris iure illum cõpellauit, vt ostenderet in eo negotio non esse locum autoritati alicui humanæ. Habet enim parentum autoritas suos limites cui renunciandum est, cum agitur negotium diuinum. Par est enim, vt humana cedant diuinis, & prior sit ratio Dei, cui debemus & corpus & animam, & à cuius benignitate expectamus hæriditatem vitæ immortalis, quam horum à quibus iuxta carnem progenti sumus & educati, successuri in portionem aliquam facultatum terrenarum. Debemus & his sanè plurimum, sed post Deum, cui longè plus debemus, cùm illi & ipsos debeamus parentes. Sic & post parum blandè respondit matri, quum in nuptiis interpellaret de vino, & materna quadam autoritate videretur exigere miraculum quod non nisi in gloriam patris erat promendum. Sic durius etiam respondit iis, qui ipsum à concione Euangelica quasi matris & amicorum nomine euocarant. Ita & nunc, quoniam iure materno expostulare videbatur, quamuis modestè, cum filio diuinis rebus intẽto etiam ipse duriuscule respondet, seruata tamen modestia ei conueniente. Neque enim Ambrosius veritus est dicere Christum arguisse matrem, scribens hoc loco his verbis: Duæ sunt in Christo generationes, vna est paterna, materna altera. Paterna diuinior, materna, quæ in no-

strum laborem vsumque descendit. Et ideo quæ supra naturam, supra ætatem, supra consuetudinem fiunt, nõ humanis assignanda virtutibus, sed diuinis referenda sunt testatibus. Alibi enim ad ministerium impellit mater hîc mater arguitur, quia adhuc quæ humana sint exigat. Vide autem quam apta sit responsio Christi ad verba matris. Quoniam enim expostulare videbatur cũ illo quasi autor, ipsis fuerit doloris, & seipsum purgat, dicens oportere eum esse in his quæ patris sui erãt, quoties scilicet illi vocaret ad munus delegatum: & in ipsos parentes doloris causam potius reiicit, vt qui hoc ipsum cogitasse debuissent, & per eam cogitationẽ omnem deponere metũ & solicitudinem. Quia enim sciebant eum à patre cœlesti missum in hunc mundum pro salute hominum, cogitare debuissent meritò, eum nulla alia de causa sese subtraxisset, quam vt quæ patris sui erãt, perficere. Verum humanus naturaliſq; affectus, & pia erga teneros puerum sollicitudo, quem didicerant contradictioni & persecutioni multorum expositum, effecit vt illud minus aduerterent. Non enim Christus assertiuè dicit eos nescisse quia oporteret eũ esse in his quæ patris sui erant, sed interrogatiuè dicit: Nesciebatis, &c quasi diceret: Merito vobis illud in mentem venire debuisset, quod alioqui sciebatis. Nec hęc dicẽs reprehendit eorum quærendi studium, cùm illud omnino fuerit laudabile, vtpote à pio affectu profectum: sed tãtùm ostendit quantum erat ex parte sui illud esse superfluum, nec sibi parentum dolorem imputari posse. Rursum autem in verbis Christi annotandum, quod cũ virgo Deipara Iosephum, patrem eius vocasset, ipse cõtra patrem suum Deum vocat, significãs proinde se illius voluntati per omnia potius morem gerere debere. Vbi etiam notandum: Christum ab ipsa pueritia vocasse Deum patrẽ suum, vt confunderet & Iudæos & hæreticos, qui ex verbis matris vocãtis Ioseph patrẽ eius scandalizari potuerunt. Hebionitæ enim dixerunt Iesum factum filium Dei, 30. anno vitæ eius, cùm illaberetur in eum baptizatum spiritus sanctus. Verũ ipse annos natus duodecim Deum patrẽ suum vocat. Nec dicit, patris nostri, sed patris mei: quòd sibi soli Deus, pater esset naturalis. Per ea autem quæ patris sui erant, intelligit ipsum templum, aut potius quæcunque diuina exercitia: qualia erant, audire doctores, eosdemque interrogare, & interrogantibus respondere. Hinc verò discamus quàm sit res diuina, Deoque grata, in scripturis sacris piè versari, cum ab hoc Christus auspicatus sit ea quæ patris sui erant.

Ebionitæ refelluntur.

Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos.] Quoniam absurdum quibusdam visum est, Mariam non intellexisse hunc Dñi sermonem, quo non obscurè locutus est, maximè apud eam quæ illum sciuit esse Dei filium, intelligunt istud dictum esse non de parentibus Christi, sed de cæteris auditoribus. Aut per synecdochẽ esse accipiendum, quia scilicet Ioseph non intellexerit verbum, qui de pueri diuinitate non tam perfectè instructus erat. Verum nullum fuerit, inconueniens dicere etiam Mariam non planè intellexisse quod à Domino dicebatur, quãdoquidem id apertè Lucas asserere non est veritus. Nam ad pareutes istud referendum esse nimis certum est. Quamuis enim ex his quæ præcesserant, scirent puerum esse Christum, & planè diuinam prolem, imo filiũ Dei nihilque mediocre aut vulgebant sublimitatem diuinæ virtutis necdum cognouerunt quàm admirabili consilio, quibusve rationibus munus suũ obiturus erat ad quod missus fuit à patre atque ideo perpetua quadam admiratione circa ipsum & gesta eius tenebantur, quasi quando Dei spiritus sese clarius in ipso proderet. Audiunt nomen patris, quem sciunt non habere naturalem patrem in terris, quem sciebant solitum vocare patrem Iosephum. Audiunt negotia patris in quibus oporterer eum esse, cũ quę illa essent nihil vnquã meminissent. Nec propterea quod pleraque huiusmodi ignorarent infœliciores erãt. Satis enim vnicuiq; est talẽ de Deo habere cognitionem, vt ipsum vnicè amet, & eius voluntati dextre se accõmodet. Ita satis Mariæ Ioseph erat cognoscere Christum se habere præsentem vt ipsi studiosè inseruirent essẽtque Deo patri ex animo grati, qui orbem, præcipuè autem Iudæos, tanta gratia esset dignatus Reli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

qua reuelanda eis in futurum differebantur. Hoc pacto & alios sancto à DEO ductos legimus. Porrò non prætercundum quanta fuerit parentum erga Christum veneratio. Quamquam enim sermonem eius non intelligerent, non tamen vlterius interrogant sed obticescunt, reuerentúrque non intellectum sermonem.

Et descendit cum eis, & venit Nazareth, erátq; subditus illis &c.] Posteaquam Dominus ad horam se parentibus subtraxisset, præludium quoddam futurorum exhibens seseque parentibus superiorem ostendens, rursus ad solitam subiectionem reuertitur, debitam parentibus à filiis illiùs ætatis. Itaque qui prius ostenderat suo exemplo, in quibus negotiis parentum potestati non subsimus, rursum ostendit quanta parentibus carnalibus debeatur reuerentia & subiectio, quando & ipse qui sese parentibus superiorem ostenderat, non dedignatur etiã simulato patre deinceps morem gerere. Cumque prius diuinitatis suæ radios quosdam ostendit, nunc rursus sua subiectione humanæ naturę veritatem astruere voluit. Ita enim visum est Domino Iesu omnia sua dicta factaque attemperare, vt nũc diuinæ virtutis suæ veluti scintillas quasdam promeret, nunc rursus ad humanam humilitatem sese demitteret. Erubescant itaque pueri & adolescentes qui negligunt honesta parentum monita, cùm Iesus non dedignatus sit subiici suis parentibus, templum etiam patriśq; negotium ad tempus relinquens, ne quàm speciem præberet filij immorigeri. Erubescant & idiotæ rebelles aduersus Episcopos, suos videlicet patres spirituales, quum Iesus maior obsecundarit minoribus, Deus scilicet hominibus. Cùm autem Euangelista commendarit nobis virtutem obedientiæ in puero Iesu, matris etiam eius singularem tum modestiam, tum prudentiã rursum notat, dicens: *Et mater eius conseruabat in corde suo omnia verba hæc:*] hoc est, omnia hæc quæ modo dicta factáque circa puerũ dixit. Modestię enim erat, quod nihil muliebri loquacitate contra non satis intellecta effutiret nihilq; magnificum de se ob filij raras dotes iactaret. Prudentiæ vero & magnificæ de puero existimationis, quod non obiter singula pueri dicta factaque aduerteret, nihilq; eius in obseruatum relinqueret, sed simul omnia reconderet in piissimo pectore suo coniectans ex admirandis initiis rerum exitus, volensq; post singula hæc enarrare discipulis Iesu nomen per vniuersum orbem prædicaturis. Atque ob id videtur Lucas iam secundo dixisse Mariam omnia in corde suo conseruasse, quo indicaret vnde hæc ad infantiam & puritatem Christi spectatia intelexerit. Satis autem ex hac virginis obseruatione intelligendum relinquitur, quanta cum modestia & veneratione parentes huic puero quid præceperent si quid ei mandarent.

Iesus autem proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines.] Hactenus Lucas & Matthæus Iesum fere vocauerunt puerum aut potius puerulum. Nam Græce est παιδίον, notãtes hoc vocabulo magnã Christi pro nobis dignationem & forte etiam alludentes ad illud Isaię Paruulus natus est nobis. Nam & ibi Septuaginta verterunt παιδίον. Nunc vero, terminata scilicet pueritia & declarata sapientia pueri, non amplius puerum, sed Iesum vocat. Lucas Itaque paucis complexus totam Christi vitam ab anno duodecimo vsque ad tempus prædicationis Ioannis, nihil aliud insigne de eo prædicat, quam quod cum cõtinuo incremento ætatis profecerit etiã sapientia & gratia, significans cum nunquam non radios quosdam diuinitatis suę emisisse. Porrò quod dicitur profeciisse sapientia & gratia, ab antiquioribus interpretibus fere intelligitur, non quod illi quicquam accesserit à tẽpore quo in vtero matris diuinitas humanitati in ipsa conceptione est cognita, sed quod sapientiam suam & gratiam magis ac magis declarauerit & declarando magis ac magis habitus sit ab hominibus profeciisse. Quod idem est cum eo quod à recentioribus dicitur profeciisse Christũ non secundum habitum sapientię aut gratiæ sed secundum actus sapientiæ & gratiæ, eo quod processerit ab actibus sapiẽtibus ad sapientiores. Aliter tamen etiam à recentioribus explicatur hic locus de habitu sapientiæ acquisitę, qui auctus sit in Christo, cum habitus sapientiæ illi infusæ aut sapientiæ beatæ non sit augmentatus. Verum cum sapientiam hãc quæ Christo tanquam homini ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

initio cõceptionis sit infusa, quaq; omnia ab initio cognouisset etiam vt homo, quidam putent non posse ex scripturis probari, putant, vt superius dictum est, simplicius hunc locum sic explicandum, vt dicatur Christũ secundum sapientiam diuinã, hoc est, eam quæ ei competit tanquam Deo, non profeciſſe: secundum sapientiam autem humanam, hoc est, eam quæ ei vt homini competit, verè profeciſſe, hominum quidem more, sed tamẽ supra modum humanum. De hac enim sapientia se locutum Lucas significat, dum Iesum quem profeciſſe dicit sapientia, etiam ætate profeciſſe dicit. Nec metuendus sic videtur Damasceni sententia, sic scribentis in 3. libro, postquam dixisset Christũ profeciſſe sapientia, eò quod per incrementum ætatis, sapientiam quæ ipsi inerat in apertum deprompserit. Qui verò, inquit, proficere ipsum dicunt sapientia & gratia, vt horũ accessionem additionemq; subinde suscipientem, non extrema carnis experientia vnionem factam astruunt, neque secundum hypostasim adorant vnionem. A Nestorio vana sapiente persuasi, habitudinariam vnionem & nudum incolatum falsò prædicant, non cognoscentes neq; ea quę dicunt, neque de quibus disserunt. Nam si verè vnita est Deo verbo caro extremæ existẽtiæ magis perfectò in ipso existet, & hypostaticam ad ipsum habebit identitatem. Quomodo ergo non perfectè dicta est omni sapientia & gratia? Non ipsa quidem per gratiam participans vt nos, neque secundum gratiam ea quæ verbi sunt participans, sed potius propter vnionem secundum hypostasim, humana & diuina vnius Christi facta participat. Sed & quia ipse erat Deus simul & homo, gratiam & sapientiã, & omniũ bonorum plenitudinem mundo irrigat. Hęc ille. Verum ex hac Damasceni ratiocinatione tantum consequitur, Christum non absolutè profeciſſe sapientia, quasi scilicet nõ fuerit ab initio plenus sapientia. Probat enim Christum hominem ratione vnionis hypostaticę ab initio semper plenum & perfectũ fuiſſe in sapientia illa quæ verbo propria est. De qua, vt ratio eius solum concludit, ita etiam cum loqui, manifestum satis ex eo quòd carnem dicit sapientię plenitudinem participaſſe, non per gratiam

Damascenus lib. 3. de ortho. fide.

tiam sicut nos, sed per vnionem hypostaticam ea quæ sunt verbi participaſſe. Proinde habito respectu ad hãc Christi sapientiam, non potest dici Christus, profeciſſe sapientia, nisi quia maiorem semper sapientiam factis dictisq; demonstrauit. Verùm cùm præter, hanc diuinã sapientiam necessariò oporteat Christo quatenus homini humanam etiam tribuere sapientiam, non consequitur ex Damasceni sententia impium esse & Nestorianum, asserere hanc re vera quibusdam gradibus in Christo auctam fuiſſe. In vniuersum tamẽ Christo nullam tribuere humanam sapientiã, nisi acquisitam. Dominica infra octauã natiuitatis satis ostensum est non esse verũ: proinde locus hic & alter ei similis apud Lucam superius explicãdus est catholicè altero illorũ modorum prius positorum. Porrò cum dicit Lucas Christum profeciſſe gratia, dictio, gratia, anceps est. Potest enim accipi quemadmodum prius, cum dixit: & gratia Dei erat in illo: pro dono Dei, quo illi grati efficimur, & bene viuimus, & tunc eodem modo oportet intelligi Christũ profeciſſe gratia, quomodo profecit sapiẽtia. Aut accipitur pro acceptabilitate & fauore, vt significetur eum gratiosiorem factum tum Deo, tum hominibus cõmẽdatione virtutũ sese in eo proferentiũ. Quãquam & secundum hanc acceptionem nõ potest intelligi profeciſſe gratia apud Deum, quasi acceptabilior & gratior postea factus sit illi. Sicut enim nõ creuit in eo gratia habitaculis, ita nec gratior factus est. Sed tantum quòd semper magis ac magis fecerit acceptabilia, grata atq; meritoria opera. Primum autem dicit, apud Deũ: deinde, apud homines. Primùm enim oportet Deo placere, deinde hominibus. Simile autem scribitur 1. Regum 2. de Samuele: Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Deo quam hominibus. Porrò non otiosè legendum est quod dicitur Iesus cum ætate profeciſſe semper sapientia & gratia. Id enim & ostendit quam esset à vulgi consuetudine vita eius diuersa, & qualiter viuẽdum sit ei qui Christi cognomine & consortio gloriatur. Vulgò enim prępostero modo ferè fieri videmus, vt scilicet corpus quidẽ iuxta naturę cursum semper in melius proficiat, anima

1. Reg. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

verò per socordiam in peiora semper relabatur. Adolescentes enim ab infantiæ puritiæque puritate ad lasciuiam degenerant inuentus rursum ad lites & ad pugnas proficit, virilis ætas ad ambitionem & auaritiam. Itaq; fit vt quo quisque propius accesserit ad ætatem, hoc longius recedat ab innocẽtia. Cæterum qui Iesum Christum semel induerunt, hos oportet ad illius exemplum semper ad meliora cõniti, studeréque vt vitæ synceritate & se semper magis commendent Deo, & honestiorem sibi semper famam apud homines parent, vt qui in eis semel natus est Christus, in eis etiam semper grandescat & adolescat. Quamquam autem ab Euangelistis non exprimatur quibus rebus vacauerit Christus vsque ad baptismum suum, omninò tamẽ verisimile est labore suo sibi parentibúsq; victum parando duratse-

Mar.6. Nam Marci 6. faber & fabri filius à gentilibus fuit vocatur, Certè literis vacasse eum verisimiliter dici non

Ioan. 7. potest, cum Ioan. 7. legamus miratos Iudæos dixisse: Quomodo hic scit literas, cùm nõ didicerit? multo autẽ minus verisimiliter dici potest, indulsisse illum ocio. Igitur cùm parentes Christi honesti essent & iusti, egeni autem & necessariorum penuriam patientes, manifestum est quod labores corporeos continuò frequentabant, necessaria vitæ sibi quærentes. Iesus autem obediens illis, vt Lucas testatur, etiam in substinendo labores subiectionem perfectam exibebat. Ideo verò vsque ad tempus à patre præfixum, nempè vsque ad annum circiter trigesimum, nihil insigne gessisse scribitur, præterquam quod continuo profectu sapientiæ & gratiæ Dei commendabat se hominibus, vt nos suo exemplo admoneret, ne quis ad munus Euangelicum obeundũ temerè & importunè sese ingerat, sed prius ætatis accessu, moribus inculpatis, cœlestique vocatione docendi sibi colligat authoritatem.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

EVANGELIVM.

Ioan.2. *IN illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus & discipuli eius*

eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcunque dixerit vobis facite. Erant autem lapideæ hydriæ sex positæ, secundum purificationem Iudæorum capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nũc & ferte Architriclino. Et tulerunt. Vt autem gustauit Architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset: ministri autem sciebant, qui hauserant aquam vocat sponsum Architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint id quod deterius est. Tu autem seruasti vinum bonum vsque adhuc. Hoc fecit Iesus initio signorum in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

CVm hactenus nõ modò multis, iisque irrefragabilibus declaratum sit, & conuictum testimoniis, puerum illum nostrum Bethleemeticum, Dominum Iesum, verum esse Messiam in lege & prophetis promissum tum etiam in Ecclesia iustissimo sint ordine cuncta distributa, ita, vt primum propheterum oracula, de in Euangelistarum elogia, quæ tam angelus ad Maria & Ioseph, quàm quæ Zacharias & Elizabeth de Christo, priùs quam in hanc lucem ederetur, pronunciarunt. Ad hæc, quæ in ortu ipsius, ac mox in Magorũ aduentu, & paulò post Hierosolymis à Simeone & Anna. Insuper quomodo ad grandiorem ætatem accedens sese ipsum primo suo facto prodiderit: Singula hęc sint distinctis temporibus succesliuè, charitatibus vestris proposita, quo commodius ad plenã Christi cognitionem peruenire valeatis. Nunc tandem, rerum ordo, hoc exposcere videtur, vt ad maiorem fidei cõfirmationem exponamus, qualiter Christus ipse, postquam ad iustam ætatem peruenerat, sese, quis esset, declaauerit. Verum enimuero, quoniam Christi humilitas, & rei ipsius familiaris fragilitas, obstabant, quõ minus de se testanti plurimi fidem habituri fuissent, nolùit verbis quicquam polliceri, prius, quàm insolitis, & stupendis prodigiis

suæ diuinitatis testimonium edidisset. Et quia non nisi in nuptiis auspicatus est mirificam suam vim declarare hoc ipso significatum voluit, se tutorem, & cõseruatorem coniugij, & eorum omnium, quæ coniugij multiplices molestias cõcomitari solent, consolatorem. Nec id iniuria, nam posteaquam ex Dei præcepto cogitur homo propter vxorem, non modo amicos, sed etiam patrem ac matrem deserere, hinc fit vt vicissim videatur ab omnibus derelictus. Quamobrem testatur hoc Euangelio dominus sibi vni coniuges esse curæ, nec permittere, vt quicquam eis desit rerum necessarium. Quæ etiam hinc discimus, Christum neminem auersari inopum & abiectorum, nam Christus, cui pauperes, & orphani derelicti, pauperum desiderio exaudit. Postremò, suppeditat quoque nobis hoc Euangelium, insignem doctrinam & formam piæ christianæque vitæ, duplici charitatis exemplo indicans, quid sequamur. Dum Christus, qui auxiliandi facultate præditus erat, eis nuibus libenter subuenit. Et beata virgo Maria, quod ipsa præstare non potuit, pia quadam sollicitudine, & vltranea intercessione apud filium satisfecit, quo pauperum incommoda subleuarentur. Habemus itaque in hoc Euangelio, præter confirmationem fidei, quod Christus verus sit Deus, etiam illustrem contra omnes pusillanimitates consolationem, denique duplex charitatis exemplum. Quæ tria, si quis ex illo didicerit, satis, vt opinor, hoc die profeciſſe credetur.

Vptia facta sunt in Cana Galilææ & erat mater.] Cùm iam sibi aliquot Christus discipulos collegisset, ac occultorum reuelationibus suam illis diuinitatem insinuasset, tempus erat vt nouis miraculis suam excellentiam testificaretur: quod quomodo aut qua occasione factum sit, iam narrare pergit Euãgelista. Quoniã autem duæ erãt Canæ (teste Hieronymo) vna maior iuxta Sydonem, altera minor in tribu Aser, ob id ad distinctionem alterius hic additum est, Galilææ.

Vocatus est autem & Iesus & discipuli eius ad nuptias.] Vocatus est ad nuptias Dominus, non quòd magnum aliquid

aliquid de eo iam ob visa miracula suspicarentur, sed simpliciter tanquam notus & amicus, quod significans Euangelista dixit matrem Iesu ibi fuisse. Notat autem Epiphanius in hæresi. 78. iam tum Ioseph fuisse mortuũ quod nec hic, nec alibi postea coniungatur Mariæ aut fratribus Iesu. Itaque sicut illa vocata fuit tanquam nota, ita & Dominus. Non dedignatur autẽ Dominus etiam sic vocatus nuptiis interesse, vt humilitatis nobis exemplum suo facto commendaret, docerétque amicorum & cognatorum necessitudinem non negligendam quando non obstat vitæ quæ secundum Deum est. Deinde quo sua præsentia nuptias honorãs & nuptiale conuiuium miraculo insigni cohonestans, ostenderet contra futuros hæreticos & matrimonium esse sanctũ, & nuptialia conuiuia non esse tanquam illicita reprobanda. Quis enim sanctus non reprehenderet huiusmodi conuiuia, nisi Christi exemplo reprimeretur? Aut quomodo efficacius hæresis Tatiani, Marcionísque refelli potest, quàm hoc Christi exemplo?

Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum, vinum non habent.] His verbis multiplex certe matris Domini virtus nobis commendatur. Et primum quidem ipsius sollicita pietas & misericordia, qua aliorum defectus subleuare studebat, idque adeò sollicitè, vt vsque ad extremam necessitatem non distulerit, sed deficiente vino, id est, dum iam inciperet deficere, & nondum defecisset. Nam quod dicit: Vinum non habent: intelligendum videtur sufficiens & quantum est satis, Græcè tamen non est participium præsentis temporis, sed aoristus ὑστερήσαντος γενομένου, hoc est, cum defecisset vinum. Secundò, insinuatur nobis ipsius eximia de Christo opinio & fides. Nam cùm nondũ Christus miracula operatus fuisset, non dubitat tamen eum posse: imò cùm iam discipulos sibi adiũxisse videret, credidit tempus esse vt per miraculorum patrationem mundo seipse manifestaret. Postremò, & virginis modestia, reuerentia ad Christum, ac multa spes indicatur, eò quod paucis verbis defectũ vini filio insinuauerit non quod ignorare putaret, sed quò ad subleuandum inopiam amicorum prouocaret. Nouerat siquidem mater nihil minus ferre posse filiũ

quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam suorum inopiam etiam corporalem : quare satis habuit tantùm verbo inopiæ conuiuatum admonuisse. Sic se habet & omnis animus fide orans, qui satis habet suos defectus Deo exponere, nihil dubitans quin pro sua potentia & bonitate possit & velit succurrere, sed tempus & modum quo subuenturus sit, in illius voluntate & prouidentia relinquens.

Et *dicit ei* Iesus: *Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea*] Quod dicit saluator: Quid mihi & tibi est mulier; quidam intelligunt vt sit sensus: Quid mea & tua interest quod non habeant vinum? Tu enim es mulier & proinde non imputabitur tibi vini defectus, sed architriclino tantum & sponso. Verùm rectius hæc oratio intelligitur secundum Phrasim Græcam aut Hebræam. Nam Græci per duos datiuos mediante coniunctione τῷ ea proferunt, quæ Latini per vnum datiuum cum aduerbio congregandi, siue cum ablatiuo, præcedente præpositione, cum. Sic Matthæi 8. vociferabantur
Mat. 8. dæmones. Quid nobis & tibi Iesu fili Dauid? hoc est, quid rei est nobis tecum? Et cap. 27. Nihil tibi & iusto
Idem 27 illi: hoc est, ne quid rei tibi sit cum iusto illo. Sic & hoc loco sensus est: Quid mihi rei est tecum, quiuue mihi tecum commune? Similis phrasis est apud Hebræos, à
2. Reg. 16. quibus Græci eam mutuati videntur. Sic enim dicitur 2. Regum 16. Quid mihi & vobis filij Saruiç Et 4. Re-
4. Leg. 9. gum 9. Quid tibi & paci? id est, quid tibi cum pace? Et alias sæpe hæc loquendi ratio occurrit. Porrò durius matrem Christus alloquitur, non quod illa in syncero affectu miraculum expetisset, quasi scilicet per miraculum filij cupiuerit gloriam suam demonstrari, neque quod illam non vnicè diligeret, & piissimè veneraretur, sed vt miraculorum authoritatem ab humanis affectibus asseret, ac diuinæ virtuti totam gloriam vindicaret, hoc est, ne potissimum videretur in gratiam amicorum facere quæ fecit, & non potius in gloriam patris sui, & doceret omnes non à matre se accepisse potestatem miracula operandi, atque in Euangelico negotio nullum esse ius authoritatis parentum, neque secundum eam regi debere eum qui ad id negotij à patre missus est. Itaque sensus est, In negotio edendorum mira

miraculorum nihil mihi tecum rei est, sed es mihi velut aliena mulier, non vt mater. Neque enim à te accepi vnde miracula operari possum, ac proinde neque tui iuris est præscribere patrandorum miraculorum tempus & locum. Quod autem sequitur, Nondum venit hora mea: Augustinus intelligit, de eadem illa hora de qua capite 7. Nemo misit in eum manus, quia nondum venit hora eius: nempe de hora passionis, vt sit sensus: Nondum venit hora passionis mihi à patre præscripta quando ostendam quid à te acceperim, & tanquam matrem recognoscam. Verùm melius secundum alios intelligitur de tempore operandi miracula, & per ea seipsum manifestandi. Cum itaque prioribus verbis ostenderit propter auditores, matrem non habere in ipsum aliquid iuris in negotio Euangelico, his iam verbis indicat se in omnibus obseruare debere opportunitatem & tempus decretum à patre. Sed cum hac hora & tempore fecerit miraculum, quomodo dicit nondum venisse horam edendi miracula? Dicit beatus Chrysostomus matrem petiisse miraculum, priusquam omnibus manifesta esset vini deficientis inopia, atque ob id dixisse Christum, nondum venit hora mea: quin scilicet opportunum tempus edendi miraculum quod petebatur, non erat, nisi cùm iam de vini inopia omnibus constaret. Tunc enim futurum erat gratius credibilius, magisque liberum ab omni sinistra suspicione, cum alioqui videri posset ad ostentationem sui, & amicorum gloriam miraculum operatus Dominus. Aliter tamen etiam dici potest, Nondum tunc venisse tempus passim & publicè edendi miracula, quod tempus cœpit primùm ab incarnatione Ioannis, vnde ab eo tempore reliqui Euangelistæ cœperunt eius prædicationem & miracula prosequi: tamen quo matrem ob repulsam filij non deficientem in fide & spe honoraret, præuenit illud tempus miracula faciendi, ostendens simul se temporibus non subiici, sed dominari eis. Mater enim etsi repulsam passa videretur à filio, tamen tum quod diuina sua prudentia scopum & rationem verbi intelligeret, videlicet quod non impotentiæ excusatio, neque matris contemptus erat, sed ne videretur sese miraculis

Universidad de Deusto
Biblioteca

culis ingerere, & spectaculo exponere, tum quod spei fideique firmitate optimè confideret de filij sui & potentia & benignitate erga omnes, & maximè erga matrem, mensæ ministros admonet vt facerent quicquid iussi essent, pia sollicitudine procurans ne famulorum inobedientia, aut non paratum obsequium obstaret, quo minus conuiuio subueniretur, cæterum tempus ac rei gerendæ arbitrium filio tacita relinquens. Itaque & hic rursum præclaræ virginis dotes relucent, mansuetudo scilicet & reuerentia filij, cuius duriore responso, non offendebatur, nec ei vicissim respondebat. Item fidei fiduciæq; constantia, deinde & in intelligendo verba filij, & in prospiciendo futuris prudentia, in subueniendo inopibus indefessa sollicitudo. Greg. Nyssenus interrogatiuè legit illud: nõdum venit hora mea? Sic enim interpretatur in ser. super illud: Tunc & ipse filius subiectus: quasi diceret: Quid mihi tecum est mulier? Nunquid etiam hanc meam ætatem regere vis? an nondum venit hora mea, quæ liberum arbitriũ & suum ius ac libertatem ætati præbeat?

Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, &c.] Purificatio Iudæorum, de qua hic loquitur, non ea intelligenda est, qua Iudæi secundum legem Moysi purificabantur à quibusdam immunditiis per legis constitutionẽ introductis, vt à contactu morticini, vel leprosi, aut à pollutione seminis. Ab his enim immundi erant vsque ad vesperum, nec potuerunt ab his emundari in conuiuiis. Quare ea intelligenda est purificatio, quæ secundum traditionem seniorum introducta fuit & recepta apud Iudæos, de qua Marcus. Pharisæi, inquit & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant tenentes traditionem seniorum: & à foro nisi baptizentur nõ comedunt, & alia multa sunt quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum. In hunc ergo vsum aderant sex istæ hydriæ, hoc est, aquales, (Dicitur enim hydria ab hydor, aqua) capientes duas aut tres metretas. Est autem metreta & cadus eadem mensura, continens decem congios, vt ostendit Budæus lib. 5. de Asse ex Dioscoride lib. 5. Congius verò sex

Mar. 7.

sex continet sextarios. Nam & ob id sextarium dictum volunt, quod sexta pars sit congij. Sextarius autem duas continet heminas vel cotylas: hemina autem appendit libram vnam, hoc est, sex cyathos. Nam cyathus liquoris vncias duas cõtinet. Ex quibus colligere licet quàm capaces fuerint sex istæ hydriæ, continentes metretas binas aut ternas. Vnde etiam intelligimus quàm largum fuerit Domini beneficiũ, & supposititias esse quasdam amphoras portatiles, quæ in locis quibusdam tanquam ex his sex hydriis ostenduntur, quę absunt à mensura vnius metretæ aut cadi. Iuxta Robertum Senalem, qui post Budæum accuratius de ponderibus & mensuris scripsisse videtur, Metreta & cadus idem capit quod Batus seu Ephi, quas mensuras ex Iosepho ostendit continere 72. sextarios Atticos, & proinde libras mensurales 108. cum sextarius Atticus selibram capiat, idémque sit cum Log Hebraico, quæ mensura Hebræis capax dicitur sex uuorum. Ac iuxta collectionem ipsius Roberti, Metreta seu Batus continet quadragarios Parisinos duodecim cum cheopina & dimidio eius cum duabus drachmis. Quartarius autem Parisinus, qui capit quatuor cheopinas aut duas pintas, minor est congio Romano hemina vna, minor item Choe Attico quadrante heminæ vnius, paulò item minor Gomor mensura Hebraica. Vnde colligitur aliquanto minorem esse nostro quartario, quem nos barbarè pottum dicimus. Proinde hydria quæ duas metretas capiebat, iuxta hãc collectionem vigintiquatuor nostros quartarios aut circiter capiebat. Vnde reliqua colligi possunt. Certè non amphoras vulgares fuisse has hydrias, sed vasa aperta & ampla, pareret ex eo quod Dominus nõ iubet effundi liquorem, sed hauriri. Haurite, inquit, nunc, &c.

Dicit eis Iesus, implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum.] Consultò Dominus miraculũ Distulit quo magis omnibus innotesceret vim defectus, ac sic non ostentationi, sed necessitati darum videretur. Igitur cùm iam tempus esset vt matris petitioni cõdescendens, amicorum inopiæ subueniret, séque in gloriam patris sui manifestaret, mandat ministris vt sex illas hydrias implerent aqua. Non mandat vt vasa vinaria impleant,

Universidad de Deusto
Biblioteca

pleant, sed equales illas pro purificatione Iudæorum sitas, quas omnes didicerant præter aquas nihil continuisse, vt miraculum esset apertius, & ab omni calumnia libertius. Cumque solo verbo & vinum creare potuisset ex nihilo, & hydrias replere aqua quàm in vinum conuerteret, ministris iussit replete hydrias aqua, vt euidentius esset miraculum, ipsósque mensæ ministros, faceret etiam ministros ac testes miraculi. Sicut enim ita omnia sua miracula gessit Dominus, vt non ad laudem humanam affectata, sed subleuandis hominum malis impensa viderentur: sic & rerum ordinem ita temperauit, vt maiore certioráque fide geri non posset, quo pacto ea videntium fides magis excitaretur & crederet. Itaque & hæc de causa iubet ministros haurire, & ferre architriclino, hoc est, conuiuij præfecto, vt & per hunc miraculi fides & magnitudo pluribus certius innotesceret. Hic enim partim quia sobrius erat, (nam cui cura mandata est curandi conuiuium, is cæteris bibentibus abstemius esse consueuit) partim quia saporum peritus, maiore fide pronunciare poterat de vino, quàm cæteri conuiuæ, quorum parata iam multo vino videri poterant obsorduisse. Ministri ergo testes fuerunt aquam in vinum conuersam, Architriclinus autem testis fuit vinum illud optimum fuisse, qui cum suspicaretur errorem ministrorum, aut dispositione sponsi factum, vt vinum illud optimum vltimo loco apponeretur, sponsum vocat, disputans cum eo de vino tam bono, Deo ita ordinante propter miraculi maiorem fidem & claritatem astruendam. Porro subintelligendum quod ex sua narratione Euangelista reliquit nostræ intelligentiæ postea re ex famulis inquisita, & reperto vino eiusdem generositatis in hydriis, miraculi veritatem & architriclino, & sponso, & per hos omnibus innotuisse. Sicut autem ad insinuandam vini Christi liberalitate exhibiti quantitatem, Euangelista expressit hydriarum & numerum & capacitatem: ita ad significandam eiusdem vini excellentiam & bonitatem narrat tam accuratè verba architriclini, quibus eius bonitas comprobatur, vt sic declaret Christum & copiosum & optimum vinum exhibuisse.

Hoc

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit.] Hinc patet falsum esse librum de infantia salvatoris, qui & reprobatur in decreto Gelasij Papæ tanquàm ab hæreticis confictus. Atque hac de causa videri potest ex proposito illud Ioannes addidisse, vt reiiciendo demonstraret miracula quæ de Iesu iactabantur antea facta. Non enim intelligendum est Ioannem noluisse significare illud miraculum non fecisse simpliciter primum, sed primum inter ea quę fecit in Cana Galilææ. Nã nulla videri potest ratio quare potius diceret Euangelista primum miraculum quod in Cana factum est, quam primum miraculum quod in Capharnaũ aut in Hierusalem factum est. Deinde cum additur: & manifestauit gloriam suam hoc est, gloriam & claritatem potentiæ suæ diuinæ, apertè satis significatur prius tali ratione non manifestasse gloriã suam. Et bene quidem dicitur manifestasse gloriam suã. Apertè enim ostendit se eum esse, qui quotannis in vite aquam in vinum conuertit, ac creaturarum omnium dominum. Quod autem dicitur: & crediderunt in eum discipuli eius: intelligendum quod fidem ampliorem & firmiorem acceperint. Quia & prius quidem crediderant, sed non tam firmiter. Porro præter quam quod hoc miraculo & matrem honorauit & nuptias, amicorumque honori & inopiæ prouidit, etiam mysticam habet rationem & intelligentiam omnis hæc Christi actio & historia: cuius mysterij ratione omnino conueniebat hoc miraculum aquę conuersæ in vinum in nuptiis, fuisse primum omnium quæ fecit miraculorum. Hoc enim miraculo Christus veluti typo quodam nobis adumbrauit id quod aggrediebatur. Iam enim tempus erat vt pro insipida ac diluta legis Mosaicę litera, biberemus generosum illud vinum Euangelicæ doctrinæ, Christo videlicet id quod erat inutile nobis & inefficax vertente in melius. Secundum cuius mysterij hic significati exigentiam licebit & totam hanc historiam mystice interpretari. Spirituales itaque quædam sunt nuptiæ, quibus scilicet humana natura diuinæ reconciliata & coniuncta, & ad hoc coniuncta, vt deinceps spirituales Deo filios pareret. Hæ autem nuptiæ tertia die sunt factæ. Prima enim dies, fuit tempus

Sensus allegoricus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ante legem: secunda, tempus sub lege: tertia vero tempus Euãgelicæ doctrinę. De quibus tribus diebus illud Oseæ non incommodè potest intelligi. Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. Nos autẽ in Iudæa aut in Ierusalem, sed in Cana Galilææ gentium factæ sunt hæ nuptiæ, quia ad gentes magis hæ pertinẽt nuptiæ, ad quas maior Iudæorum pars vocata venire recusauit & contempsit. Astipulantur & ipsæ vocabulorum localium significationes. Cana enim Galilææ sonat possessionem transmigrationis. In eo ergo populo hæ nuptię celebrãtur, qui pretio sanguinis Christi emptus trãsmig. at à litera legis ad spiritum Euangelicum, atq; à mũdo ad cœlum. Interest his nuptiis castitas virginalis, adest & discipulorũ Christi simplicitas, venit & ipse Iesus è cœlo tanquam ex vera Iudæa descẽdens inuitatus certè multorum retro sanctorũ vocibus. Ipso autẽ veniente ad nos, iam deficere cœpit in vitibus omnium vinum. Nam & insita hominibus naturalis ratio variis erroribus prope modum extincta erat, & cœlestis gratia, qua etiam olim mentes fidelium irrigabantur & potabantur, hominum negligentia defecit in eis abundãte in omnibus iniquitate. Mater Iesu Synagoga, cuius authoritas per Christum diminuitur, admonet quidem de vino, sed idem ipsa præstare nequit. Itaque cum lã de vini ac gratiæ diuinæ defectu cõstaret, Christus non ferens humanam naturam bonorum carentia deprimi, melius nobis quam prius erat, vinum protulit. frigidas legis cęremonias in efficacissima atque saluberrima sacramenta, ac insipidam & quæ recreare non potuit legem, in Euangelicam doctrinam commutans quę mentem hominis, & lætificat, & inebriat. Miratur autem tam bonum vinum architriclinus, quia pontificẽ quisque, quibus cura harum nuptiarũ cõmittitur, huius mysterij ratione stupescit, cui primum vinum afferri Christus imperauit, quod per eum conuiuis omnibus sit dispensandum. Cæterum orandum & nobis, vt hæ in nobis etiam impleantur nunc, nempe vt fiant nuptiæ, hoc est, cõiunctio Dei cum anima nostra, quamdiu sumus in Cana Galilæa, hoc est, in possessione istius mundi, vnde nobis transmigrandum est. Verum hę nuptiæ

1 Oseæ 6.

Sensus moralis.

ptiæ fieri nõ possunt sine præsentia matris Domini, discipulorumq; eius & ipsius Christi. Castitas enim mẽtis adsit necesse est atq; simplicitas, & fides in Christũ, qui per fidem habitans in cordibus nostris, eũ agnouerimus vinum nobis deficere, conuertet aquam, quæ est in sex hydriis nostris, hoc est, dissolutionem ac moliciem omnium vitium animæ nostræ, in vinum sapidum, omnes nostras vires lætificans cœlesti sua gratia, vt qui prius verbo & facto nihil præter aquam frigidã proferebamus iam redoleamus tragrantissimum diuinæ sapientiæ & gratiæ vinũ quo & alios recreemus & ebriemus, atque incalescere faciamus. Orandum quoque, vt ad eas nuptias agni, de quibus Apoc. 19. peruenimus, à quibus stultę virgines excluduntur, in quo simul cum Christo & Apostolis eius pro contemptis huius mundi bonis (quæ velut aqua frigida satiare non possunt) bibamus vinum illud nouum, de quo Christus in vltima cœna, vinum, inquam, vindemiæ defecatæ. De quo Isaiæ. 25.

Sensus anagogicus.

Apo. 19

Isaiæ 25.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

EVANGELIVM.

IN illo tempore: Cum descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eũ turbæ multæ. Et ecce leprosus veniẽs, adorabat eũ, dicens: Domine si vis potes me mundare. Et extẽdens Iesus manum, tetigit eum dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris, sed vade, & ostende te sacerdoti: & offer munus tuũ, quod præcepit Moyses in testimonium ipsis. Cum autem introisset Iesus in Capharnaum accessit ad eum Centurio, rogans eum & dicẽs Domine, puer meus iacet in domo paralytic' & male torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniã & curabo eum. Et respondens Centurio ait: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meũ, sed tantũ dic verbum & sanabitur puer meus. Nã & ego sum homo sub potestate cõstitutus, habens sub militẽs, & dico huic: Vade, & vadit: & alij Veni, & venit: & seruo meo Fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit. Amen dico vobis, neminem tantam

Matt. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Filij autem regni eicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade & sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer eius illa hora.

QVemadmodũ Christus superiore dominica mutando aquã in vinũ manifestauit gloriã suam, & crediderũt in eũ discipuli eius. Ita nũc quoq; duplici miraculo, vnũ ruti, aliud in vrbe edito, & illud per præsentis corporis contactũ, istud aũt absens solo verbo adde, quod primũ fuit Iudæus, alter paganus, superiore dè manifestauit gloriã suã, ad hoc, vt credamus, ipsum & Iudæorũ, quibus beneficentiã suam præsens in carne propiis manibus largitus est, & gentium idololatrarũ, quos verbo duntaxat per Apostolos visitauit, seruatorẽ fore. Leprosus enim Iudaicum populum seruus Centurionis, quia gentilis erat, merito gentium populum figurauit, vtriq; eandem beneficentiã semper paratus est elargiri, non solũ nobilibus, opulentis aut vrbanis, qualis erat Centurio in Caphranaum, verum etiam contemptissimis & abiectissimis quibúsq; mendicis & rusticis, qualis leprosus erat, domino in agro occurrens, & seruus lecto decumbens. Nam vtriq; eundem sanitatis effectum, & idem optatæ sanitatis beneficium, præstitit. Quare non vulgarem consolationem & doctrinam ex hodiernum Euangelium administrat, quod Christus nõ solum nõ horruerit leprosum contingere, verum etiam ad seruum hominis pagani & militis, venire non grauatè promiserit. Quis ista audiens post hæc de Christi clementia diffideret, aut dubitaret? Quis ista intelligens non & manus & oculos subleuaret in cœlum, cum propheta exclamans: Benedic anima mea Dominum, & noli obliuisci omnes retributiones eius, Qui sanat omnes infirmitates tuas. Hæc paucis præfati, textum ipsum aggrediamur.

Psal. 102.

CVm autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. QVandoquidem & ex Luca constat Dominum

num postquam è monte decendisset, in loco campestri habuisse hunc sermonem præcedentem, & ex ipso Matthæo, qui in fine superioris capitis significat turbas audiuisse hunc sermonem, cùm tamen in principio significet turbas in montem non ascendisse, oportet ergo quod Matthæus hic dicit de ascensu Domini è mõte, non sic accipere, quasi finito hoc sermone tum primum descenderit, sed intelligendum est eum iam commemorare quod prius præteriuerat, & à Luca positum est. Cum enim prius ascensus in montem meminisset, & necdum descensus, & iam vellet narrare Dominum alio migrasse sequentibus se turbis, necessario iam descensus à se prætermissi mentionem. Itaque sensus est, Cùm descendisset Dominus è monte, & deinde sermonem hunc presente turba habuisset, ac illo completo alio migrare vellet, secutæ sunt eum turbæ multæ nempe illæ quæ prædicantem audierant, & miracula facientem viderant, & aliæ quæ fama nominis eius excitatæ confluebant. Porrò non caret mysterio quod turbæ Dominum secutæ dicuntur postquàm è monte descendisset, cum non potuerint eum discipulis sequi Dominum in monte ascendentem. Id enim nobis significat, Dominum cum in cœlis adhuc apud patrem maneret, paucos habuisse qui ad illum accederent: at postquam de monte suæ diuinitatis descendit, & humanitatis nostræ fragilitatem assumpsit, magnam turbam nationũ secutam eum. Deinde & illud significat, paucos esse qui eum ipso ad perfectionem Euangelicam conscendere valeãt, multos tamẽ esse qui illum sequantur inferioribus consistentem, & præcepta sua infirmitati multitudinis attemperantem. Notanda est autem hic vis diuini verbi à Christo prædicati, cum illud post ipsum tot turbas traxerit. Commodum autem Dominus à prædicatione verbi ad miracula sese recepit, eorúmq; narrationem commodè Matthæus iam subtexit, vt per virtutum miracula, præteritus apud audiẽtes & legentes sermo firmaretur. Hic enim vel præcipuus erat miraculorum Christi vsus, vt ad suscipienda Dei verba & admiranda hominum animi excitarentur. Omnino autem apparet ex Matthæo, statim post descensum, occurrisse

Universidad de Deusto
Biblioteca

curriſſe occaſionem miraculi curationis leproſi. proinde quod ſcribit Lucas, Dominum poſtquam impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intraſſe Capharnaum: non poteſt intelligi, ſtatim intraſſe, cum oporteat ex Matthæo intelligere prius contigiſſe curationẽ leproſi, quam Marcus & Lucas quoque narrãt, ſed alio loco. Nam Marcus cap. 1. eam narrat poſt curationẽ ſocrus Simonis, ſubiungens cap. 2. introitum in Caphrnaum: & curationem paralytici: Lucas verò capite quinto, ſimiliter poſt curationem ſocrus & vocationem Petri, ſubiungens curationem paralytici. Verum neuter ſic narrat hoc miraculum, vt aliquem ordinem cum præcedentibus, aut ſequentia cum ipſo habere ſignificent, ſed vterque ſimpliciter narrat miraculum contigiſſe. Quare cum Marcus & Lucas curationem ſui leproſi eiſdem adeò verbis ac circunſtantiis deſcribant quibus Matthæus ſui leproſi curationem, vt dubium non ſit idem miraculum ab omnibus tribus narrari, & Matthæus miraculi huius tempus & ordinem hic omnino ſignificare videatur, commode & neceſſario narratio Lucæ & Marci hac concione à nobis coniungetur.

Luc. 5. Marci 1.

Et ecce leproſus veniens adorabat eũ dicens: Domine, ſi vis potes me mundare.] Ex Luca conſtat miraculum hoc non contigiſſe omnino ſtatim ab habito ſermone, in [illegible] montis, vbi putant quidam leproſum expectaſſe deſcẽſurum Dominum Lucas enim in vna ciuitatem [illegible] giſſe apertè dicit. Nec obſtat, quòd ſecundum legem leproſi excludebãtur ab vrbibus, vt patet Leuitici. 13. Nam lex excluſionis, quantum ad habitationem intelligenda eſt, nec tam arctè excludebantur ab vrbibus leproſi, quin per modũ trãſitus via publica incedere poſſent: ſicut etiam iam apud nos illis permittitur. Nam & nũc vrbibus excluduntur, non tam lege aliqua quam generali conſuetudine quæ legis veteris conſtitutionem de leproſorum ſeparatione, etſi cæremonialem, & obligantem non, recepit tamen & renouauit, eo quod ea lex communi bono ſit vtilis. Conſuetudine enim potius quam certa aliqua lege iam excludi leproſos, patet ex cap. 1. de coniugio leproſorum, vbi dicitur: Cùm hi qui lepræ morbum incurrunt, de conſuetudine generali à communione hominum ſeparentur. Thoſtatus tamen vult illud quod dicit Lucas, in vna ciuitatum, debere accipi pro eo quod eſt iuxta vnam ciuitatum, & affert ſimile ex Ioſue quinto capite, vbi in Hebræa veritate dicitur Ioſue, priuſquam vrbem Hiericho cœpiſſet in Hiericho pugnaſſe cum Angelo. Nam vbi nos legimus, Cùm autem eſſet Ioſue in agro vrbis Hiericho, &c. Hebræa habent: Et factum eſt cum eſſet Ioſue in Hierico. Quod autem hic leproſus, quem pro exaggeratione miraculi Lucas plenum lepra dicit fuiſſe, dicitur à Matthæo adoraſſe Dominum, quomodo ſit intelligendum patet ex Marco & Luca. Nam Marcus quidẽ dicit, γονυπετῶν αὐτὸν, id eſt, accidẽs ei ad genua, vel vt nos habemus, genu flexo: Lucas verò, πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, id eſt, procidens in faciem. Hæc enim propriè ſignificat verbum adorare. Non ergo adoraſſe dicitur, quia ipſum vt Deũ agnoſcebat & precabatur, ſed propter exteriorẽ illã venerationem, quam per corporis inclinationem & proſtrationem exhibebat. Quamuis certum ſit magnificam ipſum de Domino habuiſſe opinionem vt patet ex verbis quibus ipſum rogabat. Dicebat enim Si vis, potes me mundare. Non dixit: Si rogaueris Deũ, aut ſi hæc vel illa feceris, ſed ſi tantum vis, agnoſcens poteſtatem curandi in ipſius voluntate conſiſtere, & proinde proculdubio credẽs ipſum eſſe Chriſtum Dei filium. Itaque fidei magnitudinem verbis expreſſit, deſiderij verò etiam feruorem, ipſa ſupplici proſtratione. Conſiderandum autem, quòd cùm hæc verba: Domine ſi vis, potes me mundare: nullius rei petitionem ſignificent, ſed tantùm immenſæ & liberæ potentiæ agnitionem, tamen illis verbis dicitur à Luca Dominũ leproſus rogaſſe, eo quòd tacita tum verbis, tũ humili proſtratione ineſſet petitio ſanitatis, quam confitebatur eſſe in manu Domini. Et ſanè efficacior erat huiuſmodi tacita precatio, quàm ſi expreſſe dixiſſet: munda ergo me. Nam tacita illa precatio & maiorem præ ſe ferebat modeſtiam ac humilitatem, & ſubmiſſionem quandam totius negotij ſub voluntate Domini exprimebat. Non enim dixit, ſi vis, quaſi de eius benignitate dubitaret, ſi ex eiſdẽ omnino didicerat quanta eſſet, ex quibus dicerat

dicerat potentiæ ipsius magnitudinē, sed quod eius voluntati modestè submitteret negotium, quem solū sciebat nosse quid maximè expediret facere.

Et extendens Iesus manum suam tetigit eum dicens:] Benè certè adiecit Marcus: Iesus misertus eius: non enim ad ostentationem sui ipsius curauit leprosum Dominus, sed quod misericordiæ affectu moueretur in ipsum. Quòd autem contactu hunc sanauit, & non solo verbo factum est, vt ostēderetur benigna eius curatio, & salutifica virtus carnis eius, à qua ēt nobis omnis spiritualis sanitas est expectanda. Et fortè ob id tam studiosè Euangelistæ meminerunt extēsionis manus, cùm satis fuisset dicere, tetigit eum, quod vtique sine manus extensione fieri non potuit, vt significarēt extēsionem manuum in cruce, saluandos omnes credentes. Secundò verò hic speciali ratione leprosum tangendo sanat, vt ostendat se supra legem esse. Nam hæc vetuit leprosos cōtingere, ne ex eis quis pollueretur: Dominus verò ostēdit se ex contactu eorum non pollui, cùm contactu suo illorum tollat immunditiam. Præterea hac ratione factum est, vt curatio huius leprosi à maleuolis & inuidis gloriæ Christi, non posset alteri alicui causæ ascribi. Contingendo autem leprosum, simul etiam dixit Dominus: *Volo, mundare.*] Quibus verbis magnam humilitatem præ se ferentibus, cōfirmauit fidem leprosi credentis potentiam curandi in sola voluntate consistere pulchrè respondens illius verbis. Quoniam enim ille dixit: Si vis, dicit, Volo, & quoniam dixit: potes me mundare, adiicit imperatiuè: Mundare. Imperatiuè enim accipiendum, nec posse coniungi tanquam infinitum cum verbo, volo, Græca apertè testantur, quæ habent, καθαρίσθητι, id est, mūdus esto. Itaque duobus his verbis Dominus suam bonitatem & potentiam significauit, bonitatem quidem & promptitudinem ad subueniendum, dum dicit: Volo: potentiam verò per, mundare. *Vade ostende te sacerdoti & offer munus tuum.*] Ad sacerdotem mittit, & vt habet Marcus principem sacerdotum, (nam verisimile est hunc solum solemnem sibi purificandi leprosi ritum reseruasse) vt ostendat se legis esse obseruatorem, nec haberent iustam Phariſæi & sacerdo-

& sacerdotes occasionem criminandi illum tanquam legis præuaricatorem. Deinde, vt mundatus leprosus non prohiberetur consortio hominum à sacerdotibus. Præterea vt videntes sacerdotes leprosum Domini beneficio curatum, si quidem crederent, saluarentur: si verò non crederent, inexcusabiles fierent. Quas rationes intelligunt plerique designari in illo quod additur in testimonium illis. Hoc enim quidam sic intelligunt vt hoc ipsum quod meo iussu accedis ad sacerdotē, & offers munus tuum, sit illis testimonium pro me, quod legis non sum destructor, quemadmodum calumniantur. Alij sic testimonium illis, hoc est, vt hæc tua oblatio pro emundatione tua testetur illis meam potestatem, vt aut credant, aut sint inexcusabiles. Nam hunc sensum indicat Diuus Hieronymus, & sequitur Caietanus. Erasmus verò sic explicat, in testimonium illis, hoc est, vt tua oblatio ab illis accepta redarguat eos, si post odio mei velint calumniari factum, & dicere te vel non fuisse leprosum, vel secundum curatum. Idē ferè sensus indicatur in secunda expositione Chrysostomi. Secundum omnes autem hos sensus illud, in testimonium, coniungendum est non cum verbo, præcepit, sed cum verbo, offer. Potest tamen hæc pars rectè intelligi coniungi cum verbo, præcepit, in hoc sensu, Moyses præcepit in testimonium illis, hoc est, vt esset illis in legem & statutū. Siquidem legem, μαρτύριον & testimonium vocari, vel ex 118. Psalm. abunde liquet. Itaque sensus erit: Etsi verè mundus sis, volo tamen vt quæ Moyses ex iussu Dei sacerdotibus & toti populo in testimonium & legem statuit, sancta habeas, teque abi ad sacerdotem & offer munus tuum, vnde illi partem suam habeant, vt neque authoritatis, neque commodi ex meo beneficio iacturam faciant, nec me culpent tanquam legis transgressorem, & te veluti immundum obiciant. Certè Diuus Hilarius, in testimonium, coniungit cum verbo præcepit, intelligens Moysen præcepisse in testimonium, quia munera offerenda signa erant & umbræ verorum sacrificiorum, quæ à nobis DEVS magis requirit. Donum, inquit illud non sit ex auibus, sed vt homo ipse à sordibus peccati

Universidad de Deusto
Biblioteca

cati corporis emundatus in Dei sacrificium transeat.

Quia quod Moyses in lege præceperit, testimonium sit, non effectus. Hæc ille. Quod autem habent Marcus & Lucas, offer pro emundatione tua, dupliciter potest intelligi. Primùm, vt sit sensus: offer in gratiarum actionem pro emundatione tua tibi per me exhibita. Secundò, vt sit sensus: pro emundatione tua legali, qua leprosi curati adhuc mundari debebant & expiari quibusdam sacrificiis, priusquam cum mundis habitare & conuersari possent. Nam Leuitici decimoquarto, leprosus sanatus adhuc mundari dicitur sacrificiis. Primo enim die purificabatur duorum passerum, vel potius quarumuis auium oblatione quas licebat emere. Nam dictio Hebraica, quam interpres noster vertit passeres, significat etiam quasuis aues, quomodo ibi accipiendum videtur ex eo quod adiicitur: quos vesci licitum est. Interpres Originis in Leuitico vertit, gallinas. Nam ὀρνίθια vertunt Septuaginta, quæ dictio aliquando quidem gallinas significat, sed tamen generaliter etiam quasuis aues significat. Deinde loto corpore & rasis pilis corporis post septem dies quibus adhuc separabatur, octauo die offerebat duos agnos & aiuem vnam, aut si pauper erat, agnum & duos turtures aut duos pullos columbarum. Ac tum primùm rite mundatus habebatur. Huiusmodi autem mundatio erat mundiciei declaratio, & restitutio leprosi ad conuersandum cum hominibus, ac ingrediendum templum Dei. Quæ mundatio fiebat, tum vt non horrerent homines eius conuersationem, quem videbant tanta probatione ac sacrificiis mundum declaratum à sacerdotibus: tum propter sanctitatem templi, quod pro illo statu nemo pollutus corporaliter ingredi potuit, nisi corporalibus expiatus sacrificiis aut cæremoniis. Videtur autem quod hic dicitur à Marco & Luca de emundatione, posteriori modo potius debere accipi, eò quòd planè alludere videantur ad locum Leuitici, vbi ritus mundationis leprosi describitur. Illic autem frequenter dicitur, sacrificia illa offerri pro purificatione aut mũdatione leprosi & apertè quidem illud, eodem modo quo dicitur hic, pro emundatione tua, dicitur

dicitur de paupere cui præcipitur, vt pro agno & oue offerat duos turtures aut duos pullos columbæ. Nam vbi nos legimus, offeret ea die octauo purificationis suæ: Hebræa habet: & offeret ea in die octauo pro mũdatione sua. Portò cùm sacerdotium veteris testamenti vmbra quædam fuerit sacerdotij nouæ legis, & quæ de iudicio & mundatione lepræ statuũtur in veteri lege, manifestè vmbra sint eorum quæ circa peccatũ sunt verius facienda, (nam lepra corporis, peccatum, quod lepra est animæ, significat,) bene tum ex veteris legis statuto, tum ex præcepto Domini, qui & hoc loco & alibi præcepit etiam curatis à se leprosis vt ostendant se sacerdotibus sancti patres collegerunt peccatori conuerso immò etiam coram Deo per fidem & contritionem cordis mundato, necesse nihilominus esse vt sacerdotem adeat, illi se inspiciendum tradat, atque per eum expiatus, sic demum Ecclesiæ & sacris ipsius restituatur aut tradatur. Sicut enim olim Deus carnale sacerdotium instituit, cui commisit iudicium & mundationem lepræ, ita nunc magis spirituale sacerdotium in Ecclesia instituit, cui spiritualis lepræ iudicium & mundationem congredit, dum dedit sacerdotibus potestatem ligandi & soluendi. Et vt melius cognoscatur quàm per omnia vmbra veritati conueniat, sciendum in veteri lege duplices fuisse immunditias corporales, cæremoniis quibusdam legalibus expiandas. Quædam enim erant leuiores, vt quas frequenter effugere non liceret, quæque vt in plurimum sine omni peccato contrahebantur, idque quotidie: quales erant quæ contrahebantur ex contactu morticini, ex pollutione nocturna, & semine coitus. Atque has immunditias quisque per se expiare poterat, lotione scilicet vestimenti aut corporis, aut sola aspersione aquæ aspersionis. Aliæ verò erant immunditiæ graviores, quæ non expiabantur nisi sacrificiis per sacerdotem oblatis, quales erant quæ ex partu, aut lepra, aut diuturno fluxu seminis & menstrui sanguinis contrahebantur. Itaque priores immunditiæ venialium peccatorum vmbram præ se ferebant, quæ vt effugere nobis non planè licet, ita facilè expiãtur per eum qui ea commisit, sola oratione, lachrymis &

suis & gemitibus. Posterioris verò generis immunditiæ, vmbram præ se ferebant grauiorum peccatorum, nempè mortalium, quæ sacerdotali opus habent expiatione. Inter graviores autem immunditias nulla expressiorem & apertiorem figuram peccatorum mortalium, saltem manifestorum, præ se ferebat quàm immunditia leprę, vnde & ritus curandi lepram præ cęteris solennior, expressius etiam adumbrat omnia mysteria ad purgationem peccatorum concurrentia. Lepra enim peccatum significat, non solùm quia res est per se immunda & abominabilis, sed & quia ægrum tardúmque corpus reddit, ac contagio alios quoque inficit nō nisi diuino ferè beneficio curabilis. Ritus autem curationis leprę multiplex erat vt dictum est, Nam primo die duæ aues offerebantur, non quidem in templo super altare in sacrificium, sed extra castra aut ciuitatem vt patet ex his quæ scribuntur Leuit. 14. Citra duas has aues fiebant tales cęremonię, vna occidebatur vt vase fictili super aquas viuentes, ita scilicet vt sanguis ipsius aquis viuentibus permisceretur: alia verò auis viua alligata ligno cedrino, cum cocco & hysopo tingebatur in sanguine passeris occisi, ficque aspergebatur septies is qui mundandus erat, & viua auis dimissa vt auolaret. His autem duabus auibus quæ similitudinem aliquam habent cum hircis duobus qui offerebantur a populo in die expiationis, rectissimè videtur intelligi duplex natura in Christo, diuina, que mori nesciens Christum in cœlum subuexit; & humana, qua pro nobis mortua, sanguine CHRISTI cum aqua profluente ex latere ipsius purgantur peccatores, qui per fidem & sacramentorum participationem, hoc sanguine aspergantur. Christus enim inquit Ioannes, venit per
1. Ioan. 3. aquam & sanguinem: Non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Porrò aspersio non fiebat aut hic aut alibi sine ligno cedrino hysopo & cocco, quoniam sine fide passionis Christi in cruce non fit peccatorum expiatio. Lignum enim cedrinum imputribile & odoriferum, lignum crucis significat: hysopus verò Christi corpus, virtutem habens curatiuam pectoris & omnis iniquitatis: coccus verò charitatem, quæ Christi humanitatem

tem cum diuina per auem viuam significata, cruci affixit & alligauit. Quod autem post huiusmodi expiationem non statim leprosus mundatus in castra Domini recipiebatur, nec ad altare Domini admittebatur, sed adhuc multiplici indigebat expiatione, (nam rasis prius capillis omnibus, & loto corpore post septem dies recipiebatur intra castra, oblaturus certâ oblationem octaua die) significat secundum Originem homilia octaua, in Leuiticum, profectus quosdam purgationum, & quòd etiam si mundetur quis à peccato, & iam non sit in opere peccati, ipsa tamen vestigia sceleris commissi purificatione indigeat. Postquam enim per lauacrum aspersus est peccator sanguine Christi, lauanda sunt vestimenta & corpus aquis lachrimarum, radendi omnes pili corporis, hoc est, quicquid mali siue in mente, siue in verbo, siue in opere ortum est, abiiciendum est cum omnib. superfluis, ac sic demum ad altare Domini dignus erit accedere, & corpus ac sanguinem Domini offerre in perfectè expiatiuam oblationem. Proinde hoc ordine in primitiua Ecclesia ad altare Domini & fidelium communionem admittebantur pœnitentes, vt post confessionem & contritionis declarationem, non nisi completa satisfactione iniuncta, qua veluti pili abradebantur, & corpus abluebatur, admitterentur ad altaris communionem. Itaque his sic constitutis, cùm etiam, vt prius dictum est, corporalium morborum curatio facta à CHRISTO, typus quidam fuerit curationis spiritualium morborum: hoc miraculo curationis leprosi mystice docemur, eum qui lepra animæ infectus est, si sanitatis desiderio teneatur imprimis sese humiliter & magna fide debere prosternere coram Deo, à quo tamen sanitatem consecuturus, non debet conscientiæ suæ iudicio aut testimonio stare, aut temere se Sacramentorum communioni ingerere, sed sacerdotis expectare iudicium & absolutionem, ac gratitudinem animi pijs sacrificijs ac deprecatione gratiæ diuinæ testari: quemadmodum hic leprosus fecisse hoc loco narratur. Cæterum cùm, vt patet ex dictis, sacerdos legalis leprosum in scripturis mundare dicitur, nō solum quia mundum declarat, sed etiam quia effectiue aliquid operatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratur ad munditiam eius, nimirum quia tollit impedimentum ingrediendi templum, & habitandi inter homines, ex lepra secundum legis constitutionem contractum multo magis sacerdos noui testamenti etiam effectiuè concurrit ad mundationem lepræ spiritualis, hoc est, ad remissionem peccati, non tantum declarans illud esse remissum, sed etiam remittens, vt postea latius dicetur circa cap. Matth. 18 16. Notandum autem & illud, quòd quãquam lepra mysticè significet peccatum in vniuersum, tamẽ ob certas causas rectè per eam specialiter intelligitur hæresis & doctrina mala, vt docet Augustinus libro secundo quæstionum Euangelic. & de verbis Apostoli sermone decimo: videlicet quod in erronea doctrina vera falsis sint permixta, quemadmodum in leprosis colorum est varietas. Deinde quod hæretici vitium suum abscondere non possint, sed prosumma peritia, imperitiam suam in lucem proferant, & iactantia sermonis ostentant. Postremum, ob contagiosam pestem & corruptionem malæ doctrinæ è castris Domini recedentis.

Cum autem introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum centurio rogans eum.] Non sine mysterio factum est vt istud miraculum curationis serui Centurionis contingeret, & à Matthæo describeretur post superius. Illic enim Iudæus, fide non mediocri præditus, assecutus sanitatem describitur: hic verò beneficium describitur exhibitum Ethnico, qui præter alias virtutes hac etiam præstantiore fuit insignis. Ille enim sibi sanitatem quærebat, hic seruo: ille coram existentem credidit se posse sanare, hic etiam absentis verbo hoc tribuit. Ille ex animi submissione in faciem procidens, infigebat profectò modestia orauit: Si vis potes me mundare: ebis adhuc submissius egit, indignum sese ducens qui vel ipse Dominum appellaret, aut ad se venire sustineret. Hic sanè adumbratum fuit, Euangelicam gratiam Iudæis primùm ex promissione offerendam, nec defuturos qui illam per fidem acceptarent, sed mox multo cumulatiore cum fructu transferendam etiam ad gentes: de quo & ipse Dominus horum occasione mox monuit. Et benè quidem lepra saluatur in Iudæo, paralysis verò in

Mysticus sensus.

rò in Gentili. Nã Iudaicus populus veluti lepra laborabat, quod ex parte sanus esset, ex parte languidus. Gentilis verò populus veluti paralysi laborabat, lecto decumbens, & iam proximus morti, quia nihil in eo sanum, sed omnia ægrota erant & dissoluta. Iam quod leprosum præsens sanat Dominus, domum autem centurionis corpore non intrauit, sed absens corpore, præsens maiestate puerum eius sanauit, significabat eum in solo Iudaico populo corpore fore, apud alios verò gentes corporaliter non conuersatum, & tamen implendum quod dictum erat: Populus quem non cognouit seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. His conuenit quòd seniores Iudæorum causam Centurionis Domino commendant, eũmque ad domum illius adducunt, quem erant è templo suo profligaturi, nam hoc typus erat, à Iudæis & Iudæorum opera Euangelicam gratiam profecturam ad gentes. Itaque magni cum significatione mysterij Matthæus inter omnia miracula Christi quæ scribit, primũ Iudæum leprosum curatum, deinde verò Centurionis seruum sanatum describit: in quo Centurione gentium vocatio & fides præfigurata est, sicut & in altero Centurione eadem gentium vocatio & fides cœpta est, vt scribitur Actuum decimo. Porrò quamquam in narratione Lucæ & Matthæi sint quædam diuersitates, ob quas quidam putant, alium esse Centurionem de quo Matthæus, & alium de quo Lucas recenset: tamẽ rursum ob multas similitudines incidentes nõ potest probabiliter existimari aliud esse quod Lucas narrat, & aliud quod Matthæus. Ambo enim Centuriones, & ambo Capharnaum commorantes, ambo eandẽ fidem verbis demonstrantes, ambo æquali beneficio affecti, & eisdem verbis à Domino commendati, ambo voti sui compotes effecti post sermonem illum in monte vel circa montem habitum. Nec obstat quod Matthæus puerum Centurionis languisse & sanatum commemorat, Lucas verò seruum. Non enim apud Matthæum nomen pueri pro filio, vt quidam putant, accipitur, sed pro seruo. Nam & dictio Græca, παῖς, quę hoc loco ponitur, vtrumque significat, sicut Latinis nomen puer. Rursum non obstat quod

Psal. 17.

Matthæus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matthæus videatur significare, Centurionem per seipsum accessisse ad Christum, Lucas verò aperte testetur suum Centurionem non per sese accessisse, sed misisse Iudæos qui suo nomine Dominum rogarent. Intelligendum enim Matthæum hic, vt & alibi, breuitati studentem in recensendis miraculis id tribuere Centurioni quod eius nomine alij fecerunt & dixerunt. Itaque accessisse eum dicit ad Christum, & dixisse: Domine, puer meus, &c. quia eius nomine & iussu accesserūt seniores Iudæorum, vt explicat Lucas. Et Dominum dicit illi respondisse: Ego veniam, &c. &, Vade, sicut credidisti fi. tibi: quia tale quid dixit illi non in propria eius persona, sed in amicis ab ipso missis, quare necesse est Christum dixisse pluraliter: Ite, & sicut credidit, fiat ei. Verum Matthæus coactus fuit dicere: Vade, & sicut credidisti: eò quod breuitati studens introducit Centurionem veluti in propria persona accedentem Dominum. Et certè in diuersa narratione Lucæ & Matthæi obseruanda mirabilis Spiritus sancti dirigentis Euangelistas dispensatio. Cùm enim pro maiori confirmatione miraculum hoc à diuersis describi conueniebat, ita tamen à diuersis describitur, vt vnus alterum explicet, & quæ ab vno sunt prætermissa, alter commemoret, ita vt neutrius narratio possit videri superflua. Ex solo enim Matthæo discimus fuisse paralyticus, ex solo verò Luca intelligimus fuisse seruus cùm ex Matthæo potuisset videri filius. Rursus ex Luca discimus Centurionē per sese non accessisse. Ex Matthæo verò quibus verbis dominus sanitatem promiserit, & quomodo occasione fidei Centurionis cœperit differere de vocatione & fide gentium, quæ à Luca sunt omissa. His sic constitutis, animadvertendum hic imprimis quam variæ fuerint & eximiæ virtutes huius Centurionis, quæ hic nobis in exemplum proponuntur. Primum enim in eo notantur dilectio & eximia quædam humanitas, quia seruum adeò charum habuit, malóque eius fuit tantopere motus, ac pro eius sanitate adeò sollicitus. Bonorum enim dominorū est, vt cognoscentes se Dominum habere in cœlis, summa æquitate & humanitate suos seruos pertractent, de quo monet Paulus Ephes. 6. & Colossen. 4. Videtur autem

autem hic seruus fuisse Domino suo admodum fidelis & vtilis, & ob id singulariter de eo dictum qui erat ei ἔντιμος, hoc est, pretiosus, vel potius charus, aut in pretio habitus. Proinde circa hunc impleuit Centurio illud Sapientes: Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratre sic eum tracta. Et Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua. Secundo, in eo notatur humillima quædam submissio & modestia. Et humilitas quidem, quod neque adire ipse Dominum, neque eum in suas admittere ædes fuerit ausus, agnoscens sese indignum Domini consortio, tum quia genti lis erat, tum quia miles. Modestia vero quod omnis illis verbis quibus Dominum dicitur rogasse, tātum mandat suum & serui sui proponit, dicens: Domine, puer meus iacet in domo, &c. non explicitè addens quid à Domino petat, modestius certè orans quàm precedens leprosus quamquam & ille singulatem præ se tulit modestiam. Tertio, in eo notatur incomparabilis fides quod non dubitarit Dominum etiam absentem posse solo verbo restituere sanitatem seruo quamlibet vicino morti, imo iam animam agenti, hoc enim significatur dum dicitur erat moriturus: hoc est, animam iam agebat, & morti proximus erat, vt non ad illam quorundam interpretationem confugiatur: erat moriturus, nisi Domini curatione fuisset à morte præseruatus. Postremum notatur in eo admiranda quædam in gentili & milite religio erga Deum, non ab heri & nudiustertius, sed ab antiquo tempore, eo quod dicaturdixis, vt non possit putari, religione accensum tum primum fuisse, cum malo serui quem amabat afflictaretur, quemadmodum multis vsuenire solet. Id considerātum magis admirandam facit ipsius humilitatem, qui post tam magna beneficia populo Iudaico collata, adhuc putauit se indignum esse aspectu Domini & cum tam eximio Iudæorum propheta non arbitrabatur sibi verba communicanda. Vt autem his omnibus dotes huius Centurionis obseruantur, ita rursum obseruandum ingenium Iudaicum, in his qui missi à Centurione, solicitè Dominum rogabant pro illo, dicentes: Dignus

Eccl. 33. & 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram &c. His enim verbis declarant arrogantiam quandam, & amorem potius sui quam Dei. Dicendum enim potius fuerat: Timet DEVM quem & tu colis, quod amore & studio gentis & religionis nostræ declaravit. Nunc verò beneficium in ipsos collatum, dignum facere dicunt Centurionem cui præstetur quod petit, amorem sui declarantes & arrogantiam, quasi qui illis benefecerit dignus esset cui Christus benefaciat. Hic compara Centurionis orationem cum oratione Iudæorum Hi enim dignum eum pronunciant ob beneficia in ipsos collata. Ille verò omnis pietatis suæ in Deum immemor, indignitatem verò suam tantum ob oculos ponens, indignum se dicit non solùm vt impetret, sed etiam vt ipsum adeat, & in domum recipiat. Verùm ante omnia hic Christi exemplum, propter quem hæc omnia scripta sunt, perpendendum, incomparabilis scilicet bonitatis & humilitatis. Etsi enim Ethnicus esset, cuius negotium agebatur, & pro humili seruulo rogaretur, & essent legati non satis apti oratores, præsertim apud Christum, vt oratio ipsorum satis probat, tamen ilico non tantam sanitatem exorari passus est, sed & inuisere Ethnici seruulum volebat, idq; sine mora. Nam ita scribit Lucas: Iesus autem ibat cum illis. Quid queat fingi & benignius & facilius? Ad filium rogati sanandum cùm rogaretur vt descenderet, & ille descendere noluit: ad seruum Centurionis sanandum cùm sciret id Centurionem non petere, vltro adire voluit: hoc ipso declarans illum fua præsentia dignum, qua se putauit Centurio indignum: ostendens item suam erga pauperes benignitatem, ac docens non contemnendos eos qui humilis sunt conditionis. Hic tamen & alia est ratio quare se Dominus mox obtulit, vt adiret domum Centurionis, nimirum vt eius fides turbis declararetur. Quoniam enim qui missi erant seniores Iudæorum, rogabant Dominum vt descenderet, intelligi non potuisset fides Centurionis, nisi Dominū venientem per alios ab ingressu Centurio prohibuisset. Nec obstat quòd Lucas dicat Centurionem misisse ad Christum seniores Iudæorum, rogans eum vt veniret & saluaret

& saluaret seruum eius. Nam Lucas petitionē Iudæorum, attribuisse Centurioni intelligendus est, eo quòd ipsius nomine rogarent, quamuis non erat iussi à Centurione rogare vt veniret, sicut Matthæus responsionem Christi factam his qui missi fuerant, refert, veluti factā Centurioni, cùm dicit Dominum dixisse: Vade, &c. Centurio siquidem misit seniores ad Iesum, nec aliud eis iniunxit, quam quod Matthæus refert dictum à Centurione scilicet puer meus iacet, &c. sed seniores Iudæorum, destituti illa magnitudine fidei quæ erat in Centurione, nec secutes magnitudinem fidei & humilitatis in Centurione, petierunt Dominum vt veniret, existimantes idem velle Centurionem. Ideóque Lucas petitionem Iudæorum Centurioni ascribit, eo quod eius nomine fecissent & existimassent Centurionem idem petisse. Nec enim conuenit intentioni & verbis Centurionis subiunctis, vt credatur hæc petitio aduentus Domini iniuncta fuisse ipsis à Centurione.

Domine non sum dignus tu intres sub tectū meū, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. His verbis Centurio declarabat & modestiam opinionis de seipso, & incredibilem fidem de Iesu, & magnum affectum erga seruū suum. Quod autem dicit: Dic verbo: Hebraica phrasis est, pro eo quod est, impera. Et Matthæus quidem habet τῷ λόγῳ, id est, dic verbum, Lucas verò sicut nos τῷ λόγῳ, id est, die verbo. Porrò ex seipso coniecturā fecit Centurio posse Dominū solo verbo absentē sanare, dicens: Nam & ego homo sum sub potestate constitutus. Quæ pars dupliciter intelligi potest. Primò, vt intelligatur Centurio se vello comparare Christo in, eo quod sicut Dominus est homo sub potestate Dei constitutus, ita & ipse quoque ac deinde voluisse significare quod sicut ipse quamuis sub alterius potestate constitutus, non tamen prohiberur quin solo verbo quę velit perficiat per seruos suos: ita & Dominum etsi sub Dei potestate constitutum, posse tamen verbo quæ velit perficere. Secundum quem intellectum in secunda expositione Chrysostomi latius indicatum, est argumentum à simili, & per illud: & ego homo sum sub potestate constitutus: excluditur quod videri potuisset ob-

Universidad de Deusto
Biblioteca

strare, quo minus solo verbo absens curare potuisset Dominus. Secúdo, rectius accipitur hæc pars, vt per eã intelligatur Centurio significare voluisse dissimilitudinem suæ dignitatis & potentiæ ad dignitatem & potentiam Christi, vt indicetur hic argumentum à minori. Et proinde aptius verti potuisset: Etenim ego homo sum sub potestate constitutus. Non enim Græca habet ἀνὴρ ὑπὸ ἐξουσίαν, sed ἄνθρωπος ὑπὸ ἐξουσίαν. Iam quod sequitur: habens sub me milites, & dico huic, vade, &c. dupliciter potest intelligi Centurionem retulisse ad Christum. Primò, vt intelligatur significare ita Christo subesse inuisibiliter Angelos eius iussa perficientes, quomodo ipsi subessent milites & serui, quæ iusserat exequentes. Secúdo & rectius, vt intelligatur simpliciter significare, solo verbo & iussu Dominum posse quæ vellet, cum ipsius verbum tam esset efficax, qui tamen longè erat illo dignitate & potentia inferior. Itaque sensus est: Domine non solum indignum existimo, vt tu tantus ac talis laborem hunc & molestiæ suscipias curandi vilem seruulum causa sed & meipsum indignum iudico, cuius vel tectum subeas, cum sim homo gentilis & peccator. Nam cùm nostrum consortium simplex etiam Iudæorum genus solet despicere, existimans, se nostro congressu contaminari, multo magis indignum est vt tu totius populi doctor propheta planè diuinus & sanctissimus, gentilis hominis domum subintres. Atque hac sola de causa non sum ausus ipse venire ad te quantúuis cupidus salutis pueri mei. Vt autem nequaquam dignus sum cuius domum subeas, ita nec necesse id est, vt voti mei compos fiam. Sic enim verbo solum impetraueris, mox sanabitur famulus meus. Cuius rei vel ex meipso coniecturam, facere possum. Etenim ego qui sum alterius potestati maiori subditus, cuius iussis mihi obtemperandum est, tamen non necesse habeo vt per meipsum omnia obeam, sed per milites & seruos meos multa solo iussu perficio. Si ergo tantam autoritatem & vim habet mea iussio, vt me quiescente peragatur per homines mihi subditos, quod volo, multo magis tu tantus, qui naturę dominaris, nihil nõ solo imperio poteris. Si dixeris morbo, recede, mox recedet

det: si iusseris vt veniat, mox aderit. Ex quibus verbis manifestum, Centurionem afflatu diuino credidisse Christum verum esse Deum, aut saltem habere potestatem homine maiorem, & omni creatura superiorem, cui nihil resistere posset.

Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit.] Cùm admiratio proprie sit de rebus prius nõ cognitis, hac deinde hãc Centurionis fidem Dominus ipse cordi illius infuderit, quomodo admiratus dicitur Iesus? Dicendum primum, in Christo fuisse exteriorem admirationem, qua signis quibusdam exterioribus declarauit se admirari pro comprobatione tantæ fidei hominis gentilis, Secundo, fuit etiam in Christo interior quędam admiratio, non ex ea parte qua omnia ei erant cognita, sed ex ea parte qua experimentali notitia hactenus ei incognita fuerat tam noua & insolita fides Centurionis. Potissimum tamen videtur ideo dici admiratus, quia in modum admirantis vultum suum cõposuit. Quod autem dicit Dominus: Nec in Israel tantam inueni fidem: emphasim habet propter dictionem, nec. Dicere enim voluit, nec in populo quidem Israelitico, qui prophetarũ libris & suis doctrinis edoctus merito in fide præcellere debuisset, tantam se repetisse fidem, quantam in homine isto gentili. Quod tamen intelligendum est cum subintellectione videlicet à tempore prædicationis meę, propter fidem patriarcharum, prophetarum, Ioannis Baptistæ, & D. virginis. Nisi quis velit intelligere: Non inueni in Israel tantam fidem in proportione. Nam proportionaliter maior erat huiusmodi fides in gentili qui in scripturis nõ erat exercitatus, & Iesum tantum ex fama cognouerat, quam fides quorumuis quantumuis magna, qui in scriptutis erant versati, & multis visionibus cœlestibus donati, quomodo vidua plus dicitur posuisse in ærarium, quàm omnes diuites. Verum prior intelligentia est simplicior. Potrò ex hoc loco potest colligi argumentum sanè efficax, contra eos qui calumniãtur inuocationem sanctorum, quasi arguat diffidentiam diuinæ bonitatis. Centurio enim iste ob suam fidem meritũ à Domino laudatus est, quamuis per alios rogauerit, non quidẽ diffidẽs

Universidad de Deusto
Biblioteca

de Christi benignitate,quã æquè discere potuit ex fama atque potentia eius sed ex reuerentia prodeunte è fide quã de Domino concepit,credẽs se ob ipsius magnitudinem eius colloquio indignum Sic ergo & nos rectè Deum per sanctos ipsius interpellamus, si non id tam ex diffidentia quam ex reuerentia facimus.

Dico autẽ vobis quod multi ab oriente & occidente venient & recumbent cum &c.] Quoniam hæc Centurioni fides excellens omnium Iudæorum fidem præludium & specimen quoddam fuit fidei gentium,Christus huius fidei occasione,incipit differere de gentium vocatione & Iudæorum reiectione , de quibus prophetæ,& maximè Isaias , in variis locis sunt vaticinati. Per eos autem quos dicit venturos ab oriente & occidente significat gentes creditutas ex omnibus etiam extremis terræ partibus,quemadmodũ apertè vaticinatur Isaias: Ab oriente,inquit,adducam semen tuum,& ab occidente congregabo te, Dicam aquiloni Da,& austro , Noli prohibere,affer filios meos de longinquo,& filias meas ab extremis terræ. Et omnis qui inuocat nomen meum in gloriam meam creaui eum , formaui eum , & feci eum.Educ foras populum cæcum, & oculos habentem:surdum,& aures ei sunt.Perrò Dominus suo more etiam hic gaudia regni cœlestis significat per consuetudinem,dum dicit, recumbent cum Abraham,& eligenter significare volens eos perfruituros in summa quiete & securitate gaudiis regni cœlestis. Abraham autem Isaac & Iacob mentionem facit,tum quod his primis leguntur factæ promissiones regni,sub typo terræ promissionis:tum quòd his patriarchis Iudæi gloriabantur, reliquas gentes præ se contemnentes, quod ex illis non essent proguatæ,quas quo magis morderet & cõmoueret Iudæorum animos,docet contra patriarchis coniungendas,ipsos verò separãdos ab illis.Quos Iudæos vocat filios regni,quod nati essent ex iis,quibus &quorum semini fuit regnum peculiariter promissum De tenebris autem,exterioribus ,de quibus solum meminit apud Matthæum,idque tribus locis,videlicet hoc loco

Isaiæ 43.

Tenebræ exteriores

& capite 22.ac 25.varia est sententia. Quidam, enim, inter quos Caietanus,tenebras exteriores intelligunt dici

dici ad distinctionem tenebrarum interiorum, hoc est, spiritualium,vt sint tenebræ exteriores , tenebræ sensibilis lucis priuatiuæ.Secundum quam acceptionem comparatiuus exterior pro positiuo accipitur , vt sint tenebræ exteriores,tenebræ externæ,sicut exterior homo est externus homo. Augustinus verò & in epistola ad Honoratum quæ est 120.& in expositione Psalmi 6.intelligit tenebras exteriores dici comparatiuè ad tenebras quasdam quæ dicuntur per positiuum tenebræ exteræ vel externæ,sed nondum exteriores. Et quidem in epistola ad Honoratum , vbi hunc locum prolixè tractat , per tenebras exteras intelligit infideles qui sunt in hac vita:per tenebras exteriores , diabolum & angelos eius,qui infidelibus peiores sunt,& à vera luce Dei magis sunt auersi ac elongati.Itaque intelligit eos qui hic inter tenebras exteras numerati fuerint,mittendos in tenebras exteriores quia cõiungendi sunt in pœna & supplicio dæmonibus , cùm dicetur eis:Discedite à me maledicti in ignem æternum , qui *Matt.* 25 parատus est diabolo & angelis eius. In expositione vero Psalmi 6. simplicius hæc tractat,intelligens per exteras tenebras,cæcitatem mentis, in quam traditi sunt impij , vera luce mentis destituti , & extra eam positi: per exteriores verò tenebras: summam illam mẽtis cęcitatem quę erit in damnatis,vt mitti in tenebras exteras,sit tradi in reprobum sensum : mitti verò in tenebras exteriores,sit pœnitus fieri extra Deum, sine spe scilicet correctionis.Simplicius autem fuerit comparatiuum exteriores,accipere pro superlatiuo, quemadmodum Græcis familiare est,vt tenebrę exteriores intelligantur tenebræ extremæ vel potius extimæ. Nam Græcis est ἐσχατος. Sunt autem tenebræ extremæ vel potius extimæ,quæ ab ipsa luce quàm longissimè absunt , hoc est tenebræ obscurissimæ & profundissimæ. Quo enim magis tenebrę absunt à luce,eo sunt maiores & grauiores. Dicuntur ergo tenebræ damnatorum exteriores vel extremæ, in comparatione ad tenebras huius seculi,siue spirituales, siue corporales, vel certè in comparatione ad tenebras purgandorum Hoc enim satis significat D.Hieronymus super Isaiæ capit.14.cir-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ea illud: Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci, sic scribens, Qui per superbiam dixerat, in cœlum ascendam, ero similis altissimo, non solùm ad infernum, sed inferorum vltimum detrahitur. Hoc enim significat laci profunditas, pro quo in Euangelio tenebras exteriores legimus vbi est fletus & stridor dentium. Sic & Theophil. in hunc locum scribens: Dicens, inquit, tenebras exteriores, mõstrauit esse pœnas quasdam tolerabiliores & leuiores. Sunt enim & in suppliciis gradus. Quibus verbis apparet omnino secundũ duos hos interpretes, tenebras exteriores dici tenebras damnatorum in comparatione ad tenebras alias inferni, nisi fortè quis putet eos voluisse cõparare supplicia damnatorum inter se vt non omnes damnati intelligantur fore in tenebris exterioribus, quod tamen non conuenit Euangelio, quod omnibus damnatis videtur attribuere tenebras istas exteriores. Porro tenebræ istæ exteriores, non solum intelligendæ sunt tenebræ sensibilis lucis oriuatiuæ sed sicut lux regni cœlorum intelligenda est & sensibilis & spiritualis, ita tenebræ istæ infernales intelligendæ sunt & sensibiles & spirituales. Nã & erit ibi summa obscuritas oculis corporalibus perceptibilis & summa mentis cæcitas mẽte scilicet à vera luce quæ Deus est maximè elongata. Nec obstat quod in inferno erit ignis corporalis, qui naturaliter est lucidus. Nã Basilio teste, illuminandi vis ab illo igne diuina virtute auferetur. Sic enim ille scribit in priore expositione Psal. 28 super illud: Vox Domini intercedentis flammam ignis, Arbitror, inquit, quod ignis præparatos in supplicium diabolo & angelis eius, dissecatur voce Domini, vt quoniam duæ sunt in igne facultates, vstoria & illuminatoria, aeris quidem & punitoria vis ignis permaneat apud eos qui digni sunt vt vrantur. Illuminatoria verò ac splendida ipsius facultas, ad exhilarandos beatorũ gaudio fruentes cedat. Vox igitur Domini dissecantis ac diuidentis flammam ignis, vt supplicij quidem ignis obscurus sit lux verò requiei expers vrendi permaneat: Hæc ille. Quòd si autem in inferno aliquid luminis futurum sit quantum hoc conueniet pro augmento pœnę damnatorum

torum, dicuntur tamen tenebræ eius extremæ, quia maximè elongatæ à luce regni cœlorum. Fore enim ibi aliquid luminis testatur. D. Gregorius lib. 9. Moralium super illud Iob: Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat: Flamma, inquit, comburit, sed nequaquam tenebras discutit, quamuis illic ignis & ad consolationem non lucet, & tamen vt magis torqueat, ad aliquid lucet. Nam sequaces quoque suos secum in tormento reprobi flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt, quatenus qui eorum vita carnaliter cõtra præcepta cõditoris amauerunt, ipsorum quoque eos interitus in augmentum suæ damnationis affligat. Hæc ille. Ne autem in tenebras exteriores proiecti putarentur hoc solo pumẽdi, quod in loco tenebroso concludentur, quo atrocitatem pœnæ Dominus significaret quàm in tenebris sunt perpessuri, adiecit: Ibi erit fletus & stridor dentium. Qua sententia frequẽtet Dominus in Matthæo vsus scribitur. Nam præter hũc locum quinquies apud eum inuenitur, nimirum bis cap. 13. & cap 22. 24. 25. Semel etiam inuenitur apud Lucam cap. scilicet 13. Intelligitur autem varie. Haymo enim post Hieronymum per fletum & stridorem dentium intelligit duplicem inferni pœnam, videlicet ignis per fumum fletum causantis, & nimij frigoris causantis stridorem dentium. Et solet ab his pro duplicis huius infernalis pœnæ cõprobatione afferri illud Iob: Ad calorem nimium transeat ab aquis niuium. Circa quem locum in commentariis super Iob sic scribit Diuus Hieronymus: Quasi duas gehẽnas sanctus Iob dicere mihi videtur, ignis & frigoris per quas diabolus hæreticus & homo impius commutetur. Forte in ipsa gehenna talis sensuum cruciatus fiet his qui in ea torquebuntur, vt nunc quasi ignem ardentem sentiant, nunc nimium algoris incendium, & pœnalis commutatio, nunc frigus sentientibus, nũc calorem, sit, vt quasi de loco ad locum transire æstimentur. Et fortasse inde Dñs ait in Euangelio: Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium: vt hic stridor dentium de rigore frigoris oriatur. Hæc ille. Et ne fortè putetur hic commentarius non esse Hieronymi,

Ioan. 10.

An duplex pœna inferni

idem super Matthæi cap. 10. differēs de nomine Gehennæ, tandem ait: Duplicem autem esse gehennam nimij ignis & frigoris, in Iob plenissimè legimus. Ideo enim vult nomini, gehenna, addi aliquādo genitiuum ignis, quod & si gehenna frigoris. Verùm sicut Hieronymus hæc tantum dubitando dicit, ita certè ex loco illo Iob nihil statui potest de frigoribus infernalibus, de quibus nullæ aliæ scripturę proferri possunt. Primùm enim nō dicitur, quemadmodum multi locum illum citant. Ad calorem nimium transient ab aquis niuium, sed transeat, imprecationis modo. Deinde scriptura illa aliū sensum connū. ictiorem recipit. Nam D. Gregorius nō hic intelligit designari pœnas infernales, sed describi impiorum in omnibus immoderationem, qui à frigore infidelitatis transeūt frequenter ad calorē hæresis, nec in infidelitate, nec in fide modū seruare sciētes. Et intelligi posset hic sensus, impios transire à nimia frigiditate huius vitę ad calorem nimium infernalem. Sequitur enim, & vsque ad inferos peccatū illius. Postremum non solùm Septuaginta interpretes, sed & Hæbrea veritas longe aliter habet hunc locum. Nam ad verbū Hebręa sic habent: Arida & calor rapiunt aquas niuis infernus eos qui peccauerunt. Et est sensus: Sicut terra arida & calor solis absorbēt aquas nimis, sic infernus eos q̄ peccauerūt. Nec ex eo quod dicitur gehēna ignis, significatur & alia gehenna frigoris, frequētet enim nomē gehennę Saluator absolutè ponit: aliquādo verò Hebraica phrasi additur ignis, vt sit gehenna ignis, gehenna ignita, vt prius dictum est. Itaque alij in stridore dēntium intelligunt significari indignationem damnatorū tum contra Deum, tum contra seipsos, serò iam sibi irascētium quod tam pertinaci improbitate deliquerint. Verùm simplicius fuerit intelligere Dominum doctrinam suam auditorum carnalium captui attemperantem, per fletum & stridorem voluisse significare dolorē & horrorem summum. Dolorem quidem per fletum, horrorem verò per stridorem & concussionem dentium. Nihil quod simul etiam intelligendum est, vt annotat Hieronymus significari veram corporum resurrectionem. Nam fletus & stridor corporum sunt, quamuis ibi non erit

erit verus fletus qui in lachrymarum resolutione consistit poterit, tamen esse verus dentium stridor.

Et *dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti: fiat tibi, &c.*]Sic & aliis plerisque respondit Dominus, volens notare fidei vim & efficaciam apud Deum. Notādum autem Christum non præcepisse huic centurioni tantoperè à se laudato discedere à militia, sicut nec Petrus præcepit suo Centurioni, nec Ioannes militibus ipsum interrogantibus, quod sicut magistratu & legibus, ita & militibus opus sit ad pacem tuendam. Centuriones autem non solùm singulis Centuriis præerāt sed aliquando etiam pluribus, vt author est Vegetius libro 1. de re militari. Porrò quid in hoc miraculo allegoricè sit significatum, satis suprà est iudicatum. Moraliter verò per hunc Centurionem rectè intelligimus exprimi prælatum quemuis bonum, & fidelem principem, cuius si subditus quinis in anima langueat, ita vt morti etiam sit proximus, solicitus esse debet, vt si non per se, saltem per iustorum hominū preces, Christi gratiam imploret, qui conspecta ipsius fide, humilitate & charitate, mox subuenturus est periclitanti. Et aliter quoque per centurionem, quilibet homo exprimitur, cùm sit omnis hominis vita militia super terram, habeátque quisque sub se varias vires quibus imperat & militat. Cuius ergo seruus paralysi laborat, hoc est, corpus & carnalis appetitus ad omne malum propensus det, & ad omne bonum agendum languet, non cesset priusquam mortem incidat pro seruo suo esse solicitus, sed Iesum adeat saltem per sanctorum intercessiones. Adeat autem cum fide & humilitate, nec dubium quin à benigno Domino recepturus sit seruum sanum, & ad omnia agenda vtilem & commodum. *Moralis sensus.*

DOMINICA IIII. POST EPIPHANIAM.

EVANGELIVM.

IN illo tempore, Ascendente Iesu in nauiculā fecuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari Matt. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita vt nauicula operiretur fluctibus erat enim illis ventus contrarius. Ipse verò dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli eius & suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus, & dicit eis Iesus: Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens Iesus, imperauit ventis & mari; & facta est tranquillitas magna. Porrò homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei.

PRæcedenti dominica, quid Dominus post suum de monte descensum primò omnium egerit, didicimus qualiter potentiam suam, & bonitatē in cuiuscūmodis nostris, nullis non locis, nullis non temporibus manifestauerit, sanauit leprosum ruri, sanat seruū Centurionis in vrbe, & tota denique nocte sui copiam laborantibus, nō denegauit. Quibus deinde Ecclesiæ stupendum nobis subiungit prodigium in elemēto barbaro designatum, quatenus Christi potentiā disceremus in elementis alienis & rebus desperatissimis, quale nau-
Esa. 88. fragiū est, & surdi fluctus marini: Ipsumq; fore de quo propheta cecinit. Tu dominaris potestati maris, motū
Psal. 68. autem fluctuū eius tu mitigas. Ad quem in simili periculo laborās, exclamabat. Saluum me fac Deus quoniā intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam. Eripe me de limo profundi vt non infigar, neque demergas me profundum &c. Cōtinet autem presens historia duos observatu dignissimos locos, quorum alter declarat, nullum ordinem, conditionem, aut statum, à periculis tentatione, & cruce, donec in mundo sumus, immunem esse posse: Quinimò, filiis Dei, veréque Christianis, proximè tū imminere, quū minimè suspicantur. Alter, quid tentatis & afflictis facto sit opus ne succumbant, ostēdit, media quædam, quibus difficultates, & casos, quantumlibet duros, superare & perrūpere tuto possint, insinuans. Dum enim Christus timorem discipulorum fideique defectum incusat, quid aliud significare vult, quam ei, qui velit præsentia quæque superare pericula, non pertimescendum, sed certa fide è supernis efflagitatum auxilium expectandum. Fixa enim stat pro-
Psal. 90. missio: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum &c. Prope est Dominus his, qui tribulati sunt corde. Qui

descendunt

descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Dixit, & stetit spiritus procellæ, & exaltati sint fluctus eius. Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est: Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos &c. Ego vobiscum sum omnibus diebus. Non turbetur cor vestrum neque formidet. Noli timere Israel, quia vocaui te nomine tuo, meus es tu, cùm transieris per aquas, recum sum. Non ergo duo adsunt pericula, pertimescenda, sed priusquam tentationes ingruant, animos timore Dei, precationéque muniri debet, iuxta Sapientis consilium, Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Quia beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Porrò, quemadmodum hæc duo, timor, & in Christum fiducia, sola sunt, quibus tentationes & aduersa facile perrumpimus & superamus, ita quoque duobus contrariis, mundi turbines & procellæ nobis plus incrudescunt: Falsa, nimirum securitas, & imbecillis fides, quorum primum mundi cultores, alterum etiam pios dinexare solet, quemadmodum hic in discipulis Christi cernimus.

Psal. 33. *Psal. 106.* *Matt. 28.* *Isaia 14.* *Isaia 43.* *Eccl. 2.* *Psal. 146.*

Ascendente Iesu in nauiculam sequuti sunt eum discipuli eius.] Discipulos sequutos Christum dicit, ad distinctionem turbæ quàm Christus reliquerat, Vesperi, & maximè cum Matthæo, duplex hic oritur difficultas ad concordiam pertinens Euangelistarum. Marcus enim transfretationem hanc videtur significare factam in vespera eius diei, qua Christus è monte locutus est eas parabolas quæ habentur Matthæi 13. Nam cum eas parabolas etiam Marcus commemorasset cap. 4. postea subiungit: Et ait illis in illo die cùm sero esset factum: Transeamus contra. Eam tamē transfretationem non eadem illa die contigisse est manifestissimum, non

quidem

quidem ex eo quòd Matthæus longè ante eas parabolas describat hanc transfretationem (nam intelligi posset per præoccupationem hæc Matthæum scripsisse) sed primum ex eo quod ex Matthæo satis constet ea die qua eas parabolas è nauí Dominus fuit locutus, non illum transfretasse. Nam dimissis turbis dicit eum venisse in domum, ac tunc discipulos interrogasse intellectum parabolæ zizaniorum. Deinde ex eodem Matthæo satis constat ante suam vocationē contigisse hanc transfretationem: parabolas autem illas Dominum è naui dixisse, non solùm post Matthæi vocationem, sed etiam [illegible]st duodecim Apostolorum constitutionem etiam ex Marco euidens est. Dicit enim Marcus, eos qui cum Domino erāt duodecim, interrogasse eum cùm esset singularis, quæ esset parabola seminantis. Postremò non eadem die contigisse transfretationem qua parabolas illas è naui Dominus dixerat, ex Luca etiam satis patet. Is enim cùm etiam cap 8 parabolas illas commemorasset, subiecit & factum est autem in vna dierum, & ipse ascendit in nauiculam, &c. Si verò eadem die quæ superiora gesta fuissent quæ sequuntur, certè dicturus fuerat: Factum est in hac die: non autem, factum est in vna dierum: quomodo videri potest locutus Lucas studio, vt insinuaretur quomodo Marcus post quem ille scripsit, esset intelligendus. Itaque cum dicit Marcus factum est in illa die, cùm sero esset factum: intelligendum est diem positum esse pro tempore, vt sit sensus: factum est in illo tempore, quo scilicet Christus prædicabat in Galilæa. Aut sensus est: Factum est in tali aliqua die, qua scilicet è naui Christus docuerat turbas. Altera difficultas est, quòd Matthæus significet Christum præcepisse discipulis suis transfretari antequam esset in naui. Lucas verò & magis adhuc Marcus significat id præcepisse illis cùm iam esset in naui. Lucas enim sic habet: Ipse ascēdit in nauiculā, & discipuli eius. Et ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Quod verò sequitur: & ascenderunt: non sic accipiendum, vt sit sensus, & ascenderunt nauim, cùm prius dixerūt eos ascēdisse. Et Græcè est ἀνήχθησαν, quod est, soluerunt à littore, aut potius subducti sunt, videlicet in altum à littore soluentes. Vnde illud,

de illud, & ascenderunt, accipiendum, & ascenderunt in profundum maris. Marcus verò sic habet: Et ait illis in illa die cùm serò esset factum: Transfretemus contra. Et dimittentes turbam assumunt eum ita vt erat in naui, &c. Ex quibus satis constat, Christum cùm in naui esset præcepisse discipulis vt trāsfretarent. Proinde quò constet omnium Euangelistarum narratio, sic se videtur habere res gesta. Primò Christus in terra aut ciuitate aliqua existens, iussit discipulos parare nauim ad transnauigandum, ex quo loco cùm proficisceretur ad mare, in via accesserunt ij de quibus prius dictum est, Dominum sequi volentes. Deinde cum nauim cum suis discipulis conscendisset, atque è naui turbam quæ sequebatur quædam docuisset, vesperā imminente iam rursum suis vt transfretarent præcepit, ac tunc, vt habet Marcus discipuli dimittentes turbā, hoc est, separantes se à turba, soluendo scilicet à littore, assumpserunt eum, in altū scilicet & profundum maris, sic vt erat in naui docens populum. Non enim illud, in naui, coniungendum est cum verbo assumpserunt, quasi prius non fuisset in naui. Nam sic dicendum fuisset, in nauim: sed significare voluit Euangelista discipulos iussos transfretare, Christum, ita vt sederat in naui docens populum, antequam situm illum mutaret quem postea mutauit assumpsisse in altum, significans hoc modo promptam ac celerem executionem discipulorum, & neglectum molliciei, aut curæ suiipsius in Christo. Quod autem sequitur: & aliæ naues erant cum illo, vel cum illa, (nā apud Græcos retinuum [illegible] id est, naui) Caietanus intelligit naues illas fuisse cum naui in qua erat Christus, cùm iam discipuli Dominum in mare assumerēt, verùm eas ibi derelictas, nec simul cum naui illa profectas. Verùm rectius secundum alios intelligitur & has simul cum Christo pro sectas, imò & idem periculum passas. Nam Matthæus postea dicit homines miratos dixisse: Qualis est hic? Non dixisset autem homines, si soli discipuli hoc miraculum vidissent & admirati fuissent, & non etiam turbæ, quas per homines cum significasse intelligit Chrysostomus. Illos ergo homines significat, qui in illis erant nauibus

bus quas cum naui Christi dicit fuisse Matcus.

Et ecce motus magnus factus est in mari.] Obdormiuit Dominus, partim quidem vt ostenderet naturæ humanæ susceptæ veritatem, dum corpus diurnis fessum laboribus vespertino tempore somno reficit, partim vero & potissimum, vt exorta tempestate, ipso dormiente, maior esset timoris & inuocandi opem eius occasio. Si enim ipso vigilante tempestas hæc obortа fuisset, aut non timuissent discipuli, aut etedidissent illo inuito eam contigisse. Dispensatorie autem per immissam tempestatem discipuli in hunc timorem permissi sunt incide, per quem ad inuocandam Domini opem coacti sunt confugere, tum vt imperfectionem fidei suæ agnoscerent, tum vt à magno illo timore Domini potentia subitò ac mirabiliter liberati, maiorem de eo fidem & existimationem conciperent. Itaque voluit Dominus & ipsos discipulos sibiipsis, & se illis magis innotescere. Quod verò ad mysticum attinet sensum, hæc tempestas typus quidem erat tentationum futurarum, ad quas suos discipulos athletas orbis futuros exercere sibi Dominus voluit. Futurum enim erat, vt cum discipuli CHRISTVM in mari huius mundi essent transuecturi, (quod fecerunt cùm prouehebant sermonem euangelicum) multi grauésque tumultus excitarentur contra eos. Aduersus quos tumultus, hac tempestate suos Dominus confirmabat, docens nullam tempestatem aut oppugnationem quantumuis atrocem, metuendam illis qui toto pectore fiduciam haberent in ipsum: similique ostendens omnes eos qui se consecrarent illi, non fore ab omni tentatione & periculo liberos, quin potius pericula illos manere quãdiu in pelago huius mundi cum ipso in naui, quæ Ecclesia, nauigant, & necdum in littus regni cœlorum peruenerũt. Operæpretium est autẽ hic videre quo pacto Deus suos soleat tẽtare aut tẽtari, permittere. Nam tẽtationis, quæ hic sanctos manet, natura hoc loco graphicè est depicta. Tempestatem enim immisit sæuam, neque hoc cõtentus operiri, etiã fluctibus nauim ac impleri aqua fiuit, ad hæc summè periclitantes visus est prorsus negligere. Illis enim iam extrema expectantibus, securus ipse dormit stratus in pup-

in puppi. Sic Sanè probantur sancti, vt non solum suprà quàm videantur sibi ferre posse affligantur, (nam Paulus Corinthiis scribens: Nolo, inquit, vos ignorare fratres, quoniam grauati sumus supra virtutem) sed simul ita se Deus erga illos exhibet, etiam cùm actũ de eis iam videtur, vt nullam eorum rationem habere existimetur. At non finit tamen spiritus sanctos despondere animum, vtcunque omnia videantur deplorata. Sicut enim hic discipuli, etsi nihil certius morte expectarent, nequaquam tamen omnem spem prorsus abiecerunt, sed Dominum excitarunt, implorauerũntq; opem, quo facto, mox tempestas mirabiliter sedata est: ita & omnibus sanctis vsuenit, nobisque sic faciendum est, vt quoties periclitamur, & Christus nobis dormire videtur, vellicemus eum piis precibus, ac expergefaciamus eum assidua interpellatione, & ilico tempestas vertetur in tranquillitatem. Contingit autem nos periclitari, Christumque nobis dormire, siue cum prauis carnis cõcupiscentiis aut diaboli suggestionibus ad peccatum pellicimur, Christo per fidem in cordibus nostris habitante, non statim eas suggestiones expellente, sed sinente aliquandiu nos illis oppugnari; siue cum externis malis ita affligimur, vt nulla salutis spes videatur, nec diuini adiutorij consolatio sentiatur. Cæterum vt hic discipuli tentari sunt ad hoc vt & seipsos & Dominum melius agnoscerent, ita in hoc sancti tentantur & tentari permittuntur à Deo, vt Deus & ipsemet sibi melius innotescerent, vt & de seipsis sentiant modestius, & de Dei erga se declarata bonitate augustius.

Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis modicæ fidei?] Increpauit Dominus & discipulos suos & ipsam maris tẽpestatem, sed incertum ex Euangelistis vtra increpatio fuerit prior, nisi quod ex Matthæo magis apparet, atque ex ipsis verbis saluatoris, priorem fuisse discipulorum increpationem, quamquam eam Marcus & Lucas posteriori loco ponãt. Matthæus enim magis ordinem videtur obseruasse, dum dicit Tunc surgens, & illud: quid timidi estis; significat discipulos adhuc timore periculi præsentis correptos. Et prius certè cõueniebat vt tolleret animi eorum turbationem quàm turbationem ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis,quòd fidei imperfectio obesse posset faciendo miraculo Semper enim ferè fidem Dominus antequam miraculum operetur exigit.Sic & in consolatione sanctorum,in tentationibus ipsorum,prius Dominus animos eorum suo afflatu & inspiratione erigit,deinde à malis si expedit liberat.Increpat autem Dominus discipulos, non quòd illum excitauerunt , opémque eius implorauerunt,id enim erat fidei,atque fiduciæ cuiusdam argumentum:sed quòd tam anxiè trepidarunt, consternatique penitus,ceu actum de eis fuisset,clamauerunt: Diffidentiæ enim erat quod dixerunt,perimus:animam consternatione quadam indicabat,quod cum geminatione clamauerunt:Præceptor,præceptor , vt est apud Lucam Græcis. Vnde dicit,quid timidi estis? & additur in Græcis apud Marcum οὕτως, hoc est, sic vel adeo , vt intelligatur non simpliciter redarguisse omnem illorum timorem, (cum fieri facilè non posset quin in tali rerum statu naturalis aliquis timor animum hominis, etiam in fide perfecti, inuadat) sed timorem illum magnum quo consternati erant.Hic enim erat argumentum infirmitatis fidei eorum,nempe quod non crederent eum Deum esse,qui etiamsi dormiret,curam illorum haberet,aut quod non satis confiderent se per illum ab omnibus periculis & malis fore liberos : quemadmodum tamen iam confidere debuissent propter illius promissiones,& conspectam in edendis miraculis potentiam. Dico autem quod non crederent,&c.aut quod non cõfiderent.Fides enim hoc loco dupliciter accipi potest Nam à quibusdam accipitur pro credulitate vt ideo intelligatur accusasse Dominus discipulos imperfectionis fidei , quia non crediderunt eum Deum esse , qui etiam dormiens posset eos à periculo liberare.Ab aliis verò communiter hic & in similibus locis accipitur pro fiducia, vt intelligantur discipuli ideo vocati ὀλιγόπιστοι, hoc est parum fidentes & modicæ fidei , quia non satis confidebant se esse tutos Christo dormiente, nec habuerunt perfectam illam in Dominum fiduciam quàm debuissent.Porrò cum fidem habuerint etsi imperfectam,illud Marci:Nec dum habetis fidem ,sic debet intelligi:Necdum habetis fidē illam perfectam in me,quàm iam meritò de me cõcepisse debuisseris

buisseris.Sic & illud Lucæ: Vbi est fides vestra? perfecta scilicet illa quam toties inculcaui,quámq, præ vobis tuli stis,omnibus relictis me sequentes. Id enim rectè accipitur significare articulus apud Græcos appositus , τὴν πίστιν ὑμῶν,vbi est illa fides vestra? Vnde Augustinus in 2. de consensu Euangelistarum cap.42. exponendo illud:Necdum habetis fidem:id est,inquit illam perfectam velut granum sinapis.

Tunc surgens Iesus imperauit ventis & mari,& facta est tranquillitas magna.] Pro eo quod in Luca est,increpauit, in Marco comminatus est in Matthæo imperauit,Græcis vnum idémque verbum est de quo prius est dictum nempe ἐπιτιμᾶν,quod cum propriè significet increpare,hic tamen alibiq; multis scripturæ locis accipitur pro præcipere veluti cũ comminatione & ira.Vnde Marcus declarãs quomodo increpauerit mare, dicit Dominum dixisse:Tace & obmutesce,quæ verba præcipientis potius sunt quàm increpantis.Et Lucas postea dicit,discipulos admiratos dixisse,vtis & mare imperat: vbi Græcis nõ est verbum ἐπιτιμᾶν sed ἐπιτάσσει, hoc est propriè imperat & præcipit. Creaturis autem his Dominus imperauit,non quod sensibiles essent, quemadmodum quidam hæreticorum crediderunt omnia esse quædam animantia , sed ad ostendendum vocem suam etiam esse efficacem in has creaturas , easque se suæ voluntati & imperio habere subiectas , quod solius est creatoris & Dei, Bene Hieronymus super hoc loco : Et ex hoc , inquit , loco intelligimus quod omnes creaturæ sentiant creatorem.Quas enim increpauit, & quibus imperauit, sentiunt imperãtem,non errore hæreticorum, qui omnia putant animãtia,sed maiestate conditoris, quæ apud nos sunt insensibilia , illi sunt sensibilia. Sentire autem creatorem has creaturas dicit,quod vox eius in eas esset efficax. Porrò quod Dominus non solùm dicit : Tace, sed addit etiam,obmutesce,augmentum illud etiam certitudinem indicat, veluti dicas : Mox obmutesce.Et mox quidem cessauit ventus,nec solùm facta est tranquillitas , sed magna etiam tranquillitas. Vbi duo notanda occurrunt.Et primum , quod omnis consestim tempestas soluta est , & ne vestigium quidem turbationis re-

manserit,cùm naturale sit vt fluctibus & tẽpestate cessantibus,vsque ad multum tempus aquę concutiantur. Secundò, quod cùm prius dictum sit facta est procella magna venti:nunc dicitur,facta est tranquillitas magna. Nam pro modo afflictionis solet esse & consolationis modus,vt est Psal.93.& 2.Cor.1.Dauid enim sic habet: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Paulus verò sic:Sicut abundant passiones Christi in nobis,ita & per Christum abundat consolatio nostra. Hic autem iam impiorum est in Christo quod de Deo prius dixerat Psalmista Psal. 106. Qui descendunt mare in nauibus,facientes operationem in aquis multis,Ipsi viderunt opera Domini & mirabilia eius in profundo. Dixit & stetit spiritus procellæ, exaltati sunt fluctus eius.& reliqua quæ sequuntur.

Pſal.93.
2. Cor. 1.
Pſal.106

Porrò homines mirati sunt dicẽtes:Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei.]Marcus & Lucas discipulos timuisse & admiratos dicunt. Nam postquam dixisset Lucas Dominum discipulis dixisse:Vbi est fides vestra: subiicit.Qui timentes mirati sunt adinuicem dicentes.Matthęus verò homines miratos dicit inteliges per homines secundum Chrysostomũ,Hieronymum, & Hilariũ turbas Nam vt dictum est,præter discipulos etiam alij aderant in aliis nauibus,quamuis rectè accipiatur Matthęus per homines discipulos simul cum reliquis cõprehendisse.Neque enim discipuli perfectam adhuc de Christo habebant fidem & existimationem. Videbant enim eum vti nauigio ad transfretationem,ac dormire quæ verum hominem arguebãt: videbunt rursum cum potestate imperantem his rebus quæ nulli cedunt cæteris obsequentes habere, vnde plusquam hominẽ esse colligebant, proinde & magno timore continebantur,metuentes scilicet ne quem pro homine coluerunt, non satis dignè de eo sentirent,nec satis dignè venerarẽtur,& admirantes dixerũt:Qualis est hic:quasi dicat oportet esse longè alium longęq; maiorem esse quã eũ hactenus habuimus,quia non solum morbis & dæmonibus,sed etiam vẽtis & mari, rebus scilicet quibus nemo efficaciter imperare valet,quarumque vim nemo cohibere

cohibere potest,imperat,& ad solũ eius imperiũ obediunt,oblitæ suæ naturæ.Et meritò sanè hoc miraculũ in maiorẽ eos extulit timorẽ simul & admirationẽ quẽ præcedentia.Primùm,quia nullus vnquam tale quid operatus fuerat.Neque enim virgam extendit,sicut Moyses:neque se aquis admouit, aut preces ad Deum fudit vt alij,sed eum potestate imperabat,sicut Dominus seruis,& creator creaturis. Deinde quia in scripturis pro voluntate commouere & rursum compescere mare, Deum quasi proprium & summæ potestatis eius declarationum tribuitur,& à Deo sibi vsurpatur.Nam Esaiæ 51. Ego,inquit,sum Dominus Deus tuus,qui cõturbo mare,& intumescunt fluctus eius.Et Psal.64.Qui conturbas profundum maris,sonum fluctuum eius:vel vt habent Hebræa, qui compescis fremitũ maris,& fremitũ fluctuum eius.Hic autem animaduertendum,quis fuerit fructus miraculorũ Christi Per eam enim ad potentiæ eius admirationẽ promouẽtur hominẽs,vt videant quàm tutò se illi committant qui omnium habet potentiam, quantóque timore & reuerentia, vt Deum ipsum, suscipere & adorare debeant. Porrò vt quemadmodum prius dictum est, quod attinet ad mysticum sensum,huius tempestatis immissio & sedatio, typus quidam erat tentationum,quæ discipulis Christũ prædicaturis euenturæ erãt,imo & earum quæ singulis iustis accidunt in hac vita:ita & earũ quæ Ecclesiæ Christianæ quouis tempore obuenturæ erant. Hęc enim nauis est,in qua vehitur in huius mundi pelago cũ illa suis Christus,quæ olim hæresibus ac persecutionibus agitata nonnunquam etiam vsque ad desperationẽ nũc certè rursum misere fluctuat,hinc concussa Turcarum impugnatione, hinc hæresum diuersarum inquietata ventis,hinc Christianorum inter sese belligerãtium dissidiis.Atque in hac misera fluctuatione dormit Christus,non solum quia oblitus videtur suæ Ecclesiæ,sed in puppi,vbi rector nauis vigilare debet,dormit super cerucal,quia in episcopis & pastoribus,aliisque populi sui rectoribus,quib. cõmissa est nauis huius gubernatio,dormit,,dũ voluptatibus dediti, cõmissi sibi gregis curã non gerunt:neque cõmuni Ecclesiæ pe-

Iſaiæ 51
Pſal. 64.
Myſtice
ſenſus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

riculo adeo commouentur, vt experrecti cogitent quæ sint officij eorum. Proinde cùm istud fieri videmus, nostrum fuerit pijs precibus inclamare Christum, nec cessandum si non statim audit inclamatus, sed si mulandus, vellicandus, donec expergefiat, vt dicamus cũ psal-
Psal. 43. mista: Exurge, quare obdormis Domine: exurge, & ne repelles in finem. Quare faciẽ tuam auertis, obliuisceris in inopiæ nostræ & tribulationis nostræ? Exurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum. Nec dubium quin si nostro non defuerimus officio naui Christi quę periclitari potest, mergi non possit, mox restitueretur tranquillitas magna, Christo nostris precibus excitato, & solo suo iussu motus omnes compescente.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

EVANGELIVM.

Matt. 20

IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane cõducere operarios in vineam suam. Conuẽtione autem factâ cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: Ite & vos in vineã meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierũt. Iterum autẽ exiit circa sextam & nonam horam, & fecit similiter. Circa vndecimam verò exiit & inuenit alios stantes, & dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos cõduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineã meam. Cum sero autem factũ esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios & redde illis mercedem, incipiẽs a nouissimis vsque ad primos. Cum ergo venissent, qui circa vndecimam horã venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autẽ primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi, acceperũt autem & ipsi singulos denarios, & accipientes murmurabant aduersus patrẽ familias, dicẽtes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus. At ille respondens vni eorũ dixit: Amice, nõ facio tibi iniuriã: Nonne ex denario diurno conuenisti mecum? Tolle ergo quod tuum est, & vade. Volo autem

tem & huic nouissimo dare, sicut & tibi. An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequã est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt vocati pauci vero electi.

ANte, quàm Euangelij interpretationem aggrediar duo mihi visa sunt necessariò præmittenda, quorum alterũ de Catholicis huius diei cæremoniis instituetur, ex quo deinde alterum derivabitur, qua mẽ de causa hic textus hodie charitatibus vestris qui expo nendus. Quod autem præter Euangelij declarationem subinde Catholicarũ traditionum mẽtionem fecimus, partim sectariorum calumniæ, partim simpliciũ ac rudium imperitia extorquet. Illi enim Ecclesiam matrem flagellare nõ desinunt, eo nomine, quasi neglecto Christo solas cæremonias nimis superstitiosè obtrudebat. Cũ cõtrà nihil hęc aliud moliatur, quã vt filij sui Christũ, luculentissimè cognoscat. Inde est quod annum in certa tempora discretum partibus singulis certas portiones doctrinæ Christi tribuit. Ad hæc, quoniam imperiti ex iis rebus proficere nequeunt, quas nõ intelligũt, necessitas exigit, vt quo respectu singula sint instituta, demõstretur. Quo simul & aduersariorum calumnias refutemur, & in Christi cognitione proficere cupientibus documenta necessaria subministremus. Quæ hucusque sunt tradita, ad personam Christi pertinent, conuincũt enim filium Mariæ virginis Iesum, verum esse Christũ, hoc est, verum Deum & hominem: Et hęc prima est Euangelicæ doctrinæ partitio, qua sufficienter tradita, declarátque, ad officia ipsius tranſeundum est, nam ex vsu quilibet res quales sint, melius simplices, quàm ex ex definitione conspiciunt. Officia verò Christi, & causa finalis, cur in hãc lachrymarum vallẽ sit missus, alia nulla sunt, quàm hominem suapte culpa perditum, ab imperio satanæ, à peccatis, morte, & perditione redemptum, cœlestique luce illustratũ, reduceret, non modò vnde extrusus erat in istud exilium, verum etiã vt cœlorum gaudia possideret. Suscepit itaque in se cunctas quas debebamus pœnas, nostraq; flagitia innoxio suo sanguine eluit, mortẽque sua, nobis immortalitatem

promeruit. Quæso, an non res tanta prolixiorem in anno tractatum meretur? Ab hac ergo dominica ad diē vsque paschatis, pergit Ecclesia Christi passionem recolere, non nude & simpliciter, vt alias fidei nostræ doctrinas, sed maximo serio, omnem mouens lapidem vt acerbum Domini supplicium, vnicum restitutionis nostræ medium, ita omnibus inculcetur, innotescat, & infigatur, vt fructum longè maximum inde reportent. Quo fit, vt, priusquam preciosissimam domini mortem, commeritis laudum præconiis, & quo dignum est cultu festiuo prosequitur (id quod fit à sacra passionis dominicæ) omnem retroacti seculi conditionem repetat, miserabilem humani generis casum ad memoriam reuocando, calamitates, mortem & damnationem nobis ob oculos ponat. Nisi enim quis morbum suum prius, & destitutionem agnoscat, quo modo remedij æstimationem considerabit, aut de medico magnificè sentiet? Porrò, septem hebdomades, quæ nos passionis tempus antecedunt, septem ætates mundi designant, singulæ singulas, vt suo loco indicabimus: Et communi nomine septuagesima totum id tempus, tracto nomine à captiuitate Babylonica, dicitur, in qua septuaginta annis populus Dei exultauit; vt vel ipso nomine admoniti, humani generis captiuitatem, & quantis in ea calamitatū iliadis oppressum fuerit, agnoscere-
remus. Prima ætas ab homini lapsu ad diluuium vsque perdurauit, miserabilis planè, & omni salutis auxilio destituta, eóque infelicior, quo fuerat præstantioribus ornamentis illustris quæ ob futilem ambitionis opinionem dilapidauit. Vt merito canat Ecclesia in sa-
Psal.17. cra Synaxi lugubre, & lamentabile carmen: Circumdederūt me gemitus mortis &c Siletur autem eadem causa, tam hic, quam in omnibus horis alleluia, vt toto septuagesimæ tempore, vna cum reliquis lætitiæ canticis: Eodem etiam pullæ vestes, in sacro altaris ministerio pertinēt. Si enim filij Israel exules in Chaldea ob corporalem captiuitatem organa sua suspenderunt in salicibus, respondentes interpellatoribus suis. Quo-
Psal. 86 modo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Quanto magis nos spiritualem captiuitatem recolen-

tes & procul à cœlesti patria exules, à lætioribus rēperamus amatis pœnitentiæ salicibus nos substernentes pro Alleluia, Tractum De profundis lugubriter lamentamur. Non caruit tamen interea Protoplastus Adam consolatione aliqua, qua respiraret, promissione nimirum, benedicti seminis, per quod satanæ caput & vires confringēdæ forent. Quod quidem significare volens Ecclesia, Epistolam pariter & Euangelium delegit in quibus permixtum & diuinæ consolationes, & labores nostri communicentur, quemadmodum ex ipsa Euāgelij enarratione latius percepturi estis.

Simile est regnum cœlorū homini patrifamilias qui exiit, &c.] Parabolam hanc, quod ad literam attinet, satis claram vice explicationis subiectam esse illi propositioni (quam in præcedentibus cum Matthæo, etiam Marcus posuit.) Multi autem erunt primi, &c. certissimum est, quemadmodum patet tum ex eo quòd Græca habent coniunctionem causalem, γὰρ. vt sit: Simile est enim regnum cœlorum: quomodo & repert in duobus codicibus Latinis descriptis manu: tum quòd in fine parabolæ repetendo sententiam, cui explicandæ seruit parabola, dicitur: Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Habita est autem hæc sententia & suprà apud Lucam capite decimotertio, in capite Cō cordiæ 90. vbi certum est quid ea Dominus significare voluerit nempè gentes in regno cœlorum præferēdas Iudæis, eósque qui hic nouissimi sunt habiti, & ab hominibus despecti, in nouissimo die fore primos: & contràqui nunc primi habentur, tunc fore nouissimos. Dixit enim illud tum Dominus occasione eius quod dixerat gentes in regno Dei coniungendas patriarchis filios autem regni expellendos foras. In hoc sensu intellecta etiam hoc loco eadem sententia optimè cohæret præcedentibus, Apostolis enim se sequentibus eximia quædam promiserat Dominus, & omnibus qui propter ipsum sua reliquerunt, & persecutiones patentur. Itaque ne tales quoniam in mundo despiciuntur animum despondeant, dicit multos qui primi hic videntur, ibi fore postremos: & contrà qui nunc humiles,

miles,nihilque videntur hominibus, ibi fore primos, significans scribis & Pharisæis præferendos meretrices & Publicanos credentes: Iudæis Ethnicos, diuitibus & honoratis, pauperes & abiectos. Verùm huic intelligentiæ non videtur conuenire ipsa parabola, quæ significare videtur nouissimos æquandos primis,& primos nouissimis in nouissima retributione. Vnde sunt qui quod dominus post parabolá pro eius applicatione subiicit:Sic erunt nouissimi primi,& primi nouissimi:sic intelligunt, Nouissimi erunt tanquam primi & primi erunt tanquam nouissimi,hoc est, nulla erit inter primos & nouissimos ratione prioritatis & posterioritatis differẽtia,sed omnes eãdem accipiẽt mercedem,fœlicitatem scilicet æternam. In quo sensu si accipiatur ea sententia quæ parabolam præcedit: Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi, (certum enim videtur eodem modo hanc accipiendam quo eam quæ ponitur post parabolam,cum ea sit repetitio eius quæ parabolam præcedit)iam dicendum eam sententiam ideo subiunctam esse illis quæ apud Matthæũ & Marcum præcedunt,vt ne quid post Apostolos in posterioribus temporibus vacandi esset, aut qui in vltimis vitæ suę diebus ad finem venissent,desperatos se posse assequi ea quæ Dominus tum Apostolis promiserat: aut ne Apostoli ipsi putarent se patriarchis & prophetis fore inferiores. Cæterum in eo sensu quo quidam intelligunt post parabolam,illud:Sic erunt nouissimi primi,&cæt.non facilè reperiatur aliquis qui intellexerit illud quod est ante parabolam, Multi autem erunt primi nouissimi,&cæt. cùm non satis id patiatur loquendi modus. Non enim dicuntur omnes primi fore nouissimi, sed multi primi, cum secundum eum sensum quem ex parabola quidam intelligunt in sententia quæ parabolam sequitur, dicendum fuerat: omnes autem primi erunt nouissimi,& omnes nouissimi primi. Deinde quo minus in eo sensu accipiatur sententia hæc ante parabolam posita, & proinde etiam illa quæ sequitur parabolam obstat similis locus Lucæ,cum omninò verisimile sit hanc sentẽtiam accipiẽdam esse hoc loco, quomodo apud Lucam. Præterea illi in-

telligentiæ quàm quidam intelligunt in illo: Sic erunt nouissimi primi:non cõuenit quod pro declaratione & probatione subiicitur: Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Quid enim hic causalis propositio facit ad probandum illud, Sic erunt nouissimi primi, si sensus est: Sic erunt nouissimi pares primis, & primi pares nouissimis? Nam quod Caietanus existimat, mirabilem illam dispositionem Dei inter electos nouissimos & primos comprobari & declarari ex alia mirabili dispositione Dei inter electos & vocatos, vt quomodo per gratiam Dei fit vt inter multos vocatos quidam sint electi præ aliis; ita per eandem significetur fieri vt electi nouissimi pares fiant primis,nimis videtur coactum:sed omnino ex reddita illa ratione datur intelligi,quod hi qui ex primis dicuntur futuri nouissimi sint de numero vocatorum,sed non electorum, quódque ideo multi primi futuri sint nouissimi, quia multi vocati,pauci verò electi. Sed huic sensui, vt dictum est,videtur obstare parabola,quòd hęc de talibus loquatur primis factis nouissimis, qui eandem tamen cum nouissimis factis primis cõsecuti sunt mercedem. Vnde per primos qui facti sunt nouissimi, non videntur intelligi posse in parabola hi, qui eum in hoc mũdo primi viderentur & haberentur,deprehendentur in nouissimo die esse vltimi, excluſi scilicet à sanctorum gloria. Omnes enim patres intelligunt in parabola significari DEVM in variis tum mundi,tum vitæ humanæ ætatibus electos suos vocare: in nouissimo tamen die eos qui circa finem mundi,aut circa finem vitæ suę vocati sunt ad vineam, idem præmium accepturos cũ his qui à mundi exordio, aut à pueritia sua vocati sunt, & bonis operibus vacauerunt. Proinde Diuus Chrysostomus sentiens illud quod post parabolam dicitur:Sic erunt nouissimi primi,&c. non posse non habere alium sensum,quàm habet ante parabolam,& quã habet similis sententia apud Lucam,propter illud quod sequitur:Multi enim sunt vocati,&cæt.& tamen illi intelligentiæ non conuenire parabolam, dicit illud:Sic erunt nouissimi primi non esse applicationem parabolæ,nec ex parabola concluſum esse, sed hoc significa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum , quod quemadmodum nunc contigit vt præter spem & contra opinionem omnium æquales omnes mercedem acciperent: sic maius illud atque mirabilius, vt primi vltimi fiant,& vltimi primi, euenturum. Aliud igitur hoc est,aliud illud.Verum non aliud Dominum voluisse significare per parabolam, quam illud quod post eam subiecit:Sic erunt primi nouissimi: patet satis ex eo quod post illud: Multi autem erũt primi nouissimi:Dominus per coniunctionem causalem parabolam subiecit,dicens,Simile est regnum cœlorum: vnde cum post parabolam etiam repetat quod præmisit,dubium esse nõ potest parabolam producta ad declarandum id quod concludendo infertur:Sic erũt nouissimi primi,& primi nouissimi. Ergo cum ex præcedentibus sit manifestum quis sit illius sententiæ quæ & ante parabolam ponitur,& post parabolam repetitur, sensus,nempè is qui in eadem sententia est apud Lucam & rursum sit manifestum parabolam hanc assumptam à Domino ad sententiæ illius declarationem , certum est alium esse scopum à Domino per parabolam primò & principaliter intentum,quam eum qui communiter in illa à Domino intentus intelligitur. Scopus itaque à Domino in parabolę propositione præcipuè intẽtus videtur is esse,vt ex ea de qua agitur in parabola,benignitate patrisfamilias,qua hi qui in vineã laboraturi venerãt nouissimi,sic facti sunt primi,vt & priùs quam alij mercedem reciperent , & maiorem quàm vel ipsi vel alij existimauerunt:qui verò primi venerãt, sic facti sunt sine omni iniustitia nouissimi , vt & postremò loco mercedem suam reciperent , & minorem acciperent quàm sperauerunt, intelligamus etiam in nouissimo die,cùm finis erit huius diei in quo operati licet in vinea Domini,ex Dei benignitate futurum , vt qui hic reputati sunt nouissimi,tunc præferãtur his qui hic habiti sunt primi in vinea Dei laboratores,vtiq; cõtra sine omni iniustitia & iusta quærimonia qui hic primas tenere visi sunt,tunc postremas teneant,hoc est,vt apostoli & abiecti homines Scribis & Pharisęis præferantur,& gentiles Iudæis, qui & primò vocati fuerunt à Domino,vt primas partes in vinea Dei & regno cœlorum

lorum sibi vendicauerunt. Hunc autem parabolæ scopum animo retinentes,quicquid eorũ quæ in parabola ponuntur aliquid facit ad id quod per parabolam intenditur,diligenter est notandum:reliqua verò prætereunda sunt,velut quæ tantum propter exempli,vnde sumitur parabola , commodam narrationem sunt posita. In parabolis enim (inquit Diuus Chrysostomus & alibi & hoc loco)nõ oportet nimia in singulis verbis cura perangi. Sed cum quid per parabolam intendat didicerimus, inde vtilitate collecta, nihil viterius anxio est conatu inuestigandum. Hæc ille. Porrò parabola satis est manifesta, quod ad literam attinet, vt non sit opus circa eam annotare nisi pauca quædam,quorum illud vnum est,quod ea locutio:Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias:sic est intelligenda , quomodo de similibus superius aliquoties est dictum:vt sit,scilicet sensus : Simile quid accidet in regno cœlorũ,quale est quod fecit quidam paterfamilias,&c. Itaque non est dicendum regnum cœlorum hic assumpi pro Christo, aut gratia Euangelica, vt vult Lyra , sed pro eo quod propriè significat , nempe pro regno illo Christi , quo partim in terris regnat per fidem,& partim in cœlis per gloriam , hoc est pro Ecclesia partim in terris militãte, & partim in cœlis triumphante. Vtrumque enim statum oportet nomine regni cœlorum hic comprehẽdi, quia operari pertinet ad statum præsentem,merces autem ad futurum Pro intellectu autem horarum quibus dicitur paterfamilias vocasse operarios, & misisse in vineam,sciendum quod apud Iudæos horarum initium cœpit ab exortu solis,vt prima hora fuerit quæ ab ortu solis prima fuerit: vndecima,quæ occasum solis proximè præcessit. Deinde quemadmodum nox diuidebatur apud eos in quatuor partes, quæ vigiliæ vel custodiæ dicebantur : ita & dies in quatuor æquales partes diuidebatur. Hinc est quod paterfamilias fingitur mane hora tertia, hora sexta & nona , tanquam præcipuis & æqualibus diei partibus , vocasse operarios. *Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno , &c.* Denarius , nummisma Romanum drachmam valebat Atticam decimam scilicet partem coronati,hoc est,tres

Regnum cœlorum.

Horæ Iudæorum.

solidos

Universidad de Deusto
Biblioteca

solidos & semissem, vel, vt nos loquimur, tres stateros cum medio, quantum & hodie ferè diurnæ operæ merces esse solet. Itaque denarius diurnus dictus est, denarius qui pro diurno labore penderetur: sicut annuum stipẽdium, quod pro annua seruitute datur. Græcè autem clarius est, ὁ δηνάριον τὴν ἡμέραν. Vbi in accusatiuo τὴν ἡμέραν subintelligitur νικᾶν, vt sit sensus: ex denario per diem, id est, per singulos dies aut dietim. *An oculus tuus nequam est.*] Notãdum quòd oculus nequam non accipitur quemadmodũ Matthæi 6. & Lucę 11. in illo paraboico Christi sermone, Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Ibi enim oculus nequam dicitur oculus vitiatus. Hic verò oculus nequam pro inuido & liberali accipitur, idque phrasi Hebræa. Solent enim Hebræi oculum bonũ pro animo liberali & beneficio ponere, & malum pro parco & inuidenti, quòd oculus inuidi torqueatur ex alterius conspecta fœlicitate. Prioris exemplum habetur Prouerbiorum 22. vbi pro eo quod interpres noster rectè vertit: Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur. Hebræa habent, Bonus oculo, vel Bonus oculus benedicetur, hoc est, is qui commouetur facilè ad misericordiam conspecta alterius miseria, vnde sequitur: De panibus enim suis dedit pauperi. Posterioris exemplum est Prouerbiorũ 23. vbi pro eo quod nos habemus: Ne comedas cum homine inuido: Hebræa habent: Ne comedas cibum oculi mali. Sic & Ecclesiastici 31. cum Sapiẽs ab inuidia dehortatur: Super mensam magnam sedisti, non aperias super illam faucem tuam prior. Nondicas, multa sunt quæ super illam sunt: Memento Quoniam malus est oculus nequam, hoc est, oculus inuidus. Itaq; & huius loci sensus est: An tu inuidia commoueris id quia ego bonus sum, & mea benignitas cruciat tuos oculos his circa literam annotatis, ad mysticam parabolæ tractationem secundum præfixum scopum deuenidum est. Itaque per parabolam significatur Deum esse veluti patremfamilias qui vineam habeat, Ecclesiã scilicet sanctorum, quæ in scripturis per vineam sæpius significatur. vt: Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam, &c. In quam vineam quoquo tempore

Mystica tractatio.

Psal. 79.

tempore non cessat vocare promissis premiis operarios qui eam excolant. Excolunt autem eam quotquot doctrina aut vitæ exemplo alios ædificant, aut suæ saltem animæ curam gerunt, vt fructum bonorum operum edant. Vbi notandum, quòd in vineam Dei nemo vocetur, nisi vt sit in ea operarius, nec quisquam in eam venire possit, nisi vocetur. Per primo vocatos Iudæi designantur, qui & olim à Moysis tempore vocati fuerunt, & deinde etiam ante gentes Euangelicam prædicationem audiuerunt: per eos autem qui hora tertia, sexta, nona & vndecima vocantur, gentes quas post Iudæos diuersis vicibus & temporibus non cessat, nec cessabit Deus vocare, quamdiu dies huius seculi fuerit in quo licet operari. In his autem notandum, quàm pulchrè exprimatur persona benignissimi patrisfamiliãs Dei, vt qui nos quærat, excitétque ociosus. Deinde notandum, quòd quamquam nullo tempore cesset Deus quos vult vocare, tamen certis quibusdam temporibus secundum sapientiæ suæ dispositionem vocat efficacius & apertius, mittens insignes aliquot prædicatores, qui vitæ mirabili sanctimonij & doctrinæ claritate mundum ad se trahant: ideóque rectè intelligitur non proponi in parabola patremfamiliãs, qui semper maneat in foro ad conducendum operarios, sed eum qui certis horis, omnibus tamen quibus solicito alicui patrifamiliãs congruere potest, egreditur ad cõducendum operarios. Quod autem primo vocatis certum pretium est promissum, cuius spe ad culturam vineæ accesserunt: his verò qui postea vocati sunt, non est certum pretium constitutum, sed dictum est: quod fuerit iustum dabo vobis: rectè intelligitur significare, Iudæos planè veluti mercenarios Deo seruisse: gentes vero magis illius causas gratiæ quàm Iudæos, propter quod etiam prælatæ Iudæis non suo quidem merito, sed solo Dei beneplacito significantur, dum nouissimi dicuntur à patrefamiliãs sic prælati primis, vt & reciperent ante illos mercedem, & mercedem longè excedentem laborẽ, cùm illi tantùm pactam & debitam reciperent. Illo enim significatur, tũ quòd gentes ex cauda mutandæ essent in caput primósque habendos qui nouissimi venerunt in vineam

Dei;

Dei, tum quod mercedem acceptura essent labores lõge excedentem, fœlicitatem scilicet vitæ æternæ cùm Iudæi tantùm mercedẽ temporalem eis promissam consequantur. Quamquam ergo in parabola nouissimi & primi eandem dicantur accepisse mercedem, nempe denarium, non tamen in re per parabolam significata intelligendum nouissimos & primos eandem accepturos à Deo mercedem, sed hoc tantum intelligendum est significari quod dictum est: id verò quod non conuenit scopo intento omittendum est, tanquam tantùm conueniens ipsi humano exemplo. Itaque nec inquirendum, si quid per denarium mysticè significetur, cùm non ad hoc tendat parabola vt intelligamus eos qui per nouissimos significati sunt, eandem accepturos mercedem cum his qui per primos significantur, sed tantùm vt intelligamus nouissimos futuros in nouissimo die primos, & Dei id beneplacito euenturum sine cuiusquam iniuria. Non enim hi qui in nouissimo die dicuntur ex primis futuri nouissimi, etiam essunt in sanctorum numero, sed reiecti foras, vt patet ex eo Lucæ loco vbi hæc sententia etiam ponitur. Sic & Matthæi 5. is qui dicitur minimus futurus in regno cœlorum, non vtique erit in gloria regni cœlestis: & cùm Matthæi 21. dicuntur Publicani & meretrices præcessuri Pharisæos in regno Dei non significatur Pharisæos etiam fore beatos, quamquam inita beatitudinem Publicanorum, sed Publicanos salutem consecuturos, reiectis Pharisæis. *Et accipientes murmurabant.*] Quod in parabola primi murmurant aduersus patremfamilias ob gratiam nouissimis factam, significat Iudæorum æmulationem & inuidentiam, qua & in principio inuidebant gentes præferri sibi, aut æquari in gratia Dei, & in nouissimo die indignè ferent sibi præferri gentes in fœlicitate. Deo tamen illis interim respondente & manifestante, gentes sua gratia & beneuolentia tãto premio donatas: illis autẽ non esse cur quærantur, cùm & ipsi acceperint quod ipsis promissum fuit, & cuius gratia Deo seruierunt. Hoc enim significat responsio patrisfamilias, quem notandum est plus gratiæ fecisse illis qui minus de operib. suis gloriari poterãt omnino autem

autem nihil gratiæ illis qui de operibus & labore suo, maximè gloriabantur, nõ vt intelligamus magis à Deo coronandos qui minimè sunt operati, sed quod in illos Deus benignior sit futurus, qui gratiæ ipsius magis confisi de operibus suis minimè confidunt: illos autem illius gratiæ qua vita æterna datur fore expertes, qui tantum in propriis confidunt operibus notandum & illud, quod quamquam merces nouissimorum excesserit illorum & aliorum opinionem, nullis tamen merces datur nisi qui operati sunt, nec quisquã operarius sua caret mercede. Hinc ergo & nobis discendum, nõ debere nos ociosos esse in vinea Domini, si velimus benignitatem illius in nos experiri, sed strenuè operibus bonis vacandum, nec tamen de his ita confidere, vt nõ magis gratiæ Dei confidamus. Quamquam enim dicta sit hæc parabola, potissimum ad significandum gentes præferendas Iudæis, simul tamen in genere docemur, eos qui hic primas partes tenere in Ecclesia Dei videntur, plerumque futuros postremos in remuneratione: qui verò multorum & suo iudicio sunt nouissimi, tunc fore primos: vt & nos hinc discamus nosipsos deprimere, & diuinæ gratiæ necessitatem agnoscere. Hæc videtur genuina, & intentioni Christi accommoda parabolæ huius tractatio, cui bene conuenit quod in fine additur à Domino: *Multi enim sunt vocati pauci verò electi.*] Quo declaratur, quomodo fiat vt multi primi fiant nouissimi nimirum quia etsi sunt vocati, non tamen sunt electi: quemadmodum inter operarios vineæ, non omnes vocati fuerunt sic accepti & electi, vt visum fuerit patrifamiliæ suam in illos gratuitam munificentiam effundere. Quoniam autem parabolæ pleræque sic dictæ sunt à Domino, vt variis possint modis explicari, & variis possint vsibus seruire & quia scripturæ fertiles sunt sub eisdem verbis varia vtiliter significantes, non est reiicienda communis illa parabolæ huius tractatio, etsi primo & præcipuo Domini scopo non ita conueniat, quia intelligitur significari hac parabola primos & nouissimos eadem donãdos fœlicitate, nec quicquam istis obstare futurum, quod nouissimi sint vocati: aut illis ideo melius futurum, quia primi vocati fuerunt. Secundum

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam intelligentiam, per denarium rectè intelligitur ipsa æternæ vitæ fœlicitas, quæ eadem omnibus datur, etsi non æqualiter. Idque à procuratore domini vineæ, hoc est, à Christo, qui veluti procurator est regni patris cœlestis, ad cuius voluntatem, cùm aduenerit vespera huius seculi, Christus vocabit omnes cultores vineæ paternę ad iudicium suum, vt reddat omnibus mercedem vitæ æternæ. Secundum hanc autem parabolæ tractationem dupliciter explicatur quid significetur per eos qui diuersis horis sunt à patrefamilias vocati. Quidam enim horas illas diuersas referunt ad diuersas mundi ætates, vt primo mane vocati intelligantur homines ab Adam vsque ad Noe, hora tertia à Noe vsq; ad Abraham, hora sexta ab Abraham vsque ad Moysen, hora nona à Moyse vsque ad Christum, hora vndecima à Christo vsque in finem mundi, cui conuenit quod Ioannes dixit iam nouissimam esse horam. Alij verò horas diuersas referunt ad diuersas vitæ humanæ ætates, vt primo mane vocati intelligantur qui in pueritia: hora tertia, qui in pubertate Deo seruire cœperunt: hora sexta, qui matura ætate suscipiunt iugum Christi: hora nona, qui iam declinant ad senium: vndecima, qui vltima senectute aut in finæ vitæ suę vocantur quemadmodum latro in cruce. Prior explicatio magis conuenit scopo Christi, quia secundum eam etiam significatur gentes æquandas Iudæis, quod nõ longè abest ab eo quod Dominus præcipuè hic intendit. Posterior vero explicatio magis conuenit narrationi parabolæ, quia quo quis tardioti vitę suæ ætate vocatur, hoc operatur in Domini vinea minori tempore: non autem quo quis in posterioribus mundi ætatibus vocatur, hoc maiori laborat tempore. Secũdum has parabolæ explicationes, per hoc quod primi dicuntur murmurasse aduersus patremfamilias, intelligendum est tantùm significari, tantam fore Dei gratiam erga gentes, & eos qui in finæ vitæ suæ incipiunt rectè viuere, vt hinc secundum humanum morem posset in primis oriri aliqua indignatio, Deũ tamen omnibus persuasurum & ostensurum se nulli facere iniuriam. Reliqua quę pro huiusmodi parabolę faciunt tractatione, licet intelligere ex prima tractatione. Non enim

enim etiam secundum posteriores illas explicationes parabolæ, singula sunt curiosè accommodanda rei per parabolam intellectæ, sed quantum conuenit illi rei. Quomodo item sententiæ illæ duæ quę parabolam sequuntur, sic explicari possint, vt cum parabola hæreant vtcunque secundum posteriorem eius tractationem, ex prędictis intelligi satis potest.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

EVANGELIVM.

IN illo tempore: Cùm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum dixit per similitudinem: Exiit Lucæ. 8.
qui seminat seminare semen suum, & dũ seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatũ est, & volucres cæli comederũt illud: & aliud cecidit super petrã, & natũ aruit, quia nõ habebat humorem: & aliud cecidit intra spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud, & aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat. Qui habet aures audiendi, audiat: Interrogabant autẽ eũ discipuli eius, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant & audientes non intelligant. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam, hi sunt, qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Nam qui supra petram, hi sunt, qui cum audierint cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem inter spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt & à solicitudinibus & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum, retinent illud, & fructum adferunt in patientia.

TRactaturis Domini passionem ostendimus Dominica præcedenti, necessariam esse rerumnarum humani generis cognitionem, quatenus ex grauitate morbi, medicaminis pretiũ æstimare disceremus. Quapropter omnem retroacti seculi conditionem nobis ad memoriã. Ecclesia reuocat: Et, sicut dominica præceden-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ti, de prima mundi dictũ fuit ætate: sic hodie secundam quæ cum Noe, & diluuio incipiens, ad Mosen vsque perdurauit, considerare iubemur. Vt videamus miserabilem hominis sortem, ne illis quidem temporibus, à quoquam sublenari potuisse, in quibus cœlestis seminator, verbi sui sementum aliquanto largius dispergebat, & mundo iam vtcunque puerilis annos egressio, rudimenta suorum tradere cœpit præceptorum. Nam præcedentibus annis, non legimus hominem, citra lapsum suum Deo magnopetè fuisse curæ. Noe verò adfatus est eíque denuo benedixit, fœdúsque cum eo & posteris eius, sub signi contestatione, composuit. Deinde succedente tempore, clarius etiam nunc, & perfectius Abrahamo, nec non posteris eius sese manifestauit. Quo tempore sementum verbi celeberrimos aliquot vtros parturiit: quorũ haud vulgaris tum apud Deum, tum apud homines auctoritas extitit: Quemadmodum Geneseos libet nobis exponit. Non poterat tamen sua probitate, sacris oblationibus, aut vllo conamine facere, vt lapsus homo restitueretur. Accidit{q; illis, quod postmodũ Dominus per prophetam dixit. Tametsi fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabũt animas suas, filiũ verò, vel filiam non liberabũt. De Noe certum est, non potuisse mundum à deluuio, & Abrahamum ab incendio Sodomam vindicare, quomodo ergo, vel à pœna gehennæ liberare, vel vitam perennem hominibus largiri potuissent. Omnes alium seruatorem expectare cogebantur, & cum Propheta clamare: Exurge, quare obdormis Domine, quare obliuiscêris inopiæ & tribulationis nostræ: Exurge Domine adiuua nos & redime nos propter nomẽ tuum. Hæc meditari hoc die, per sequentem hebdomadam optimis quisque Christianus debet, quò pluris domini passionem æstimare, maiorisque gratitudine ad eam ferri possit. Hic omnium cæremoniarum huius temporis scopas est, cui aptissimo ordine præsens Euangelium congruit. Quid enim aliud fuit colloquiũ illud Dei cum Noe, Abraham, Isaac, & Iacob, quàm iactatio seminis, vnde seges in hodiernum vsque diem est propagata iustitiæ? Vtinam non minorem fructus prouen

Gen.8.

Gen.7. 23.26.47

Noe 14.5 Hiere.2.

Psal.43.

prouentum in nobis, quàm in illis produceret. Illi, vix grana exceperunt, nos saccos & plaustra verbi Dei plena, hoc est, ingentia volumina scripturarum & exemplorum possidemus. Quapropter quæ pœna maneat nos steriles, Apostoli sententia declarat, cum inquit, Terra enim sæpe venientem super se bibens hymbrem, & germinans herbam, oportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas ac tribulos, reproba est; & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem. Sed hæc copiosius aliàs, nunc ad textum conuertamur. *Hebr.6.*

IN illo tempore, cum turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad eum dixit.] Habet hæc parabola, auditores, seminantis optimam connexionem cum eo quod mox dictum est à Christo de beatitudine eorum qui faciunt voluntatem Dei, & auditum Dei, verbum etiam custodiunt. Vnde etiam Lucas hæc coniunxit, quamquam diuerso ordine ab eius duobus Euangelistis. Porrò occasio huius parabolæ videtur fuisse nimia hominum frequentia, quia accurrebant vndique, & de ciuitatibus properabant ad ipsum. Voluit ergo hac parabola significare, non satis esse audisse verbum Dei, neque omnes qui illud audiunt illinc meliores fieri, sed varie illud recipi, atque in paucis suos facere fructus, idque nõ ex vitio seminantis aut seminis, sed ex vitio eorum qui semen excipiunt. Adiungit autem & alias etiam huic parabolæ similes, quibus omnibus natura, vis, fructus & pretium verbi Dei declaratur. Cùm autẽ in principio doceret adhuc in littore, vt ex Marco satis patet postea ob nimium hominum confluxũ, conscensa naui, ex ea cœpit docere, quoniam à turba premebatur in littore, & vt ab omnibus conspici & audiri posset. Mare autem istud procul dubio lacus est Genesar, in cuius littore legitur crebrò Dominus docuisse, fortè quia opportunus erat locus in quo multi cõueniebant. Alioqui nõ caret mystica intelligentia, quòd Dominus è domo exiens, vbi paucos docere potuit, circa mare multas turbas docere cœperit, idq; è naui. Nam ea re significatum est, Dominum relicta Iudæorum synagoga exiturum ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

docēdum gentes,è naui illa Petri,quæ fluctuare potest, mergi non potest. Quamquam enim domum illam, Ecclesiam significasse sit nostra sententia, alia tamen ratione eadem domus synagogæ typum gerit. Nam Ecclesiæ quidem domum significat, si consideremus matrem & fratres Domini foris stantes,& irrumpētes Domini doctrinam: Synagogę verò typum gerit, si consideremus paucitatem eorum, qui ibi docerī poterant,& Pharisæorum calumniam ac blasphemiam. Pro parabolę autem primæ literali intelligentia obseruandum, quod prima pars seminis:quæ scilicet cecidit circa viam infructuosa est duplici nomine,videlicet tum quia conculcatur ab itinerātibus,tum quia volucres cœli veniūt & auferant illud, ita vt semen illud nihil germinauerit, nec vel spem aliquam fructus dederit. Secunda vero seminis pars, germinans quidem ac spem fructus præbens, sed solis calore arescens,duplicem etiam habet causam suæ infructuositatis, videlicet quia non habet profundam terram in qua firmam mittat radicem,& quia non habet humorem sufficientem, quamquam hoc ex priori consequatur. Cuius seminis & illa conditio notanda,quòd statim exoriatur. Loca enim saxea cooperta modica terra citò vegetant semē in herbam ex magnitutidine caloris,quia calor ibi non imbibitur in profundo sicut in reliqua terra,sed reflectitur à saxo,Deinde quoniam nō potest deorsum radices mittere,sursum erumpit,Nam hanc causam indicant Euāgelistæ Matthæus & Marcus. Tertia seminis pars,quę & ipsa exurgens spem dat fructus,perit ob spinas suffocātes. Quarta verò sola pars fructū expectatū profert, sed eum varium. Nam quædā centesimum,quædam sexagesimum quædā tricesimum hoc est,quędam magnū,quædam mediocrem,quædam paruū fructum protetūt. Nec est quod quis putet quintam etiā seminis portionem apponendam, vtpote eam quæ in terram bonam cadens, pluuiæ tamen defectu arescit, nec peruenit ad frugem. Nam de ea tantùm varietate seminis loquitur,quæ prouenit potissimum ex varietate terræ in quam proiicitur, quemadmodum intentioni etiā Domini, propter quam parabola dicta est,omnino conuenit. Quoniam autem hæc

hæc parabola opus habet diligenti animaduersione ad intelligēdum eam,nec potuerit intelligere eam nisi cui datum esset,ob id Dominus suo more,cùm dixisset parabolā,clamabat: *Qui habet aures audiēdi audiat.*]hoc est audiat is cui à Deo datum est vt audita intelligat. Quibusdam enim non dari aures audiendi docet Moyses Deut. 29. Non dedit,inquit,vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes,& aures quæ possint audire. *Interrogabāt autem eū discipuli eius quæ esset hæc parabola.*] Discipuli non quidē statim audita hac parabola,sed postea cum soli essent cum Christo,vt patet ex Marco,duo quærunt. Nam & pierate quadā commoti pro auditoribus sollicitī quærierūt,vt habet Matthæus,quōd Dūs in parabolis loqueretur,nō dubitantes illas rudi populo nō esse intellectas,quas nec ipsi intelligebāt:& desiderio intelligēdi togant Dominum, vt testātur reliqui duo,quæ esset parabola tā dicta,hoc est,quid illa significaret. Est,enim hic ponitur pro significare, quemadmodū & ibi:Petra aūt erat Christus. *Quibus ipse dixit, vobis datū est.*]Interrogatus Dominus de duobus, ad vtrumque suo ordine respōdet,& primùm quidē aperit quare in parabolis loqueretur turbis. Vbi aduertendū,Dominum nō totā reddere causam ob quam loqueretur per parabolas,sed tantum quare loqueretur in parabolis, quatenus attinet ad reprobos & desperatos qui erāt in turba. Pro varietate enim auditorum, variæ etiam sunt causæ ob quas in parabolis Dominus loquebatur. Nā quod attinebat ad bonos & fideles,quales erant discipuli,parabolis Dominus vsus est,vt hac ratione magis ac magis cenderet eorum animos desiderio descendi,ac mysteria Euangelica dulcius mēti eorum instillaret. Quòd verò attinebat ad non omnino malos,vel ad electos,nōdum vocatos tamen,proderāt etiā parabolæ,tum vt non intellecta potius venerarentur,quàm intellecta fastidirēt. Quod autem pertinebat ad reprobos,quales erāt Scribæ & Pharisæi turbæ permixti,ea de causa Dominus locutus est in parabolis quam hic reddit, videlicet quoniā indignis mysteria erant abscondenda. Si aūt quæratur:quare ergo in sermone illo prolixo, qui dicitur sermo Domini in mōte,turbis Dominus tā apertè locutus

Quare in parabolis locutus sit Dominus

cutus est, sine omni fermè parabolico sermone? Dicendum, ibi Dominum tradidisse præcepta Euãgelica, quæ neminem ignorare fas est. Hic verò differere de mysteriis regni cœlorum, sicut ipse testatur, quæ non est necesse omnes scire. Quoniam ergo discipuli quærebant, non quare in parabolis loquebatur, sed quare in parabolis loquebatur eis, turbis scilicet quæ Domino non credebant, quas à se Discipuli separabant, Dominus appositè non reddit rationem quare in vniuersum veteretur parabolis, sed tantum quatenus pertinebat, ad reprobos ac infideles: hac ratione etiam demonstrãs fœlicitatem Discipulorum, qua præ aliis Dei munere sunt dotati. Verùm circa rationem redditam à Domino apud Euangelistas, est non parua difficultas. Primùm enim, quomodo apud Marcum & Lucã dicit Dominus se ideo loqui in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant? Hoc enim videtur significari, Dominum noluisse eos cernere & intelligere, quod de Deo credere impium est, qui non vult mortem peccatoris, sed vt magis cõuertatur, & viuat. Deinde quomodo ratio reddita apud Marcum & Lucã conuenit cum ea quæ redditur apud Matthæum: Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, &c. Nam vt omittatur quod rationes istæ diuersæ sunt omnino, videtur etiam posterior priorem destruere. Si enim ideo Dominus loquebatur in parabolis, quia videntes non videbant nõ ergo propterea vt videntes non viderent, quandoquidem iam non videbant. Ad priorem ergo difficultatem, rectè dicunt quidam, coniunctionem, vt, nõ accipi hoc loco vt denotet causam, sed tantũ consecutionem & euentum, quemadmodum frequenter in scripturis. Alij causam quidem denotare intelligunt, sed eum dicit Marcus: nequando cõuertantur & sanem eos: illud, nequando, pro quo Græcè est μήποτε, accipiunt pro, si quando, quomodo accipitur 2. Timoth. 2. Cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati, nequando Deus det illis pœnitentiam: pro, si quando vel si forte. Non enim μὴ apud Græcos semper est negantis aut prohibentis coniunctio, sed aliquando dubitantis, valens idẽ quod,

2. vlt. 2.

quod, num vel si. Itaque sensus esset: Ideo Dominus in parabolis locutus est quibusdam, vt non intelligerent mysteria regni cœlorum, ac non intelligentes non crederent ad tempus, si quando vel hac ratione conuerterentur ac sanarentur, cùm scilicet suæ incredulitatis ac obstinationis malum agnoscentes humiliarentur. De quo sensu prolixè disputat Diuus Augustinus libr. de quæst. Euang. ex Matthæo capite 14. Sed hic sensus nõ videtur esse germanus sensus, eo quod obstinatio & impœnitẽtia reproborum omnino significari videatur. Ad secundam difficultatem dicendum est prouidentia spiritus sancti factum esse, vt Marcus quidem & Lucas dicerent in parabolis Dominum locutum, vt videntes non viderent: Matthæus verò, quia videntes non viderent: sicut & vtrumque verisimile est Dominum dixisse, quo intelligeremus partim demerito hominũ, partim iustæ voluntati diuinæ tribuendum, quòd reprobi isti auditores non illuminarentur. Quod autem Marcus & Lucas dicunt: vt videntes non videant: non sic accipiendum, quasi iam tum non tales fuissent, sed vt tales esse perseuerarent. Vtramque hanc causam videlicet & finem propter quem in parabolis Dominus loquebatur, & causam ob quam illi hoc meruerant, Matthæus complexus est illa sententia: Qui enim habet, dabitur illi & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Quoniam enim Dominus dixerat, vobis est datum: illis verò nõ est datum: (quod significat à diuinæ gratiæ dono pendere mysteriorum cognitionem, ne eam suis meritis tribuere possent discipuli) ne intelligeremus donum illud gratiæ continere sine libero nostro arbitrio, ideo commodè hãc sententiam Dominus subiunxit, qua ostendit hanc diuinæ voluntatis dispositionem esse congruam ex parte ipsorum hominum, & quodammodo eos qui mysteriorũ cognitione donantur, eam promeruisse: illos verò qui ea nõ donantur, eam demeruisse. Cum ergo dicit: qui non habet, & quod habet auferetur: per hoc quod dicit: qui non habet: significat causam demeritoriam: per hoc autem quod dicit, auferetur, significat se ideo turbis loqui in parabolis, vt non donarentur illuminatione quam

demeruerant hoc est, vt videntes non viderent. Cæterũ illa sententia: Qui habet dabitur ei, &c. videtur à Domino è prouerbialibus & vulgò iactatis sententiis desumpta, qua significare voluit etiã in regno suo aliquo vsque impleri quòd vulgò dici solitum fuit. Communis autem illa & vulgaris sententia, cùm ad propositum Domini variè à diuersis explicetur, commodè sic videtur explicãda: Qui habet id quod debet habere, dabitur ei amplius, ita vt etiam abundet; & qui non habet quod debet habere, id etiam quod habet aut habere videtur, auferetur. Sic enim explicata hæc sententia deseruit & huic proposito, & omnibus aliis locis, vbi à Domino hæc repetitur. Nam & hoc eodem capite inuenitur posteà apud Lucam & Marcum, & rursum apud Matthæũ capite 25. & Lucam capite 19. quibus duobus locis talentum vel mina ablata ab ocioso, datur ei qui quinque talenta lucratus fuerat & decem minas. Præsenti quidam loco deseruit explicata illo modo sententia in hunc modum: Vobis quoniam habetis fidem & studium discendi, perfectior mysteriorum diuinorum cognitio dabitur: Illi verò qui foris sunt, quoniam suo vitio non habent illam in me fidem quàm meritò habere deberent, nec simplex illud cognoscendi veritatem studium & desiderium, ob id auferetur ab eis etiam id quod habent aut videntur habere diuinæ cognitionis, vt magis magísque cæci fiant traditi in reprobum sensum. Sic explicata hæc sententia includit etiam omnes aliorum explicationes. Chrysostomus enim & Hieronymus sic intelligunt: Qui habet fidem, dabitur ei amplior Dei cognitio: qui verò non habet fidem, etiam si quid per naturale bonum possidet, auferetur ab eo. Quidam simili ferè modo: Qui habet studium discendi, dabitur ei & facultas intelligendi: & qui non habet discendi studium, priuabitur etiam naturalibus bonis. Aut Qui habet charitatem, dabuntur ei cæteræ virtutes: & contrà qui eam non habet auferetur ab eo quod habet aliud bonum. Diuus Augustinus intelligit eum habere qui donatis à Deo bene vtitur: eum verò nõ habere, qui acceptis non vtitur, ac si ea non accepisset. Porrò Isaiæ testimonium, quod in reprobis Iudæis adimpletum

pletum testatur Dominus, adducitur hic à Matthæo nõ secundum Hebraicam veritatem, sed secundum versionem. Septuaginta, quemadmodum idem testimonium citatur & à Luca Actuum vltimo, & ex parte aliqua à Ioãne cap. 12. & rursum ex parte à Paulo ad Roman. 11. Nam Hebræa veritas sic habet secũdũ versionem Hieronymi: Audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. Ad verbum autem Hebræa sic habent: Nam sunt quędam, quę rectius verti possunt quàm habet versio Hieronymi. Audite audiendo, & ne intelligatis: videte videndo, & ne cognoscatis. Impingua cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, & auribus iuis audiat, & corde suo intelligat, & cõuertatur, & sanatio sit ei. Apparet autem Septuaginta (vt annotauit Erasmus) consultò mutasse scripturam Hebraicam, ne impiis daretur ansa blasphemiæ, quasi Deus esset autor malorũ, ac ob id sensum potius reddere voluisse quàm verba. Itaque quoniam Hebraica veritas significat Deum iussisse vt videntes non viderent, & audientes non audirent, Septuaginta sic verterunt vt tantum significerent Deum prædixisse, audientes non audituros, & videntes non visuros, eo quòd sermonis diuini ea sit proprietas, vt mali alicuius iussio aut imprecatio, nihil ferè sit aliud quàm prænunciatio mali illius ab irato Deo permittendi, quomodo dictũ est Iudæis: Soluite templum hoc. Et Iudæ: Quod facis, fac citius. Cùm autem Matthæus Hebraicè scripserit suum Euangelium, mirum videri potest testimonium hoc à Matthæo non citatum secundum Hebraicam veritatem, nisi quod omnino verisimile sit Matthęum quidem in Hebraico suo Euangelio Hebraicam veritatem adduxisse: interpretem verò Græcum pro Hebraica veritate Septuaginta translationem substituisse: tum quòd ea Græci, quibus ea translatio fiebat, illi translationi essent assueti: tum quod Lucas eodem modo testimonium hoc adduxisset capite Actuum vlti.

Ioan. 2.

Ioan. 13.

Eſ au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei.] Explicatio parabolæ abundè ab ipso Domino reddita est, quamquam circa eam intelligendam quædam à nobis obseruanda & dicenda sint. Imprimis ergo obseruandum, quàm oppositè verbũ Dei semen vocetur, aut per semẽ parabolicè significetur. Et quidem omnis sermo, maximè qui diuulgatur & spargitur, semen vocatur etiam à prophanis scriptoribus: vnde est disseminare sermonem, & Paulus ab Athenienſibus quibusdam dictus est σπερμολόγος, hoc est, seminiuerbius aut potius verbiator, eo quod nouos rumores spargeret in vulgus, vt legitur Actuum 17. Verum præter hanc cõmunem rationem (quæ tamen ipsa peculiariter & insigniter conuenit verbo Dei quod prædicandum erat in agro totius orbis) sunt & aliæ rationes propriæ verbo Dei. Primũ enim quod semen est terræ, hoc verbum Dei est cordis, quod in medio hominis, velut terra in medio mundi constitutum, omnium spiritualium fructuum, siue bonorum, siue malorum principium est & veluti mater. Sicut ergo semẽ nusquam fructificat nisi in terrã proiectum, sic nec verbum Dei nisi in corde suspectũ. Nihil enim profuerit illud vel auribus tantùm, vel oculis suscepisse. Et quemadmodũ terra, nisi in eam semen iacatur, ex se nõ profert ferè nisi sterilis & inutiles herbas ita cor hominis, nisi semine diuino seminatum fuerit, noxia tantùm proferet, aut saltẽ inutilia & sterilia. Iam quemadmodum vt semen in terram iactum fructificet, necesse est intra eam recipi, ac necesse est terram eã nõ esse petrosam, nec spinis, vepribus, aliisque malis herbis consitam, sed mollem ac repurgatam: ita, quemadmodum hic Saluator explicando parabolam docet, vt fructum Dei verbum proferat in corde hominis susceptũ debet non leuiter tantùm corde aduerti, sed intra illud recipi & veluti occultari, ac necesse est inueniat cor minimè lapideum, sed molle, vt firmas in eo radices mittere possit, cor item iam repurgatum à spinis & aliis vitiorum, quæ verbum Dei alioqui suffocarent. Vt autem semen intra terram recipi possit, eáque bene repurgatã, necesse est eam quantumuis ex sese bonam aratro proscindere, ac multo labore excolere, ita vt

Semen.

vt & cor hominis intra se recipiat verbum Dei, ac sit ab omnibus vitiis repurgatum, cultura non parua opus est. Habet enim & cor opus aratione, stercoratione, ac agitatione sua, reliquisque id genus culturis quæ terræ competunt. Vnde Hieremias: Nouate, inquit, vobis nouale, & nolite serere super spinas. Et Innouate vobis nouale. Pro quo Hebræa significantius habent: Arate vobis arationem: quamuis eodem recidat. Deinde quomodo semen in terra receptum non fructificat, nisi in ea prius moriatur, ita & semen verbi diuini in corde hominis veluti mori debet, hoc est, diu hærere, & masticari, & conspargi. Postremum, sicut semen, quantumuis in bonam terram proiectum, nõ virtute solius terræ ad frugem peruenire potest, sed opus est cœlestium corporum influxu, ac pluuiæ descendo: ita nisi cor hominis assiduè gratia cœlesti ac pluuiis spiritus sancti perfundatur, non poterit semẽ verbi diuini in eo esse fructiferum, ita vt hoc simili, optimè possit intelligi concursus liberi arbitrij & gratiæ diuinæ, & vtriusque necessitas ad productionem boni fructus. Huic ergo diuino semini promittitur pluuia Isaiæ cap. 30. vbi de fœlicitate regni Messiæ inter multa sic vaticinatur: Et dabitur pluuia semini tuo, vbicunque seminaueris in terra, & panis frugum terræ erit vberrimus & pinguis. Ob hanc summam similitudinem verbi Dei cum semine, etiam in aliis multis scripturis verbum Dei semini cõparatur. Vnde Iacobus: Suscipite, inquit, insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. Et sicut terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam & laudem coram vniuersis gentibus. Germinabit dicit, vtique per semen Euangelicum sparsum in terra. Porrò cum Dominus explicãs quid per seminantem intelligat in parabola, dicit apud Marcum: Qui seminat, verbum seminat: patet Dominum non voluisse hanc parabolam pertinere ad se tantùm, sed ad omnes prædicatores verbi diuini. Proinde frustra quidam obseruant in principio parabolæ dici: ecce exiit qui seminat, & semen suum volentes verbo, exiit, notari exitum Christi è cœlo in terras, & ideo dici semen suum, quia

Hier. 4. Osee 10.

Iacob. 1. Isaia 61.

Dominus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dominus non alienum semen, sicut Prophetæ & Apostoli, seminabat, sed proprium. De huiusmodi seminantibus loquitur Isaias, cùm de regno Messiæ loquens, tandem dicit: Beati qui seminatis super omnes aquas immittentes pedem bouis & asini. Qua sententia significatur semen Euangelicum diuino fauore sic fructificaturum, vt etiam in locis aquosis iactum crescat, & obsit quòd in agro Dominico relinquãtur boues & asini, hoc est, dæmones, hæretici, & infideles, qui depascere volunt agrum Domini. Porrò messores, Angeli hi sunt quibus dicitur Ioel. 3. Mittite falcem, quoniam maturuit messis. Ad quem locum videtur alludere, cùm rursùm dicitur Apocal 14. Vni ex istis messoribus: Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit messis terræ. Pro explicatione autem reliquorum, quibus Dominus exponit cætera præassumptæ parabolæ, sciendum imprimis, quòd cùm Dominus in parabola diuiserit semen in quatuor partes, in expositione parabolæ apud omnes tres Euangelistas non verbum Dei, quod est semen, sed auditores verbi diuini diuidit in quatuor ordines, cùm tamen quadruplices isti auditores verbi non propriè significentur per quadripartitum semen, sed magis per terram quadripartitam in quam semen cadit. Intentio enim Domini erat per parabolam hanc demonstrare varietatem audientium vnum idemque verbum Dei. Nec est inter Euangelistas aliqua notabilis diuersitas, nisi quòd Matthæus iam singulariter loquitur, reliqui verò duo pluraliter: cùm cõtrà in parabola ipsa Matthæus pluraliter, reliqui verò duo singulariter fuut locuti. Huiusmodi enim varietas nihil detrahit veritati narrationis. Quoniam autem apud Marcum & Matthæum dicuntur homines ipsi seminati, secus viã, super petrosa, in spinis, in terram bonam: quæ locutiones duræ videntur, sciendum secundò, quòd esse seminatum, duobus modis dicitur. Dicitur enim & semen seminatum & ager seminatus, quia scilicet semen in ipsum iactũ est. Sic ergo & homo hic dicitur seminatus, quia semen verbis Dei in se susceptit. Aut potius, sicut Hebraica phrasi dicitur, verbum Dei esse semen quia per semẽ in ipsa parabola designatum ita homo dicitur seminatus secus viam, super petrosa, &c quia significatus per semen seminatum secus viam super petrosa, & cæt. Hæc enim explicandi has orationes ratio & tollit incommoditatem illam quàm afferunt illæ partes, secus viam, in petrosa, &c. & magis conuenit cum eo quod Lucas in tertio & quarto membro dicit: Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, &c. Et quod autem in terram bonam, hi sunt qui in corde bono, &c. Vbi dicit semen ipsum esse homines, quod proculdubio intelligendum est, semen ipsum significare homines tales vel tales, nõ quod prorsùs semen homines significet, vt dictum est, sed quod tales vel tales verbi auditores. Ex his patet quomodo intelligendum quod Lucas dicit in primo & secundo membro, Marcus etiam in primo: Hi sunt qui circa viã. Et qui autem suprà petram: sensus enim est: Hi sunt qui significati sunt per semen cadens circa viam, aut per semen cadens super petrosa. Restat tollenda vna orationis incommoditas, quæ est apud Matthæum in primo membro, cùm dicitur: Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est in corde illius, hic est qui secus viam seminatus est. Quam orationem annotatur in glosa, quàm dicunt Ordinariam, sic esse ordinandam: Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, vt hic suspensa sit sententia, & quod sequitur per parenthesim legatur, in hunc sensum: Venit enim malus, nempè diabolus, & rapit quod seminatum est in corde illius. Omnis, inquam, qui talis est, hic est qui secus viam seminatus est. Græca verò non habent hanc incommoditatem. Sic enim est Græcè, παντὸς ἀκούοντος τὸν λόγον τῆς βασιλείας, καὶ μὴ συνιοντος, ἔρχεται ὁ πονηρὸς, &c. id est, quouis audiente verbum regni, & non intelligente, vel cùm quiuis audit, & non intelligit, tunc venit malus. Proinde apud nos illud:

Isaiæ 32.

Ioel. 3. Apoc. 14

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud: omnis qui audit non intelligit: intelligendum est positum absolutè, pro, cùm quisquis audit, &c. His præ literæ intelligentia præmissis, ad totius explicationis tractationem descendendum est. Quatuor ergo facit Dominus genera auditorum Euangelij. Primi audiunt quidè, sed nulla mente, nulla animaduersione aut intelligentia, aliò nimirum per satanam detorte eorum animo quo fit vt nulla omnino auditi verbi adhæreat vel cogitatio, multo minus ex audito verbo nascatur vel fides, vel indicium alicuius fructus. Hi similes sunt terræ quæ iuxta viam est, duræ, & ab omnibus conculcatæ. Habent enim & ipsi cor induratum, vt intra illud non recipiatur verbum Dei, & conculcatur cor eorum simul & verbum Dei, & quia à strepitu mundanarum cogitationum premitur. Et quoniam ab eis obiter tantum & oscitanter auditur verbū Dei, nec intra cor recipitur, subito aduolans diabolus, velut auicula quædam, subelegit ex animis illorum quicquid audierunt priusquam inhæ-reat, immissis scilicet diuersis cogitationibus aliò animum trahens, vt iam nihil referat auditum. Bene autem quem Lucas diabolum vocat Marcus Satanam, Matthæus antonomatice malum, apposito apud Græcos articulo, per volucres cœli designatur: eò quòd in caliginoso huius mundi aere dæmones moueantur cum volucribus cœli. Deinde propter subtilitatem naturæ ipsorum, velocitatem atque superbiam: sed omnium maximè ob eam causam quæ hic à Domino indicatur, quòd semini insidiantes summa cū velocitate illud à cordibus hominum auferunt, cum intra illa non recipitur. Alij, præter hoc q; Euāgelium audiunt, mente etiam illud reuoluunt, bonumque iudicantes auidè illud arripiunt, idque aliquando nimis immaturè festinatur, tum verbo, tum facto, ita vt semen in eis subitò enascatur & per herbam fructum polliceatur. Verùm quoniam quod audierunt non penitus desixum est in cordibus eorum ac in illis non est profundè radicatum ob id sunt temporales vel temporarij, hoc est, ad tempus obtemperant sermoni diuino sed ad exortam malorum procellam deficiunt, deserentes bene cœpta. Hi ergo similes sunt terræ petrosæ, non ob cordis duritiem, sed

Tractatio parabolæ.

Volucres cœli diabolum significant.

sed tum quod in eis verbum Dei nimis præpropere enascitur, tum quòd in eis non sit ita radicatum, nec tantum habens humorem gratiæ diuinæ vt sustineat exortum persecutionum & tribulationum, quæ vt in multis scripturæ locis ita & hic per solem æstuantem significantur. Quemadmodum enim sol suo æstu herbas quidem non satis radicatas, nec sat humoris habentes arefacit, bene autem radicatis & loco humido nascentibus non solum nihil obest, sed etiam iustam augmenti & fructus perfectionem & maturitatem adfert: ita tentationes cùm imperfectos deiiciant firmos etiam perfectiores reddunt. Proinde Paulus Ephesiis precatur à Deo virtutem corroborari per spiritum eius in interiore homine, vtq; sint in charitate radicati & fundati. Porrò illud propter verbū, quod est in Matthæo & Marco, quamquam posset coniungi cum sequenti verbo, scandalizatur, vt significetur eos scandalizari in verbo semel recepto cum gaudio, rectius tamen coniungitur cum præcedenti orta tribulatione, vel persecutione, vt significetur tribulationem illis inferri propter verbum ab illis receptum. Id fit dum vel eorum fides in Christum oppugnatur, vel cùm alioqui propter iustitiam quā sectantur, aliquid pati eis contingit. Quid autem sit illud, scandalizatur, quod est apud Matthæum & Marcum, Lucas exponit dicens: & in tempore tentationis recedunt. Scandalizantur ergo, hoc est, offenduntur & impediuntur quo minus verbo firmiter adhæreant. Tertij sunt, qui & ipsi verbū non audiunt solum, sed & intelligunt, & mente recipiunt, ac spem aliquam fructus præbent: sed quemadmodum illos qui petrosæ terræ assimilantur, ab Euangelio crux auocat, ita in istis cupiditas & circa superflua rerum præsentium facit vt prorsus enecetur & intereat verbum Dei, antequam in herbam iustam enascatur. Vbi notandum Lucam & Marcum tria numerare quæ spinis comparantur, videlicet solicitudines, (pro quo apud Marcū legimus ærumnas, cum apud Græcos vna eademque sit dictio μέριμναι) diuitias, & voluptates, quibus apud Marcū, deceptio diuitiarū, (hoc est Hebraica phrasi, diuitiæ deceptrices) & circa reliqua concupiscentiq, hoc est, reliquarū rerum

Universidad de Deusto
Biblioteca

concupiscētiæ,in quibus tribus comprehenduntur illa tria quæ Ioannes dicit esse in mundo, nempe concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ Matthæus verò duo tantùm ponit, solicitudinem seculi,& fallaciam diuitiarum,hoc est,fallaces diuitias, rectissimè sic dictas, quod blanda quadam specie promittant id quod præstare non possunt, quódque homines frustrentur plerunque salute æterna. Mitum autem videri posset,vt habet Gregorius,diuitias & voluptates à Domino spinis comparari, cum spinæ pungant,illæ autem delectent.Et tamen spinæ sunt, quia curarum quas requirunt punctionibus mentē cruciāt, & dum ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere mentem cruentant, ac demum remorsu admissi peccati mentem torquent. Notandum etiam cum Gregorio,duo diuitiis iungi solicitudines scilicet & voluptates:& illas quidem præponi, has postponi. Nam vt habeantur diuitiæ,vanæ præcedunt curæ quibus mens hominis miserè torquetur: obrentæ autem ad voluptates perttahunt,per quas anima vulneratur,& tanquam spinis per remorsum cruciatur,Quod autem apud Lucam dicitur : à solicitudinibus & diuitiis & voluptatibus vitæ euntes suffocantur: sciendum quod pro participio,euntes,(quod obscuritatem aliquam facit) Græcè est πορευόμενοι, quod Erasmus putat accipi posse non vt sit deponens à πορεύομαι. eo, sed passiuum à πορεύω, quod significat duco,ago,aut etiam abundare facio, vt sit sensus: Suffocētur acti,ducti,& possessi,hoc est,dum aguntur & obruuntur à curis, diuitiis,& voluptatibus Aut si,vt magis est verisimile,sit à περὶ ὁδὸν.illud,euntes,sic accipietur:Suffocātur à curis,&cæt euntes,sciple,post eas,hoc est,dum sequuntur eas:vel euntes,hoc est,processu tēporis,vt sit phrasis Hebraica. Potest autem illud ὑπὸ μεριμνῶν, vt est Græcè, verti : sub solicitudinibus & diuitiis,vt sit sensus:euntes sub solicitudinibus,hoc est,cum illis euntes & conuersantes, quomodo intelligit Euthymius Græcus. Quarti sunt, qui audientes verbū suscipiunt illud in corde bono, & susceptum retinent,in quibus quoniam radices agit,nec inuenit spinas,fructum profert etsi varium,secūdum quod

alij aliis spiritu locupletius donantur. Sicut enim triplex est varietas audientium verbum Dei sine fructu, ita triplex etiam varietas audientium cum fructu significatur in quarto isto genere à Matthæo & Marco. Centesimum enim fructum afferunt, qui perfectam & summam vitam agunt.Sexagesimum verò ,qui mediocrem. Trigesimum,qui inferiores sunt,fructum tamen bonum afferentes pro suis viribus.Hinc factum est vt centuplum fructum Hieronymus virginibus , sexagecuplum viduis,trigecuplum coniugatis tribuerit, ostēdens numerationem quę in digitis fieri consueuit,huic mysterio conuenire , libro primo contra Iouinianum, Augustinus verò centesimum martyribus , sexagesimum virginibus , trigesimum coniugatis, aptans , etiam his numeri rationem, libro de quæstionibus Euāgelicis. Theophilactus centesimum tribuit anachoritis , qui perfectam vitam assecuti rebus diuinis tantum vacant solitariè viuentes:sexagesimum cœnobitis: trigesimum coniugatis & laicis. Apud Lucas nulla gradum fit mentio,sed cùm in parabola centeni fructus fecerit mentionē,hic tantùm dicit:& fructum afferunt in patientia,hoc est,per patientiam vel patientem expectationem mercedis.Est enim Græcè ὑπομονὴ, quod magis significat expectationem & longanimitatem , quàm aduersitatum tolerantiam.De ea ergo loquitur patientia , de qua alibi : In patientia vestra possidebitis animas vestras. Obseruandum autem quam pulchrè Lucas secernat quarti generis auditores à tribus aliis. Nam per hoc quod dicit:verbum retinent : separat eos à primis:per hoc quod dicit:in corde bono : separat ab his qui in spinis semen excipiunt : per hoc quod dicit: fructu afferunt in patientia:separat ab his qui in petroso seminantur,qui non perseuerant.Porrò dubium hic esse potest,an per fructus hic designētur bona opera,an merces quæ bonis operibus reddetur. Pro mercede enim quæ maior reddetur perfectioribus,debere accipi videtur, ob id quod etiam hi qui in spinis & petrosa terra semen excipiunt,fructus bonorum operū ad tempus proferunt,cum tamen hic non dicantur fructum adferre:nisi dicamus bona opera non vocanda fructus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nisi quæ vsque ad melius tempus, hoc est, tempus retributionis perdurant. Alioqui enim potius tenerę herbæ sunt similia,

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

EVANGELIVM.

IN illo tempore: assumpsit Iesus duodecim discipulos suos, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymã & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget: Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur: Factum est autem cũ appropinquaret Hiericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans: Et cum audiret turbam prætereuntem interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei quod Iesus Nazarenus transiret. Et clamauit dicẽs: Iesu fili Dauid, miserere mei. Et qui præibant increpabãt eũ vt taceret: ipsum vero multo magis clamabat, Fili Dauid miserere mei. Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se: & cùm approximasset, interrogauit illum dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine vt videam. At Iesus dixit ei: Respice fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs vidit, dedit laudem Deo.

QVoniã hæc dominica tertia est, ex illarũ genere quæ Dominicam passionis antecedentes, omnes mundi ætates designant, quemadmodum Dominica septuagesima fuit expositum, ac proinde tertiã ætatem, nimirum à Moyse vsque ad Dauidem adumbrat, prudentia admodum Ecclesia istud Euangelium cũ Epistola hodie proponit. Est enim quemadmodũ hic cæcus secus viam sedens, & clamãs, vti visus sibi restituatur à populo prætereunte impediebatur, haud secus fideles in Ægypto, assiduo clamare in tenebris illis idolatriæ degentes: redemptorem poscebant & tamen obstreperas illas voces Ægyptiorum audire cogebãtur. Vacatis otio, & ideirco vociferaminí dicentes: Eamus, & seruiamus Deo nostro. Neq; id tantũ, sed afflictiones & labores illis conduplicabantur. Et vt Christus cęcum, non obstantibus aduersariis ad se adduci iubebat, sic quoque Deus fideles suos: frustra reluctantibus Ægyptiis, à seruitute exemit. Breuiter. Vt Christus isti oculis cæpto, nõ modo lumen, quo agenda conspiceret, reddidit, verumetiam seruatorem suum agnoscere, laudaret sequeretúrq; : Sic Moysi ætate auspicatur Deus humano generi spiritualem cõtuitum restituere, primo stupendis prodigiis suã omnipotentiã demonstrans, deinde legem & verbum suum e cœlis mittens, in qua videret homo, quomodo Deo seruire, & eius voluntatem adimplere posset. Et hęc fuit cæci generis humani illuminatio omniũ prima licet imperfecta: Nã sola fuit vmbra seu figura perfectæ illustrationis per Christũ præstandæ. Oculos quidem lex, & intellectũ pandebat, sed efficacia, qua impleti potuissent, carebat. Non inueniebatur id temporis adhuc quisquã in orbe, qui captiuitatẽ generis humani perfectè liberare potuisset. Liberabat quidem iussu Dei atq; potẽtia populum Moysen & Aaron à tyrannide Pharaonis, verum superare adhuc prior illa, & nefanda captiuitas, in quam protoplastus Adam se suósque posteros præcipitarat. Verus ille crudelisque tyrãnus diabolus, haud dum victus erat: Quare alium agnum offerri oportuit. Quamobrem Moyses subinde precabatur: Obsecro Domine, mitte quẽ missurus es. q.d. quid quæso refert bone Domine etiãsi ab hac corporali captiuitate fuerimus restituti, cum spiritualibus peccatorum compedibus sub diaboli tyrãnide vinctí remaneamus. Ideo Domine, mitte verum redẽptorem, qui non modo homo, sed Deus quoque sit, nõ modo temporaliter, vertí etiam spiritualiter à peccato, ira, iudicio, & damnatione nos vindicet. Eandem fere habet sententiã quod alibi dicit: Domine, si inueni gratiam in cõspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, id est, Christum, qui est splendor gloriæ, & figura substantiæ tuę: Sic omnes id ætatis, cũ Dauide cogebantur clamare: Esto mihi Domine in Deum protectorem, & in domum refugij. Talis erat tunc tẽporis status, id quod per tertiæ istius Dominicæ obseruantiam nobis indicatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicatur, in illum finem potissimum, vt sacratissimam passionem Domini tanto maiore cum gratitudine reuereamur, cuius solius præsidio, perfectè redempti illuminatíque sumus. Et, quod neque Moyses sua lege, neque Aaron suo sacerdotio præstare poterant vnus CHRISTVS, totius orbis redemptor, sua morte perfecit.

Assumpsit Iesus duodecim discipulos suos: & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, &c.] Cùm iam tempus adesset, quo secundũ patris decretum pro hominũ salute mortem pateretur, Dominus qui ad tẽpus latuerat, quo declararet se nõ metu mortis latuisse, sed quod tempus patiendi nondũ impletum esset, cum suis ascẽdit Hierosolymam, veluti ob Paschæ celebrationẽ, sed re vera vt nouum Pascha ibi institueret, seipsum præbẽs immolandum. Et quoniam videbat Apostolos & sibi & ipsismet metuere à Hierosolyma, ac segniores esse in hoc itinere, ipsemet illos in via præcedebat, cùm alias Apostoli saltem aliquot solerent præcedere, aut ab ipso præmitti, tum vt ostenderet ipso gestu corporis se non metuere, aut declinare mortem, sed promptũ esse & alacrem ad perficiendũ patris volũtatem: tum vt suo facto discipulis animum adderet, metúmq; eis excuteret: At hi videntes eum tanta animi constantia & promptitudine pergere ad locum, in quo adhuc in Galilæa existens prædixerat eis se multa passurum, & occidendum in quo iam etiam intellexerunt cõmuni decretum cõcilio vt occideretur, stupebant, hoc est, vehementer admirabantur illius animum, quod se volens & sciens in manifestum vitæ periculũ coniiceret, & sequentes eum timebant sibi ne per illum venirent & ipsi in commune periculum. Et quidem quod timebant, humanæ adhuc fuit imperfectionis: quod autem etsi timẽtes sibi tamen tam Dominum præeuntẽ sequebantur, cõstantis fuit dilectionis, quã vt in Apostolis imitari debemus, ita in Christo nobis imitãda tolerantia alienæ infirmitatis, cuius tam frequenter exemplũ nobis reliquit. Cùm autem facto suo Dominus & suam ad mortem subeundã voluntariam promptitudinem declarasset, & discipulorum animos, quantum in se erat confirmasset, idẽ etiã & verbis egit. Cùm enim in via esset ad Hierusalẽ, è reliqua turba quę illũ comitabatur, assumpsit ad se secretò ideſt seorsum duodecim discipulos suos, eſsque solis prædicit iam tertiò, ventura sibi in Hierusalem, vt intelligerent clarissimè, ipsum omninò voluntariè passurũ, nec quicquam ei inopinatũ euenturũ, illorúmq; animi contra imminentia mala munirentur & confirmarẽtur: (leuius enim offendũt quę sunt præcognita) ac cùm viderẽt omnia euenisse quæ se passurum prædixerat, certius etiam futuram eius resurrectionem expectarẽt & crederent. Solis autem discipulis hęc seorsum aperit, tũ quòd hi essent familiariores, atque in fide & dilectione firmiores, qui proinde minus scãdalizari poterant huiusmodi prædictione quàm alij nequaquã ferre potuissent: tum quòd hi delecti erant vt primi testes postea essent eorum quæ ad tẽpus erãt celanda, nec testes modò sed & vt imminentis huius tẽpestatis aliqua ex parte essent participes. Porrò cùm superius semel & iterum suã illis passionem prædixisset in genere, nunc in specie eis explicat & passionis rationem, & omnem eius ordinẽ ac varietatem gradatim scilicet eis perfectiorẽ tradens cognitionem, & quo passionis tempus magis imminebat, eò etiam apertius & explicatius eam prædicens. Dicit ergo, Ecce ascendimus Hierosolymam: quasi dicat. Modò aduenit tempus de quo dudum vobis prædixi, quod oporteret me ire in Hierosolymam. Aduerbio enim, ecce, excitat eorum animos ad animaduersionem eius quod animis eorum penitus infixum esse volebat, significátq; præsens modò esse tempus de quo aliquando prædixerat. Addit autem, vt est apud Lucam: & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas, de filio hominis: quo & rationem & necessitatem suæ passionis aperit, nempè vt impleantur scripturæ Prophetarum, vt sic minus mirarentur & turbarentur. Deinde in specie explicat quæ sint illa quæ secũdũ scripturas passurus est, & quo ordine ea sit passurus. Primũ enim Iudæis se dicit tradendum, necdum tamen explicans quòd ab vno Apostolorum sit tradendus. Id enim reseruauit dicẽdum in vltima cœna. A Iudæorũ autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

primoribus se dicit condemnandum morte, quod tunc impletum fuit, quando in atrio Caiphæ Pontificis, concordi sententia clamauerunt: Reus est mortis Hinc se ab his tradendum dicit gẽtibus, Pilato scilicet & satellitibus eius Romanis, vt per hos mortis fiat executio, quæ per Iudæos iam fieri non poterat. Tradent, inquit Matthæus, cum gentibus ad illudendum, & ad flagellãdum, & crucifigendum Vbi aduertendum, quod tertiũ horum, scilicet crucifixio, fuit petita à Iudæis: duo autem prima, scilicet illusio & flagellatio, fuerunt effectus subsecuti traditionem Iudæorum, nõ autem procurati eo eis: & proinde præpositio, ad, in duobus illis prioribus denotat consecutionem effectus, nõ intentionem tradentium principum & scribarũ. Vnde Marcus & Lucas quæ secuta sunt traditionem Iudæorum, sic explicãt: Et illudent ei, gentes scilicet, & conspuent eũ, & flagellabunt eum, & postquam flagellauerint, occident eum. Quomodo apertius testari potuisset omnia se præscire quæ euentura essent, ac nihil inopinatũ obuenturum? Quomodo melius suos præmunire potuisset, & in illis nostram item fidem confirmare, quam dũ ostendit se voluntariè pati, cum conscius omnium quę passurus esset locũ accedit passionis, & dũ propter scripturarum adimpletionem, necessariã ostendit suã passionem? Ne autem nimis deiicerentur & tristarẽtur ob mortem eis prædictã, & vt cùm viderent euenisse quęcunque secundum scripturas se passurum prędixit, crederent etiam firmiter futuram secundum scripturas ipsius resurrectionẽ, prædixit etiam mox à morte se resurrecturum. At discipuli quãtũuis apertè ac frequẽter Dominus suam illam mortem prædiceret, tamen hic rursum Lucas testatur, nihil horum intellexerunt, vt certè pro illo tempore nihil eorum intelligi facilè potuit.

Factum est autem cum appropinquaret Iericho, cæcus quidam.] Omnino videri poterat hic cæcus cuius meminit Lucas, idem esse cum eo quem Marcus etiã prope Iericho sanatum memorat proprium eius nomen exprimẽs. Nomen enim ciuitatis, & facti omnimoda similitudo, multum suadent vnum & idem esse miraculum. Verùm

Verùm cum Lucas suum miraculum dicat à Domino factum cùm appropinquaret Iericho, Marcus verò suũ cum egressus esset è Iericho: dicendum potius duo diuersa esse miracula, etsi inter se simillima, & vnum quidem ante vrbis ingressum, alterum verò similiter contigisse post egressum. Sunt tamẽ qui putant propter nimiam narrationis similitudinem idem esse miraculum quod à Luca, & quod à Marco est descriptum, & Lucã quidem non fuisse anxiè solicitum de loco & tempore miraculi diligenter describẽdo, sed satis illi fuisse vt intelligeremus circa quem locum factũ esset miraculũ, sdque propter miraculi certitudinẽ, & vt ex hac historia disceremus & Domini benignitatem ac potentiam, & fidei in cæco exemplum. Ad quem fructum percipiẽdum nihil facit siue ante ingressum, siue post egressum miraculum hoc acciderit. Quam sententiam si quis sequi volet, ne quid falsitatis fateatur esse in Euangelistarum narratione, debet illud quod hic dicit Lucas: cùm appropinquaret Iericho: accipere dictum esse pro, cùm esset prope ciuitatẽ Iericho, quomodo hæc verba intelligi posse indicat D. Augustinus lib. 2. de quæstio. euãg. capit. 48. & vlterius dicendum Lucam per anticipationem hoc commemorasse miraculum, & sic quidẽ narrasse, quasi ante ingressum contigerit, cùm post egressum contigerit, quod satis esset scire circa Iericho cõtigisse. At quia secundum hanc sentẽtiam nimis abusiuè accipi deberet illud: cũ appropinquaret Iericho, aut fatendum (quod nequaquã est fatendum) aliqui falsitatis inesse euangelicæ narrationi, & quia quæ sequuntur apud Lucam apertè satis ostendũt illud quod modò narrat, factũ esse cum accederet Dominus Iericho, Augustinus tum lib. 2. de consensu euang. tum prædicto loco de quæst. euang. omnino vult intelligẽdum miraculũ à Luca descriptum diuersum esse ab eo quod Marcus describit. proinde eius sententiam tanquam receptiorẽ & veriorem sequi visum fuit. His aũt pro concordia euãgelistarũ obiter premissis ad rẽ ipsam veniamus. Itaque cũ Dominus è regione iuxta desertũ iter faceret, vt in præcedentib. dictum est, ad Ierosolymã, & obuiã haberet in hoc itinere ciuitatẽ Iericho, accidit vt cum appro

Universidad de Deusto
Biblioteca

pinquaret huic ciuitati, cæcus quidã sederet iuxta viã, stipem vt fieri solet,à prætereuntib.petens: quod nunc Dei dispositione ita factũ est,vt ne incessus Domini esset ociosus,sed vbiq; etiam in via beneficẽtię occasio ei præberetur,suóq; exemplo doceret vt in omnib.& semper simus proficui,& nũquã ignaui.Et *cũ audiret turbã prætereuntẽ,interrogabat.*]Cùm hic cæcus ex strepitu vocum & pedũ intelligeret magnã vim hominum prętereuntẽ,interrogabat quid hoc rei esset.Est enim cęcorũ genus eo curiosius,quod oculis careat. *Dixerunt autẽ ei* Responsum est ei,quod Iesus Nazarenus transiret. Tũ ille prę⁻nus neglectis omnibus prętereuntibus,à quibus multam eleemosynam sperare potuisset, ad solum Iesum conuersus,cõcepta fiducia ex his quæ de illo aliquando audierat ,clamabat dicens: *Iesu fili Dauid,miserere mei.*]Oratio magnæ fidei index,& planè Christo digna,qua & Matthæi 9.alij duo cæci visum impetrauerunt,& mulier Cananæa, filiæ sanitatem. Quod dicit, fili Dauid: non c⁻id tantum dicit, vt,quemadmodum quidam volunt,blandimento quodam Dominum magis commoueret quia scilicet honorificum erat natum esse ex regio semine Dauid:sed ob id potius dicit,quòd crederet eum esse Messiã qui expectatus fuit ex semine Dauid,& ob id,vt prius aliquoties est annotatum,passim tum apud Iudæos ea periphrasi notabatur vt vocaretur filius Dauid. Alioq quomodo vel hic cęcus vel alij similes ita sciuissent eũ qui Galilęus & Nazarenus dicebatur,natũ ex semine Dauid, nisi quia certò credidissent esse Messiam,quem sciebant fore filium Dauid? Itaque cum alij renunciarent Iesum Nazarenum trãsire,ipse magnificentius de eo sentiens.Iesum filiũ Dauid nominat.Quod dicit misere mei , significat ipsum certò credidisse posse illum pellere cæcitatem, si tantùm vellet,dum nihil aliud ab eo implorat quàm misericordiam,conuenitque illud miserere mei diuinitati Christi,cui vt alicuius subueniat miseriæ, nihil aliud est opus quàm vt eius misereatur , cũ plerique hominũ nequeant subuenire ei cui miserentur: quamquam nõ sit verisimile hunc aut alios dixisse Christo,miserere mei, ob creditam tum ab eis diuinitatem eius, sed tantũ ob creditam

creditam eximiam eius potẽtiam à Deo ipsi collatam, qua posset quicquid veller.Tamẽ vt oratio hæc ab ipso Spiritu sancto profecta est , qui proculdubio tantæ fidei in istis author fuit illud,miserere mei,Christi indicabat diuinitatem: proinde Christo planè dignam dixi hanc orationẽ non solùm ob eius breuitatem, sed etiã quòd vtrumq; eius naturam indicet: humanã quidem, cum dicitur filius Dauid:diuinam cum dicitur:miserere mei. *Qui præibant increpabant eũ vt taceret.*]Vnde datur intelligi,quòd clamare cœperit antequam Dominus circa illum esset,quódque ĩpius & validè clamarit.)Suspicabantur enim cum vulgatẽ peteret eleemosynam,& metuebant ne improbitate mendici offenderetur trãsiens Dominus.Quo autem magis turba obstrepebat,tanto vehementius cæcus clamabat , eadẽ iterãs sanctæ improbitate,declarans hac ratione ardens cõsequendi visus desiderium,& inuictum fidei robur.Quoniam enim non licebat videre Iesum,nec illum accedere,ideo magis intendebat vocem nesciãs quantum abesset quem appellabat,& obstrepẽtis turbæ voces superare adnitẽs Illo ergo in clamore perseuerãte, Iesus q aliquoties clamantem dissimularat , tum ne videretur cupidus edendi miracula causa ostentationis,tum vt euidentiorẽ redderet cæci fiduciam,nósq; doceret, perseuerantia opus esse in orationibus,tandẽ restitit, (non enim, vt reliqui putabant,eius clamore offendebatur, sed delectabatur)iussitque illum adduci ad se. Quãquã enim etiam nõ adducto cæco,solo verbo ipsum sanare potuisset: adduci tamen illum ad se potius iussit, quo omnium oculos ad miraculi considerationem cõuerteret,essetque miraculum euidentius.Cùm autem veniret ad Iesum,interrogauit illum: *Quid tibi vis faciam.*]Nõ quòd ignoraret quid ille cuperet , sed vt illo palam agnoscẽte suum malum,& explicante suum desiderium, miraculum ab omni esset liberum calumnia, ne aliqui dicere possent,hunc verè non fuisse cæcum,aut Iesum ostentationis grana pro desiderata stipe contulisse visum. Solent enim quidam mendici fingere cæcitatem, quo plus accipiant , & fortassis etant in turba cõplures qui nihil aliud petiturum putabant quàm stipem.Solet

enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim & Dominus, tametsi iuxta mundū pauper, ex his quę donabantur ab amicis, aliquid elargiri pauperibus. Cęcus autem magna cum fiducia, rerum omnium aliarum securus, nihil aliud petit quā visum. *Domine vt videam.* Jq. d. Domine, volo te mihi facere vt videam, pauciſſimis rurſum vſus verbis, ſed quę magnam prę ſe ferebant fidem. Tum itaq; Dominus aprē reſpondēs illius fiduciæ, verbo reddidit viſum, ſumma cū maieſtate dicens. *Reſpice.*] hoc eſt recipe viſum. Græcē enim eſt ἀνάβλεψον. Addidit autem ſolitum illud fidei elogium: Fides tua te ſaluum fecit, idq; tum in fidei commēdationem, qua in imitari nos voluit, vt ſanitatē ab ipſo ſpiritualem cōſequi poſſimus: tum in exemplum humilitatis, alienum ſeſe ab omni arrogantia declarās, vt & alibi circa hanc Domini ſententiam dictum eſt. Et conſeſtim vidit qui cæcus fuerat, nec tamen reddit ad mēdicitatis ſedē, ſed vt prius declarauit fidei magnitudinē & conſtantiam, ita nunc accepto diuinitus beneficio lętus gratum ſe exhibēs. Vnde ſequitur: Et ſequebatur illum: non ſeſe ſuámque fidem commendans quàm commendarerat Ieſus, ſed magnificans, vel, vt Græca habent, glorificans Deum, à quo tātum beneficium profectum agnouit, & cui ſoli omnis gloria eſt tribuenda. Quin & populus cōſpecto tam inſigni miraculo, quod, ſi adfuiſſent Phariſæi, calumniari ſtuduiſſent, dedit laudē Deo, cuius virtute Ieſum non dubitabant edidiſſe miraculū. Et hactenus quidem literalis hiſtoriæ tractatio, ex qua vt fructum ſpiritualem cōſequamur, imprimis quidem in genere in ipſa hiſtoria obſeruāda tum Chriſti benignitas & potentia, vt ea in Chriſto admiremur & amplexemur: tum cæci fiducia & conſtans deſiderium, vt hæc in ipſo imitemur. Vt autem in ſpecie partes hiſtoriæ tractentur myſtice, (miracula enim Domini & ſaluatoris noſtri, inquit Gregorius ſic accipienda ſunt, vt & in veritate credantur facta, & tamen per ſignificationem nobis aliquid innuant) ſecundum intelligentiam quæ peculiariter allegorica dicitur, cæcus iſte deſignat genus humanum, cæcum ignorantia veri, mendicum inopia omnium virtutum, quod veluti iuxta viam ſedebat mendicans, quia ab omnibus philoſophis & doctoribus

ctoribus huius mūdi quærebat paſci doctrina ſalutari. Chriſto verò tranſeunte per viam huius mundi, & appropinquante Iericho, hoc eſt, defectum noſtræ mortalitatis aſſumente (Iericho enim, quod interpretatur Luna, rectè defectum noſtræ naturæ aut mundum iſtum ſignificat ob lunæ inſtabilitatem) humanum genus lumen quod amiſerat recepit, idque conſtanti fide & inuocatione nominis ipſius, à qua tamen qui præibant Ieſum, ſynagogæ Iudæorū ſcilicet & philoſophorū ſcholæ, homines reuocare conabantur. Secundum moralem autem hiſtoriarum ſacrarum tractationem, cæcus hic homo & mendicus, typus eſt cuiuſlibet peccatoris, veri cognitione & virtutibus deſtituti. Hic ſi viſum ſit recepturus, imprimis quidem neceſſe eſt iuxta viam ſedeat mendicans, hoc eſt, vt cæcitatem cordis ſui & inopiam agnoſcens, alienam opem imploret. Ita fiet vt Ieſus incipiat trāſire circa eum. Tranſit autem quandocunque nomen ipſius & doctrina palam prædicatur, aut interpeccator ſanitatis auidus vbi ſenſerit adeſſe Ieſum, non debet ſinere elabi præſentem occaſionem, ſed conſtanti clamore fatigare eius aures, nec deſiſtere, etiamſi multa turba ſuadeat ſilentium, ſed eo inſtantius illum inuocare. Reclamat enim inuocationi nominis Chriſti ſynagoga Iudæorum, dicens non in illo eſſe ſalutem, ſed in Moſe. Obſtrepunt & philoſophi, & principes ethnici, & quotquot peccatorem in ſuis vitiis retinere ſtudent. Reclamat conſcientia non vna voce, ſed tot vocibusquot admiſſorum ſibi conſcius eſt animus. Suffocare nititur pium deſiderium & orationem turba carnalium phantaſmatum & cogitationum, quæ mentem ipſius præoccupauerunt, quæ cuncta per eos qui præibant rectè deſignata intelliguntur. Quòd ſi his licet reclamantibus, peccatores tamen tanto ardentius orationi inſiſtat Ieſus etſi in tranſitu exiſtens, non præteribit tamen, ſed ad illius clamorem reſtabit. Stat enim, inquid Gregorius, qui antè trāſibat, quia dum adhuc turbas phantaſmatum in oratione patimur, Ieſum aliquatenus tranſeuntem ſentimus: Cùm vero orationi vehementer inſiſtimus, ſtat Ieſus vt lumen reſtituat, quia Deus in hoc

de ſigitur,

de figitur, & lux amissa reparatur. Cum autem sereuit Iesus, & iam menti quietem aliquã contulerit, iubet inuocantem se adduc ad se, quia siue per doctores euangelicos, siue etiam afflatibus arcanis cũ sibi propiorem facit. Quærit autem, quid tibi vis faciam, quia etsi sciat pater cœlestis quo indigeamus, & quid desideremus antequam petamus eum, vult tamen nostras necessitates exponi sibi, vt ad orationem animus magis excitetur, sicque aptior fiat ad impetrãdum quod petit. Itaque si malum & inopiam suam fateatur peccator, & instanter orauerit, peccatus non aurum & argẽtum, sed visum & cognitionem veritatis, mox à Christo impetrabit. Vbi autem impetrauerit, cauendum ei ne ad pristinum redeat locum, nec amplius iuxta viam sedeat, aut mendicet, sed agnoscens se non amplius indigum, sequatur in via Iesum ad crucẽ pergentem, nec tãtum sequatur, sed simul animo grato Dei semper in se glorificet gratiam. Videt enim & sequitur, inquit, Gregorius in homilia, qui bonum quod intelligit operatur. Videt autem, sed non sequitur, qui bonũ quidem intelligit, sed bene operari contemnit. Et subiicit: Si ergo fratres charissimi caritatem iã nostræ peregrinationis agnoscimus: si credendo in redemptoris nostri mysteriũ iuxta viam sedemus: si exorando quotidie ab autore nostro vitę lumen petimus: si eadẽ luce iam per intellectũ videndo, illuminati post cæcitatem sumus, Iesum quẽ mente cernimus, opere sequamur. Atpiciamus qua graditur, & eius vestigia imitando teneamus. Hæc ille. Bene aũt nobis obseruanda cædi huius orationes breuissimę quidẽ, sed sensuum plenissimæ vt & nos huius exemplo discamus non quidem orare multiloquio, sed tamen instanter & assiduè idque eis quibus ipse orauit verbis. Prior enim eius oratio qua in genere precatur Christi misericordiã, dicens: Iesu fili Dauid, miserere mei, in omni cõuenit tempore & orandi necessitate. Quiduis enim à Deo petituri, misericordiam eius solam rectè imploramus, cum omnia nobis ab illa fiant expedãda, adeo vt & vita æterna, quæ tamen merces est bonorum operum ex Dei nobis proueniat misericordia. Dicit enim Propheta: Qui coronat te in misericordia & miserationibus. Posterior aũt eius oratio

Psal.102

oratio, qua in specie certam precatur misericordiam Christi, dicẽs: Domine da vt videam: si de spirituali intelligatur visione, nos admonet qui maximè in specie petere debeamus, nempe non honores huius mũdi, diuitias, aut voluptatem, sed visum oculorum mentis, ita vt nos assiduè dicamus: Domine, da vt videam. Da imprimis vt videam, hoc est, per fidem cognoscam te solum verum Deum, & veram veritatis viã qua ad te perueniatur. Sic Propheta: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Da deinde vt videã & agnoscam vanitatem huius seculi, vt videam admissa à me peccata & proprias imperfectiones, vt videam, te semper in conspectu meo, ne commouear, vt videã tempérque ob oculos habeam vltimum vitæ meæ finem, ne vnquam obdormiã in morte. Da postremũ vt videam post hãc vitam te facie ad faciem in gloria tua, vt satier cùm apparuerit mihi gloria tua. Quòd si obseruemus significationem verbi Græci, quod est Græcis pro verbo, videam, magis inuenietur hęc oratio in mystico sensu nobis conuenire. Est enim, ἀναβλέπω, quòd duo significat, nempe visum post cæcitatem recipere, & sursum aspicere. Precandum itaque vt visus nobis restituatur, depulsa vitiorum caligine, & vt ne oculi nostri in terrenis figantur rebus, sed sursum attollantur ad cœlestium considerationum.

Psal.118

DOMINICA IN QVADRAGESIMA.

EVANGELIVM.

IN illo tempore: Ductus est Iesus in desertum à spiritu vt tentaretur à diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit: Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit ab ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dicit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis

Matt. 4

Dominum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus, Vade Sathana Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus. Et ecce, angeli accesserunt, & ministrabant ei.

INter septem dominicas, auditores in Christo dilecti Domini passionem præcedentes, hæc, vt est quarta, quartam quoque mundi ætatem significat, quæ tametsi apud fidelem populum in optimo statu fuerit constituta, tam scriptura teste, tam legem & diuinum cultum quæ ad religionem spectant, quàm Reges & prophetas, quibus Respub. administrabatur, cõtinebat; Nemo tamen repertus est, qui vel seipsum vel populum, a diaboli peccati, mortisve seruitio potuisset asserere. Reges quidem, vt Dauid, Iosaphat, Ezechias, Iosias gladio externo visibiles hostium acies expugnabant: Et prophetæ: Samuel, Elias, Eliseus, & alij subsequẽtes, inuisibiles dæmonum nequitias spiritus gladio propulsabãt. Omnes in hoc erat, vt Respub. vndequaquam floreret. Vera tamen liberatio soli seruabatur Christo, quem vnum omnes expectare cogebantur. Tanto itaque gratior nobis erat aduentus, & passio Christi, quo pluribus, & diutius fuit expecta. Porrò, sic nobis ad futuram passionem præparandus est animus, vt ipsius exemplo mo-

Rom.8. niti, sequi caput nostrum membra discamus, compatiamur necesse est, si coregnare volumus. Iam verò Christus, non in cruce tantum passus est, sed in deserto etiam ieiunans, famem, sitim, & perhorrẽdos cum Satana conflictus pertulit. Si igitur verum es, & viuum Christi

Augustin. lib. 4. de Trinitate membrum, ad ipsius te componas exemplum. Nam D. Augustinus, seipsum, inquit, Dominus tentandum præbuit, non solum, vt ad superandas tentationes meditor esset per adiutorium, verum etiam per exemplum. Adiutorium consolatur, exemplum ad imitationem hortatur. Habemus itaque duplicem huius operis Christi vsum, vt consolemur, deinde vt imitemur. Renatos

Iob 7. nos infectatur Pharao, non secùs quàm olim inuictum

Dauidem

Dauidem Saul, vt non sit aliud ita hominis, quam militia super terram. Deinde etiam cora nostra, domesticus videlicet hostis, subinde nos ad peccatum sollicitat, vt ad Rom. & Gallatas Paulus conqueritur. Cui quidem hosti, & inimico domestico, ieiunij, & abstinentiæ frenа iniiciantur necesse est. Quemadmodum enim pertinacis, effreni, indomito & ferocienti equo, de solito & consueto pabulo aut detrahitur, aut stipula pro auena apponitur: Ita etiam carni nostræ, quæ internorum spirituum, copiosisque alimenti virtute, menti resistit, annona subtrahenda est. Si etenim primæ scientiarum omnium inuentrici experientiæ credendum est, sine Cerere & Baccho, Venerem frigere, manifestum est. Quid insanius, quã inferiores homines, toties experto infidelibus cibis infarcire, & vt pullum Iunonis alere: Qui delicatè enutrit seruũ suum, postea sentit eum contumacẽ, Item: Inexercitatus est dilectus, & recalcitrauit. D. Paulus vas electionis, tot periculis, tot certaminibus probatis, legem membrorũ adhuc formidabat, ieiuniisq; multis corpus suũ castigabat, & in seruitutẽ redigebat nec, cum aliis prædicaret, ipse reprobus efficeretur. Itaq; D. Petrus sobrij, inquit estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, &c. Et ad Titum Paulus Sobriè, piè, & iustè viuamus in hoc seculo. Et ad Ephes. Vide quibus armis nos instruat Paulus contra satanam quæ Christus tribus verbis expressit. Attendite, ne grauentur corpora vestra crapula & ebrietate. D. Chrysost. ieiunium, inquit, vera est animarum tranquillitas, sensũ decus, adolescentũ pedagogus, continentium magister, qui omnẽ ætatem & sexum, diademate quodam ornat. Ex nõ obseruato ieiunio, mors introiuit in mundũ, cum primi parentes nostri mandatũ Dñi, de non edẽdo pomo, violarẽt, Esau primogeniti dignitate priuatur: Prophęta à leone occiditur: Filij Aaron sacerdotes nõnne, quia in ministerio vinũ gustarant, perierunt Ionathas, quia indictũ à patre ieiunium, non obseruauit, nullum Rex Saul responsum à Domino cõsequi meruit. Quando itaq; vides, quantum malorum sit operatũ contrasium, quantum bonũ ieiunij & abstinentia ab his, quæ

Prou.19. Deut.31. 2. Cor.11. 1. Cor.9. 1. Per.5. Ad Ti.2. Ephes.6. Luca 21. Ser. de ieiunio & Geneseos lectione. Ser. 2. in Genesim. Chrysost. ser.1. & 2. de ieiunio Petrus Chrysologus ser.8. 12.31.41.

Universidad de Deusto
Biblioteca

licita sunt, conferant, perpendas. Nam Moses & Helias testamenti veteris arces, & optima ornamenta, licet & alias cœlestem virtutē confiteri merebantur, tamē quādo suis auribus diuinā vocem inhærere cupiebant, ad ieiunij subsidium conuolabant, vt ipsius quodammodo patrocinio, eorū deprecatio tolleretur ad cœlū. Et cum in paradiso ieiunium à Deo pro magna commoditate parentibus nostris indicitur, multo magis extra paradisum necessariū postulatur. Et cū ante plagam remediū vtiliter demonstratū est, multo magis sauciatis, appetendum est, vt præstet vulneribus sanitatem. Laram etiam homini contra Natiuitas sententiam ieiunij reuocauit. Cum ieiunio Daniel in lacum leonū ingressus est, & eorum tantam mansuetudinem sensit, vt simplicitatem ouium arbitraretur: Cum ieiunio, & tres pueri fornacem ingressi, incolumes & intacti euaserūt. Quod si igitur pro temporali salute ægri medicis obediunt, & arduam parcitatē obseruant, quare pro sempiterna salute, sit durum Christo moderatis obedire ieiuniis? cōsipus gubernare mensura? mētem regere parcitate? sensum sobrietate frenare? Sed iam ex hodierno Euangelio quomodo & ipse Christus nobis omnibus exemplo suo ieiunium commendārit, audiamus.

1. Reg. 14

Chryseft. Hom. de Iona prophet.

Petrus. Chrysolog. Ser. 41.

Vbi dicitur Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo.] Posteaquam spiritus sanctus in specie columbæ super Christū descendisset, dicitur à Luca iam plenus spiritu sancto. Regressus autem dicitur à Iordane, quo eius exemplo disceremus non esse baptizato persistendū circa baptismata & lotiones, sed cōmittendum esse ad sublimiora studia pietatis. Porrò q statim à baptismo sese à turba subduxit saluator, atque in desertum secessit, primùm quidē fecit. Vt declinando turbam apud quam cœlestibus signis commendatus erat humilitatis nobis exemplum relinqueret, deinde docere voluit eum qui iam baptizatus est, & spiritu Dei donatus, sese subducere debere à tumultu vitæ carnalis ac turbæ conuictu, qui frequenter inquinat, præcibusque ac contemplationi rerum diuinarum insistendum, potissimum autē id faciendum ei qui alios

alios est docturus, quem necesse est à vulgi cōmercio ad tempus alienū esse, ne moribus illius coinquinetur, ne autoritas ipsius eleuetur, ac in solitudine contēplationi deditus robur spiritus sibi colligat. Subductionem autem Christi à turba Matthæus in Græcis pulchrè notat. Nam pro eo quod nos habemus: ductus est a spiritu, Græcè est ἀνήχθη quod Erasmo teste magis est, subductus est, & è medio ablatus, à quo tamē simpliciter dicit Lucas, agebatur, hoc est, ducebatur. Est enim ἄγειν, quamuis etiam possit accipi pro, impellebatur. Nam Marcus dicit spiritum, (nō dubium quin sanctum, quo plenum eum dixit Lucas) expulisse vel eiecisse in desertū. Actus autem & expulsus à spiritu sancto dicitur, non quòd contra voluntatem suam eò adigeretur quomodo agūtur bruta: sed quo efficacia spiritus quæ erat in Christo, quæque est in his quos possidet spiritus sanctus, significaretur. Non enim tantùm ducit spiritus ostendendo quid sequendum sit & faciendum, sed etiā ipse in sanctis facit vt illud faciant ideoque cum omni alacritate sine cunctatione, ad quod significandum nō solū ductus dicitur à spiritu, sed & actus & expulsus. Sic & Paulus ad Romanos 8 Quicunque spiritu Dei agūtur, hi sunt filij Dei. Et bene quidem hoc loco à spiritu actos & ductus dicitur, ne suo humano spiritu aut homine aliquo impulsore mirandum ieiunij sui exemplū quod irrationabile videri posset, & omnia quę deinceps vel facturus esset, vel docturus, facere videretur, sed solo diuini spiritus impulsu: vt doceremur: postquā per baptismum in filios Dei renati sumus, nihil iam nostro spiritu tentandum, & secundum carnem non amplius viuendū, sed vt decet filios Dei oportere nos eius spiritu agi in omnibus. Desertum autem quod Christus secessit, solitudo fuit nullis habitata hominibus. Vnde Marcus dicit eum egisse cum bestiis. Causam autem ob quam in desertum secesserit Christus, solus Matthæus reddit dicēs: *vt tentaretur à diabolo,*]non quod hęc sola fuerit causa. Nam & superius aliæ dictæ sunt, sed quod hæc fuerit præcipua inter multas. Et hoc autem nō est intelligendum licitum esse & bonum exponere nosipsos tentationibus diabolj, & velle ab eo tentari. Non enim

Rom. 8.

An bonū sit exponere tentationi daemon.

Universidad de Deusto Biblioteca

enim hic dicitur Christus voluisse ab eo tẽtari, sed ãctus dicitur à spiritu vt tẽtaretur, quo significatur spiritum Dei id intendisse, qui & plerósque iustos aliquo impellit, vt ibi in bonum suum & Dei gloriam tententur à diabolo. Et tamen etiam verum est Christum voluisse à diabolo tentari, ad quem superandum veniebat. Velle enim id poterat, vt qui sciret se ab illo superari non posse. Tentari autem voluit à baptismo. Primum quidem, quo ostenderet baptizatos postquam mundo ac vitiis omnibus vale dixerint, nõ debere esse securos, sed tunc maximè tentationes diaboli instare, vt cuius iã facti sint hostes: ac proinde tunc maximè vigilãdum, ac arma contra eum sumenda, ne illi succumbãt, nec turbari eos debere, si eum qui omnem odit virtutẽ, quẽque sibi iam capitalem hostem reddiderunt, oppugnãtẽ sentiant. Vnde Eccle. 2. dicitur: Fili accedentes ad seruitutem Dei, sta in timore, & prepara animam tuam ad tentationem. Deinde, vt sicut morte sua mortem nostrã superauit, ita & nos tentationibus nostras vinceret, atque in seipso nobis demonstraret deinceps vinci posse à nobis per ipsum eum qui hactenus hominũ genus vicerat. Tertiò, vt & rationẽ quam illũ superaremus nobis suo exemplo commonstraret, ieiunio scilicet, oratione ad scripturam meditatione, verbóque Dei. Præterea, vt per tentationes suas verum se hominem comprobaret, ac intentationibus maiorem fiduciam nobis largiretur adiutorij & miserationis infirmitatum nostrarum. Vnde Hebr. 4. dicitur: Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Postremùm, quod attinet ad eos qui aliis docendis destinantur, tentari voluit priusquam Euãgelicum munus aggrederetur, quo doceret tum demum hoc negotium rectè obiri posse, cùm quis prius probatus variis tentationibus, superior omni concupiscentia voluptatis honoris & diuitiarum fuerit. Desertum autem tentationi electum est, vt ostenderetur diabolum solitarijs maximè insidiari, vt quibus eum solo diabolo pugnandum sit, subacto scilicet mundo & carne. Notandum quoque hoc dictum esse: vt tẽtaretur à diabolo. Non enim sicut

sicut nos à concupiscentia sua tentari potuit, sed tantùm à diabolo & ministris eius.

Et cum ieunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Moyses legẽ à Dño accepturus eámq; populo traditurus, quadraginta dies ieiunauit, semel & iterum, ab omni humano tum consortio, tum cibo abstinens, sdq; quo sic apertè ostenderetur legẽ illam planè diuinam fuisse. Totidem dies ieiunauit & Helias, priusquã Dominũ videret in Horeb, & ab illo mitteretur ad vngendum regem Syrię, Israelitis regem & Prophetam, per quos tota ferè in regnis illis rerũ facies fuit mutata Christus ergo quem illi adũbrarunt, priusquã nouã legem, Euangelium scilicet orbi inuulgaret, atque omnia innouaret, totidem dies à consortio hominũ secedere & humano abstinere cibo voluit, quo significaret se istis non minorem & ad similia, sed maiora destinatum ac Euangelium consentire cum lege ac Prophetis, vt vult Augustinus ad Ianuarium. Cæterũ quadragenarius numerus multis Dei operibus celebris factus est. Nam rer quadraginta annos dedit Dñs spatium resipiscenti mundo, priusquã tempore Noe diluuio humanum genus disperderet: Quadraginta postea dies inundauit diluuiũ. Decies quadraginta annos peregrinatus fuit & seruiuit Israel in Ægypto. Quadraginta diebus duodecim exploratores circuiuerũt terrã Chanaan. Tot annis in eremo circunducti patres, cœlestis alimoniæ gratiam consecuti fuerunt, nec antequam mystici numeri tempus explerent, terrã promissionis intrare meruerunt. Moses quadraginta dies apud Dominum bis pro lege recipienda absq; cibo mansit. Elias quadraginta dies ambulauit vsque ad mõtem Dei Oreb. Tot diebus purificabatur mulier quæ peperit masculũ. Quadraginta diebus dormiuit Ezechiel in visione super latus dexterũ, assumpta iniquitate Iuda, vt est Ezechiel. 4. Post totidem dies euertendam Niniuem prædicabat Ionas. Totidem diebus approbauit Christus discipulis suis resurrectionem suam. Quadragesimo anno post passionem Domini apprehendit Iudæos vltio per Romanos, auctore Hegesippo. Ex his apparet, numerum quadragenariũ sacrum ferè habitum in præparationibus & peccatorum

Numerus quadragenarius celebris.

1. Reg. 16

Ezech. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

expurgationibus, atque designare nobis tempus vitæ præsentis, quod pœnitentia, abstinentia, & lucta cum aduersitatibus & malis est transigendum, sicut numero quinquagenario tẽpus vitæ futuræ, omnisq; fœlicitatis designatur. Voluit ergo Dominus hunc quadragenarium numerum in hoc suo secessu cõpiere, quia ad hoc præparabatur, vt regno cœlorũ præpararet genus mortalium, salutémq; æternam orbi annũciaret & adferret. Deinde quo suo exemplo nobis ostenderet toto vitæ huius nostræ tempore vacãdum esse castigationi carnis, atque à vulgi opinionibus quàm maximè licet secedendũ esse. Porrò ex Marco & Luca apparet Christum nõ solum fuisse tentatum à diabolo post dies 40. quãuis ex solùm tentationes expresè narrẽtur: Matthæo & Luca. Nam Marcus quidem dicit: Et erat in deserto quadraginta diebus, & tentabatur à satana: nisi sic intelligatur, & post hos dies tentabatur à satana, sicut intelligendum est quod sequitur: Et angeli ministrabãt ei. Ex Luca verò manifestius videtur etiã tempore dierum 40. Christum tentatũ. Nam quod nos legimus in Luca: agebatur in spiritu in desertum diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo: Græcè non est, & tentabatur sed tantum participium πειραζόμενος, tentatus, vel tentationem patiens: Illúdque diebus quadraginta (pro quo Græcè est μεμεσονυκτήμερα hoc est per accessatiuum, dies 40.) ita positum est, vt possit vel ad superiora, vel ad inferiora referri. Verùm mollius est vt ad inferiora pertineat, non quòd toto hoc tempore tentatus, sit, sed quod frequẽter. Certè Origenes ita legit, vt sentiat eum quadraginta diebus tẽtatũ fuisse. Sic enim ad superiora referatur, non satis aptus erit sermo: agebatur in desertũ 40. dies vel diebus. Non enim tot diebus ad desertum agebatur, vnde multi legunt, in deserto, verùm obstant Græca & Latina emendata. Quare si cum superioribus illud iungendum, est aliquid subintelligendũ erit, agebatur in desertum, existens ibi quadraginta diebus. Non excessit autem Christus numerum quadragenarium ieiunando, tum quòd hic numerus sit pœnitentiæ & afflictionis, tum ne si diutius ieiunasset quam Moses & Helias, non videretur verus fuisse

fuisse homo. Noctium autem etiam fit mentio, quemadmodum & in ieiunio Mosis, ad distinctionem ieiunij Christi à ieiuniis Iudæorum qui toto die ieiunantes, in vespera & nocte cibum sumpserunt. Lucas verò nocten non ponens loquitur de diebus naturalibus nocte cõplectentibus. *Postea esurijt.*] Cum post quadraginta dies esurijsse dicatur, satis significatur tẽpore quadraginta dierum non esurijsse, diuinitate scilicet corpus sine esurie conseruãte. At expleto mystico numero, humanam naturam sibi relinquens Dominus esurire voluit, tum vt se verum hominem comprobaret, tum vt diabolum occasione esurici ad dubitandum & tentandum lacesseret, ac lacessitum arte quadã diuina & pia frẽno de vinceret, qui prius suis dolis vicerat genus humanũ. Quãquam autem non ad hoc potissimum ieiunauit Christus quadraginta diebus, vt nos ad illius exemplum eodem dictum numero ieiunaremus (quis enim Christũ tot diebus sine omni cibo atque esurie ieiunantem imitari posset?) sed ideo potissimum ieiunauit, vt tanto tempore quanto Moses, contemplationi ac precibus vacãs, atque ab omni humana actione segregatus, atque tentationibus probatus sic demum procederet ad proferendum diuinum Euangelium: tamen quo aliquatenus Christiani omnes hoc Christi factum imitarentur, statutũ ab Ecclesia vt singulis annis omnes quadragesimale ieiunium obseruarent ante Pascha, in qua quidem obseruatione Christum imitamur, tum quod sicut ille 40. diebus ieiunauit, ita & nos modo nobis possibili, tum quod sicut ille tunc ab omni cibo abstinuit, quo assiduis vacans precibus & contemplationibus veluti paratior proditet ad Euãgelicum negotium, ita & nos à solito edendi more abstinentes, ac ieiunij occasione plus temporis orationi & piæ meditationi impendentes, paratiores & aptiores simus ad dignius celebrandum dominicum Pascha. Ob hanc enim causam quadragesimale ieiunium ante Pascha institutũ fuit, quam quam præter hanc & aliæ coincidant, videlicet vt quoniam eo tempore Domini passio attẽtius celebratur, & nos ieiuniis nosipsos affligentes carnémq; crucifigentes cum illo patiatur. Deinde quoniam eo tempore

Quadragesimæ ieiunij obseruandi ex imitatione Christi & institutione Apostolorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnia velut repubescentia acrius ad molliciem sollicitant, & medullarum calor efferuescens, carnem magis spiritu rebellem ac contumacem efficit, nullo alio tempore magis è publica fuit salutè vt ieiuniũ istud institueretur, quo multæ peccandi occasiones homini quantũ liceret præciderentur. Porrò obseruatio ista ex ipsa traditione Apostolorum manasse videtur, quæ etsi fortè non à principio omnes expresso præcepto astringebat, tamen omnibus seculis, atque in omnibus orbis partibus obseruata, robur & vim legis obtinuit. Vnde Hieronymus in epistola ad Marcellam aduersus Mõtanum: Nos, inquit, vnam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo, ieiunamus. Illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint saluatores. Non quod & per totum annum accepta Pentecoste, ieiunare nõ liceat, sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre. In quibus verbis notãdum quod dicit obseruare nos quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, id- que necessitate: De quadragesima autẽ Augustinus ad Ianuarium Epistola 119. hoc modo: Quadragesima sanè ieiuniorũ, habet autoritatem in veteribus libris ex ieiunio Mosi & Heliæ & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit: demonstrans Euangelium nõ dissentire à lege & Prophetis. In qua ergo parte anni congruentius obseruatio quadragesimę constitueretur, nisi confinis atque contigua dominicæ passioni? Quia in ea significatur hæc vita laboriosa, cui opus est continentia, &c. Et post quædam: Vt quadraginta illi dies ante Pascha obseruentur, Ecclesię consensio roborauit. Ambrosius quoq; in sermonib⁹ de quadragesima asserit, ab Apostolis atque ipso Deo traditam obseruationem quadragesimæ, & potissimum sermone 36. vbi quadragenarium ieiunij numerum dicit non esse ab hominibus constitutum, sed diuinitus consecratum, nec terrena cogitatione inuẽtũ, sed cœlesti maiestate præceptum. Et post pauca: Hæc autem non tam sacerdotũ præcepta quàm Dei sunt. Idem sermone 34. Quisquis Christianus consecratã ieiunãdo non impleuerit quadragesimam, præuaricationis & contumaciæ reus tenebitur,

bitur, quod legem diuinitus pro salute sua datam prandendo ipse rescindit: Et post pauca: Sicut reliquo anno ieiunare premũ est, ita in quadragesima non ieiunare peccatũ est. De quadragesima sic Ignatius epistola quinta: Dies festos nolite inhonorare, quadragesimam verò nolite pro nihilo habere, imitationẽ enim continet Dei conuersationis. Hebdomadam etiam passionis nolite despicere. Vide & Chrysostomum super Genesim hom. 30. Proinde non est verum quod quidam asserunt: Telesphorum primùm instituisse ieiunium quadragesimæ, sed, vt satis patet ex Platina, illi ieiunio adiecit aliquot dies, statuens clericis esse ieiunandum septem hebdomadibus ante Pascha, vnde quinquagesimæ Dominica nomẽ accepit. Idem videre licet in decreto distin. 4. ca. statuimus. Idẽ & Gregorius Augustino Angelorũ antistiti scripsit, vt habetur dist. 4. cap. Denique. vt sacerdotes & diaconi à quinquagesima ieiunare inciperent, quo aliquid ad sanctæ institutionis pensum adiiciant. A quo Gregorio aut circa eius tempora videtur statutũ vt patet in Homil. quadragesimæ, vt ieiunium omnium inciperet à quarta feria septimæ hebdomadæ ante Pascha, cum prius, vt satis apparet ex Ambrosio, sex tantũ hebdomadibus ieiunaretur. Fuisse autem antiquissimis etiam morẽ abstinendi à carnibus in his ieiuniis, satis patet ex his quæ in historia Tripartita scribuntur capite 10. lib. 1. de Spiridione episcopo Cypriorum.

Et accedens tentator dixit illi: Si filius Dei es, dic vt &c.] Cum dicitur accessisse diabolus significatur in visibili & humana forma diabolum apparuisse & aduenisse. Accedere enim est progressiuus motus. Ex quo & illud satis conuincitur vniuersam hanc, quæ scribitur, tentationem foris fuisse non intus, quemadmodum & tẽtatio ea quę primos parẽtes ad peccatum sollicitauit. Sicut enim hominem in statu innocẽtiæ diabolus tentare non potuit, nisi per externam suggestionem: ità etiam perfectionem Christi dedecuisset à diabolo tentari per interiores cogitationes phantasiæ contra spiritum, audire autem exteriores ad malum sollicitationes nõ dedecuit, vt illas vinceret. Porrò nequam spiritus tribus his ab Euangelistis nominibus appellatur, scilicet tentator,

Tentare quid sit:

tator, diabolus, & satan vel satanas. Est autem tentare proprie, rem incertam & incognitam explorare, experiri, & diligenter inquirere. Secundum quam significationē in scripturis Deus dicitur homines præceptis & afflictionibus immissis tētare, quia scilicet quales sint probat, nō quidem vt ipse cognoscat, sed vt quales sint, ipsimet & alij cognoscant. Sic & homo dicitur Deum tētare, cùm de diuina vel bonitate, vel potētia diffidus experiri vult quid possit, aut quid factus sit, quomodo

Psal. 77. tentauerunt Deum Israelitæ, dicentes: Nunquid potest Deus parare mensam in deserto? Hinc in scripturis tentationes dicuntur persæpè afflictiones, quia his homo probatur, sibique & aliis innotescit. Quoniam autem tentationes dicuntur afflictiones ob id & tentari pro affligi ponitur, & tentare aliquem pro affligere, molestare, irritare, & ad iracundiam prouocare: secundum quam etiam significationem nonnunquam in scripturis dicuntur homines Deum tentare, hoc est, prouocare &

Psal. 77. Act. 15. exasperare, vt in Psal. Et tentauerunt & exacerbauerūt Deum excelsum, & testimonia eius non custodierunt. Et in Actis: Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum? Tētare autem, prout significat explorare & experiri, duobus modis cōtingit. Aut enim quis aliquid tentat solum vt illud sciat, quomodo dicimus tentare alicuius scientiam aut amicitiam. Aut qui tentare aliquid dicitur, ita illud quod nescit cupit explorare, vt etiā aliquid conetur efficere: quomodo dicimur tentare aliquam rem quam aggredimur, & tentare aliquē de pudicitia, cum conamur ipsum ad impudicitiam pertrahere. Atq; secundū hunc modū diabolus tētare dicitur quia scilicet suis suggestionib. & oppugnationibus & conat̄ experiri quales simus, & simul ad malum nos pertrahere studet. Itaque & tentatio pro sollicitatione ad malum, & tentare pro sollicitare ad

1 Thes. 3. Satam quid significet. malum ponitur, quomodo apud Iacobū Deus neminē tentare dicitur. Hoc ergo respectu in scripturis diabolus appropriatē dicitur tentator, vt hoc loco, & rursum 1. Thes. 3. Ne forte tentauerit vos is qui tentat: vbi Græcis est ea dictio quę hoc loco, ὁ πειράζων. Satā autē Hebraica dictio est, quæ idem significat quod aduersarius

& inimicus.

& inimicus. Vnde 2. Reg. 19. Dauid dicebat: Quid mihi & vobis filij Sarviæ? cur officimini mihi hodie in satā? Ita & reuocati à cruce Petro Christus dicebat: Vade retro me satana. At quia tentator ille spiritus nusquam nō aduersatur nobis, ac pessima vbique suader, tum & ad vltionē postulat, peculiariter & per antonomasiam satan vocatur, vt 1 Paral. 21. Consurrexit autem satan contra Israel, & incitauit Dauid vt numeraret Israel. *2. Reg. 19.* *1. Par. 21*

Nomen autem, diabolus, dictio Græca est, quæ propriè calumniatorem & criminatorem significat, ac ferè nomen hoc à Septuaginta interpretibus ponitur vbi in Hebræo est satā, vt loco Paral. iam dicto & in Psal. 108. Et diabolus stet à dextris eius. Vnde quem Hebræi vocāt satan, Græci cœperunt vocare diabolum: quare Petrus Græco nomine dæmonem appellans, sed Hebrææ dictionis significationem explicās, Aduersarius, inquit, vester diabolus circuit, &c. In Apocal. autem cap. 12. explicatur ratio nominis, Diabolus, cum dicitur: Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante cōspectum Dei nostri die ac nocte, Theophylactus tamē diabolum etiam dici vult, quod accusauerit & infamauerit Deum apud Adam, quódque & nunc virtutem, & quæ Dei sunt apud nos calumnietur. *Diabolus quid significet.* *Psa. 108.* *1. Pet. 5.* *Apo. 12.*

Si filius Dei es, dic vt lapides isti, &c.] Hinc patet quasi Christus esurire voluerit, nimirum vt diabolo occasio aggrediendi & tentandi daretur, obiecta ei infirmitate humanæ naturę, veluti esca quadam, sub qua veluti caperet. Quoniam enim audierat diabolus ex patris filiū Dei, & cōtra iam eum videbat fame discruciari, Φ eum nihil aliud quàm infirmum hominem arguebat, obid dubitare de ipso cœpit. Quare callida astutia aggressus explorare verus ne esset Dei filius an non, vt si cognouisset eum esse Dei filiū, omnes artes suas explicaret ad impediendum salutem hominum per ipsum asserendam. Ita autem illud explorare conatus est, vt & simul in peccatum aliquod ipsum pertraheret si fieri posset, quare duplici nomine Christum tentasse dicendus est. Nam quod ad primam hanc pertinet tentationem,

nem,ita secum cogitabat: Si solo iussu lapides hos in panẽ conuerterit,cùm id solius sit Dei opus certũ erit ipsum esse filium Dei. Si autem renuerit id facere, aut etiam dixerit sibi id impossibile,certum rursum nõ esse verum ac naturalem Dei filium. Neq; enim dubiũ quin si id facere posset,iam facturus sit cogẽte eũ ad hoc fame: Rursum tamen hac tentatione ad peccatum solliciabat,& partim quidem ad gulæ vitium,partim verò & magis ad inanem gloriam,& vanã suiipsius ostentationem,aut etiam ad diffidentiam diuini oraculi. Quãuis enim non fuisset voracitatis, Christum eum esuriebat comedisse panes ex lapidibus factos,tamẽ occasione famis obedire aliqua in re diabolo, gulæ vitio asscribẽdũ esset. Magis tamen hac in re peccatum fuisset ob vanã sui ostentationem. Nunquam enim proferendum est miraculũ, nisi cùm id postulat gloria Dei,aut fraterna charitas,non hominum libido. Vnde nec Herodem dignatus est Saluator aliquo miraculo. Magorũ enim & præstigiatorum est,ad inanem ostẽtationem, & ad spectatorum curiosam voluptatẽ vel edere, vel fingere miracula: vnde nec illustratur gloria Dei,nec vtilitas vlla redit ad proximum. Itaque in hæc vitia præcipitandum credebat Iesum,si obedisset. Si ob impotẽtiam nõ obedisset,sperabat eum dissisurum voci patris, qua filius Dei denunciatus erat. Itaque tantum Christo inuidens honorem,sicut & veteri Adam,nisus est hunc, sicut & illum,ab illo honore deiicere. Et quidẽ pulchrè respõdet hæc tentatio ei qua primos parentes aggressus est. Sicut enim tunc occasione prohibiti cibi,& illicibilitate arboris scientiæ boni & mali, & ad gulositatem & vanam excellentiæ appetentiam prouocauit: ita nunc per cibi occasionem ad gulæ vitium & inanem excellentiæ declarationem adducere conatus est. Et quomodo tũc dubitationem de æquitate diuini mãdati immisit mentibus eorum, quærendo: Cur præcepit vobis Deus vt nõ commederetis de ligno paradysi? ita modo ad diffidentiam diuini oraculi pertrahere studuit. Quare non dicit: Cùm sis Dei filius die,&cæt. sed per conditionem dubitatiuè pronunciat: Si filius Dei es. Qua locutione etiã adulatur & pungit,vt si verè esset Dei filius,id modò necessariò demonstraret,tanquam rubore suffundendus si non crederetur esse Dei filius. Est itaque sensus verborum iste: Auditum est cœlesti voce,accedente etiã Ioannis testimonio, te denunciatum esse Dei filium. Id si verũ est,cur sic fame discruciaris,qui vel solo verbo tuæ fami succurrere potest Fac potius tuo iussu vt lapides hi in panem conuertantur, habeãsque quo esuriẽtem impleas ventrem. Id si facere recusas, frustrasanè vel tibi persuades te esse quod diceris, vel alios id de te credituros expectas. Ex his patet emphasis quæ est in vetbo, dic. Non enim dicit, ora patrem cœlestem nec dicit,fac,sed dic, significans solo iussu id ab eo fieri posse. Notandum rursum quod dicit, panes fiant. Non enim lapides in delicatum cibum conuerti postulat,sed in cibum frugalem & necessarium, quo magis impetret quod postulat. Portò cum Lucas dicat singulariter: lapidi huic vt panis fiat:apparet apud Matthæum pluralem numerum pro singulari positum vt & alias aliquoties,ac proinde superfluã esse annotationem Theophylacti, qui vult dæmonem instigasse Christum ad superfluã, quod cùm panis vnus sufficere postularet lapides in panis conuerti.

Qui respondens,dixit Scriptum, est non in solo pane viuit homo.] Christus à diabolo tentatus neque est indignatus,sed per mansuetudinẽ patienter tolerauit eius improbum insultum, exemplum præbens tolerantiæ in oppugnationibus impiorum hominum: neque, cùm posset diuinitatis suæ potentia eum superauit & repulit: Propositum enim ei erat, vt non tanquam Deus potentia vinceret,sed vt homo per humilitatem,idque testimonijs scripturæ: quo nos doceret nulla contra diabolum efficaciora esse arma, quàm scripturarum meditationem,& verbũ Dei,quod est gladius spiritus omnes facilè resecans cupiditates carnis, suggestionésque diaboli. Deinde quo & hominem plus honoraret,& diabolum plus puniret,cum hostis humani generis nõ quasi à Deo,sed quasi ab homine vinci videretur. Itaque Dominus vt potentior diabolo, ita & prudentior, astutias diaboli scripturæ autoritate eluit,neque negans quod erat,neque prodens,sed tantùm absurdã esse ipsius suggestionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

gestionem ostendens scripturæ inuincibili autoritate quę quàm pulchrè respondeat illius suggestioni, eúmq; suo frustretur intẽto videndũ. Ille enim cupiebat explorare num Dei esset filius. Christus verò nihil se quã hominem esse respondit, dicẽs: Non in solo pane viuit homo: cæteris se connumerans hominibus, per quod etiã absurdiorem demonstraret esse dæmonis suggestionem. Si enim quivis homo non in solo pane victurus est, sed in omni verbo Dei, multo magis necesse nó est filio Dei, vt pro sime pellenda lapides in panem conuertat. Itaque neque quia filius Dei erat, lapis in panem conuertendus erat: neque quia non conuertit, colligi potuit eum dei filium esse. Rursus ille cibi oblectamento esurientis patientiam illudere voluit, aut in diffidentiæ vitium adducere. Christus contra, suam de diuina potentia & bonitate patientem confidentiam declarat, significans se certò confidere & expectare, vt etiam sine pane ex lapide facto diuinitus alatur & sustentetur. Quod autem dicit hominẽ victurũ omni verbo quod procedit ex ore Dei, dupliciter intelligitur. Quidam enim intelligunt de vitæ animæ, quæ consistit in auditu & meditatione diuinorum verborum, at Christum autoritate scripturæ demonstrare esse vitam animi, quæ pluris sit faciẽda, quàm vita corporis: esse cibum spiritualem, qui magis expetendus sit quàm cibus iste qui vitam corporis aliquantò pòst morituri ad breue tempus prorogat, ac proinde famen corporis negligendam, ac alimentum verbi cœlestis acquirendum potius. In hunc sensum locum hunc intelligit Ambrosius super Lucam, & post eum Erasmus etiã super Lucam. Verùm hunc non esse præcipuum istorũ verborum sensum, & præsens locus, & is vnde desumpta est hæc scriptura, satis conuincit. Nam quod attinet ad præsentem locum, impertinẽs satis huic loco esset sermo introductus de vita animæ, cùm hic iam ostendendum esset quibus rebus sustentari posset vita corporis, & huius sustentationi non esse omnino necessarium panem. Et Deut. 8. vnde istud sumptũ est, dictum est hoc testimonium occasione mannę, quapauit Dominus Israelitas in deserto. Dedit (inquit Moyses) tibi Dominus manna, quod ignorabas tu & patres tui,

Deut. 8.

tui, vt ostenderet tibi quod non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Domini. Quare per omne verbum Dei, aut verbum quod procedit de ore, hoc est imperio Domini, oportet hic intelligere omne id quod Deus vult, ordinat, & iubet vt vita hominis sustentetur: quomodo manna, quod non erat panis, nutriuit Israelitas in deserto, & Heliseum cum socijs suis herbis agrestibus pauit & Moysen, Heliam, atque Christum 40. diebus sine omni cibo sustentauit. Notandum autem in Hebræo non esse dictionem, verbum, sed ea addita est ex editione Septuaginta interpretum vulgata, ex qua addita etiam est in vulgata nostra editione in Deuteronomio.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem.] Hãc tentationem quàm Lucas tertio loco ponit, secundam fuisse, sicut eã Matthæus ponit, satis patet ex Matthæo, qui descripturus tertiam tentationem, dicit: Iterum assumpsit eum diabolus: significans eum tunc secundò assumpsisse Christum. Deinde cùm à Christo diabolo dictum fuisset: Vade retro sataná: subiecit Matthæus: tunc reliquit eum diabolus. Lucas verò ordinem tentationum non obseruans, huiusmodi dictionibus ordinem indicantibus non est vsus. Et Faber antiquos quosdam codices dicit in Luca eundem habere ordinem tẽtationum quem habet Matthæus, vt ordinis mutatio quæ est in Luca, videri possit accidisse ex scriptorum vitio, maximè cùm in ea tẽtatione quæ in Luca secũdo loco ponitur, Græci codices plerique etiam habeant. Vade post me satana. Certè Ambrosius in Luca secundam ponitur tentationẽ eam quæ in Hierusalem facta est. Itaq; diabolus ancipiti responso elusus, ex quo discere nõ potuit filius Dei esset an non, non quidem à tentatione abstinet (ne semel victores tradamus nos securitati, sed animum semper ad nouos assultus paratum habeamus) verùm quoniam scripturæ authoritate superatus fuerat conatur & ipse scripturam abusu vincere: cumque prius occasione famis vincere non potuerit experitur num per inanem gloriam superare valeat, per quã nonnunquam vincuntur sancti, qui omnem iam carnis necessitatem vicerunt. Quamquam enim & in superiori tentatione

Christum

Christum tentabat ad vanam suiipsius ostentationem, hic tamen apertius, præterquam quod explorare studet num sit Dei filius, etiam sollicitabat eum inanis gloriæ appetitu in vanam sui ostentationem adducere, ac præterea in tentationem Dei, & suiipsius perditionem per præcipitium, si obedisset. Si verò obedire recusasset, tum & demonstraret se non esse Dei filium, & diffideret cœlesti voci asserenti ipsum esse filium Dei. Vide autem quàm astute hanc tentationem subiecit superiori. Quoniam enim Christus sua responsione indicauit suam in Deo confidentiam, per præsumptuosam & vanam confidentiam tentat superare, adducens scripturam quæ ad hoc efficax videretur, vt quæ pertineret ad confidentes in Deum, sicut principium Psalmi indicat. Itaque quoniam per confidentiam ex scriptura desumptam superatus fuerat occasione hinc accepta, per confidentiam quàm etiam scriptura suggerit, conatur secundò superare. Assumpsit ergo eum in sanctam ciuitatem, hoc est in Hierusalem, vt patet ex Luca. Hæc enim sancta ciuitas dicebatur, propter sanctum Dei templum quod erat in ea. Et statuit eum supra pinnaculum templi, hoc est, supra supremam templi extremitatem. Nam pinnaculum dicitur fastigium siue summitas ædificij in acumen tendentis, quia veteres pinnam dixerunt quod acutum est, aut quia pinnaculis addi solet pinna, quæ facili motu, ventorum indicet flatum. Vnde & Græcè dicitur πτερύγιον, quod est diminutiuum à πτερον, ala, quod in morem alatum mutetur. Cùm autem verisimile sit templum nõ habuisse fastigium acuminatum, eò quòd in Psalmista domus rectum habeant planum, debet hic pinnaculum & πτερύγιον, accipi pro superiori parietis & recti parte aut angulo aliquo. Correspondent enim hæ dictiones Hebrææ dictioni Canaph, quæ eùm propriè alam significet, etiam significat omnem rei extremitatem, & angulum: vnde quatuor orbis anguli dicuntur eis Cenaphim, vel Cenaphet Ezech 7. In sancta ciuitate Hierusalem supra pinnaculum templi vbi multos haberet spectatores sui miraculi, Christum diabolus constituit, vt spectantium multitudine celebri magis permoneret ad ostendendũ se quis esset eo loco quo maximè

Ezech. 7.

maximè ipsum conueniabat demonstrari. An autem diabolus Christum corporaliter assumpserit, & in Hierusalem duxerit, an solum in visione hæc facta sint, in quæstionem vertitur. Quidã enim in visione hæc facta putant, de quorũ sententia postea dicetur. Alij verò corporaliter hæc & verè facta existimant. Nihil enim mirũ esse, si se Christus à diabolo permisit in Hierusalem & in montem duci, qui se permisit à membris illius, crucifigi, vt dicit Gregorius. Et quamquam diabolus sic Christum assumebat vt ab omnibus videretur, ipsum tamen diabolo nescière sic egisse inuisibiliter vt nemine videretur, vt dicit Chrysost. super Matth. Porrò bene aduertenda sunt diaboli verba, dicentis: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.*] Vox enim hæc verè diaboli est: Mitte te deorsum vt annotarsit Ambrosius & Hieronymus Nã cum ipse seipsum per superbiã ex altitudine cœlorum præcipitauerit, semper etiam quo homines sibi similes reddat de altiore gradu meritorũ eos cadere desiderat. Verũ vt id suadere potest, ita ipsos precipitare non potest. Vt autè diabolus impetret quod sũggessit, addit ex Psalmo 90 scripturæ testimonium, quo ostendere vult Christum, si filius Dei sit, sine omni periculo sese missurum deorsum. Quam scripturam admodum maligne, impiè, & depranatè adducit Primũ, quod eam scripturã quæ de quouis pio homine dicta est, interpretatur ad Christum propriè pertinere, ad quẽ tamen nõ pertinere vel ipsius dæmonis verba satis significare poterãt. Si enim erat Dei filius, ergo angelorũ ministerio opus non habebat, per quos custoditetur ab omni nocumento & læsione. Deinde, quod ea scriptura, qua promittitur confidẽtibus in Deum securitas ab omni malo, abutitur ad persuadendum impietatem, tentationem scilicet Dei, & spontaneam malorum aduocationem.

Psal. 90.

Ait illi Iesus rursum scriptum est. Non tentabis Dominũ. &c.] Rursum Christus dissimulans se esse Dei filium id, tantùm respondit, quod à quouis pio homine responderi poterat & scripturam malè citatam, alia scriptura recte addocta, ceu clauum clauo retudit: docens scripturã scripturæ conferendam, si ex scripturæ lectione errare nolumus. Quod bene notandum contra hæreticos, qui

ad exemplum sui magistri frequenter scripturas quasdam deprenatè citant, ad sensum aliquem stabiliendum qui cum aliis pugnat locis. Sed è diuerso, inquit, scriptū est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Est autē scriptum istud Deuteron. 6. citatur tamen magis secundū Septuaginta translationem quàm Hebræam veritatem, sicut & in nostra lectione Hieronymus septuaginta translationem posuit. Hebræa enim pluraliter habent: Non tentabitis Dominum Deum tuum, sicut tentastis in loco tētationis Septuaginta verò, ὡς ἐπειράσατε, quomodo hic Euangelistæ. Cum autem tentare Deum in scripturis dupliciter accipiatur, vt superius patuit, hic in priori acceptione debet accipi, vt tentare Deū, sit expe-

Deut. 6.

Multis modis Deū tentari contingit.

rimētum sumere de Deo, & potissimùm de omnipotētia eius, bonitate & fidelitate in seruandis promissis. Id autem dupliciter contingit. Primum quidem ex præsumptuosa quadam de Deo confidentia, vt cum quis se citra vllam necessitatem iniicit in aliquod manifestum periculum, præsumens sibi adfuturum Dominum. Vt si quis sese ex alto præcipitet, confidens se seruandum à Deo: & quisquis præterita humana ratione qua aliquid consequi posset, sese Deo committit, expectans illud ab eo, vt qui neglecto labore manuum, aut alia humana via acquirendo victui necessaria se otiosum & sedentem expectaret pascendum à Deo, quia præcepit Chri-

Matth. 6

stus considerare volucres cœli, quas pater eitra laborem aut solicitudinem ipsarum pascit. Rursum si qui ad docendum alios destinatus est, neglecto scripturarum studio expectaret sibi otioso suggetendum à Domino quid docere debeat, eò quòd dixerit Apostolis: Cùm

Matt. 10

steteritis ante reges, nolite cogitare quomodo aut quid respondeatis, dabitur vobis in illa hora quid loquamini. Tales enim nihil aliud quàm experiri volunt quàm sit potens, bonus & verax Dominus. Quemadmodum enim qui equi cursu vtitur, solùm vt cognoscat equi virtutem, tentare equum dicitur: non tentat aūt equum qui cursu eius vtitur ad transuectionem, etiamsi interviendum equi virtutem cognoscat magis: ita Deum tentant, qui non ea ratione expectant Dei opem quæ debet expectari, non tentant autem qui in necessitate aliqua

aliqua constituti necessariam sibi Dei opem expectant. Secundò etiam Deum tentare contingit ex diffidentia de Deo, aut incredulitate eius quod de Deo credere deberet, vt cùm quis in necessitate aliqua constitutus non securè confidit de Dei potentia & bonitate, sed animo murmurāte cum diffidētia quadam optat Deum declarare suam potentiam & auxilium, quomodo tentasse Deum dicuntur Israelitæ, cùm in inopia cibi potusve constituti murmurauerunt dicentes: Est ne Deus in nobis an non? & nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Sicut enim diuitiæ opis & potentiæ declaratio optanda nō est, nisi cùm id nostra postulat necessitas aut Dei gloria: ita in necessitate absq; simplici animo nos pendere oportet, certò confidentes liberaturum si iudicauerit expedire saluti nostræ, posse enim illud, & omnino idem velle si bonum nobis sit. Sic etiā Deum tentat, qui declarari sibi postulat Dei voluntatem in his rebus in quibus Dei voluntas ex scripturis aut aliunde certò cognosci posset. Porrò his modis Deum tentare, graue peccatum est, siue quod per diffidentiam non ita de Dei sentiatur potentia & bonitate sicut oportet, siue quod non ea deferatur ipsi reuerentia quæ debetur summæ ipsius authoritati & dignitati. Neglectu enim quidam Dei est, in rebus leuibus & non necessariis illius opem exposcere, quasi ad omnia quæ libuerit nobis paratus esse debeat.

Exod. 17.
Psal. 77.

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, &c.] Cùm iam Christum diabolus nec per concupiscētiam carnis, nec per superbiam & inanem sui ostentationē superare posset, aggreditur eum opugnare per illud quod inter omnia quibus homines tentat tertium est, nempe per concupiscentiam oculorum & auaritiā, simul tamen ipsum etiam tentans de superbia per honores promissos. Omne enim quod est in mundo aut est cōcupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitę. Sicut autem in prima tentatione non solùm in gulę vitium, sed per illud in vanam sui ostentationem, & in secunda per inanē gloriam etiam in Dei tentationem pertrahere voluit: ita in hac tertia per auaritiam & ambitionem in idolatriam conatus

Universidad de Deusto
Biblioteca

est adducere, per id semper pergens tentare quod mẽte hominis magis natum est & solet à constãtia sua & virture dimouere, sempérq; in graviora crimina deiicere adlaborans. Hoc enim ordine diabolus tentare solet, vt à leuioribus incipiens paulatim perducat ad graviora, semper eo ordine proponens quæ magis ac magis mouent. Iam plerumque fit vt qui famem cõtemnere possunt. & vanam gloriam, stabiles honores & multarum terum gloriosam possessionem non possint contemnere. Porrò tertia hęc tẽtatio non parum differt à duabus superioribus. In eis enim dixit: Si filius Dei es eò quòd ea quæ suggerebat videbantur Dei filio competere. In hac verò ita adiicere non potuit, eo quod id suggessit quod nulla ratione Dei filio conuenire potuit. In illis apertius expiscari quærebat quis esset Christus, in hac verò apertius ad peccatum eum solicitat, quasi iam certior eum nõ esse Dei filiũ. Cùm enim videret eũ semel & iterum detrectantem vt ostenderet se Dei filium, tãquam purum hominem ipsum tentat, ea illi proponens quæ adeo mouẽt hõmines vt inuisibilibus bonis futuris ea præponant. Et tamen quemadmodum in illis tẽtationibus etiam intelligitur ad peccatũ solicitasse, ita & in hac recte intelligitur simul voluisse explorare nũ Dei esset filius. Sperabat enim eum si non esset Dei filius, magnificis illis promissionibus superandum. Si verò esset, irritatum tanta tentatoris improbitate, dicturũ se potius ab illo adorari debere, suáque esse omnia ea quæ ille tãquam sua pollicebatur. Quemadmodũ autẽ prius in altũ templi pinnaculum Christum assumpserat & causãm suggesserat ita & nunc in excelsum montem ducit, casumque rursum suadet, dicẽs: si cadẽs adoraueris me. Semper enim diabolus ad alta hominem pertentis superbiam deducere studet, sempérq; ad casum solicitat. Quomodo autem omnia regna mundi & gloriam eorum è monte quouis ostendere potuerit, idque in momento temporis, in quæstionem vertitur. Neque enim aliquis est mons tam altus, vnde liceat omnia regna mundi videre: neque si esset, oculus humanus posset ad omnium conspectum pertingere. Proinde quidam (inter quos Origenes homil. 30. in Lucam) intelligendum

Quomodo ostenderit omnia regna mũdi

gendum istud putãt non de regnis corporalibus huius mũdi, sed spiritualibus, quibus scilicet diabolus per varia vitia regnat in hominibus, vt vnum sit regnum gulæ, alterũ luxuriæ, aliud superbiæ, & sic de reliquis peccatorum regnis quæ Christo ostenderit, veluti dicere volens: Si vis regnare omnibus afflictionibus istis, & in hoc venisti vt eos qui sub me sunt rapias procide & adora me, & absque omnis certaminis molestia accipe omnes qui gubernantur à me. Verum hæc allegorica interpretatio literæ omnino non videtur cõuenire. Nã præter alia, ad hanc ostensionem non fuisset necessariũ Christum in montem duci à diabolo. Itaq; alij (inter quos Chrysost. in secunda expositione in Matthæũ) intelligunt diabolum demonstrasse Christo omnia regna & gloriam eorum, non quod singula regna & ciuitates oculis eius videnda exhibuerit, sed quod partes rerũ in quibus vnumquodq; regnũ vel ciuitas posita erat, digito demonstrarit dicens: Versus illam partẽ est Roma, aut Hispania, aut Alexandria: & in illo regno tales sunt diuitiæ & honores, in alio verò alia gloria. Verum nec hæc interpretatio videtur conueniens, maximè quia addidit Lucas in momento tẽporis: per quod satis significatur ostensionem hanc fuisse talem quę posset fieri diaboli fuit propria. Quare sunt qui hanc ostensionem putãt fuisse factam à diabolo in phãtasia Christi, vt non fuerit sensibilis regnorum visio sed imaginaria, quomodo & D. Benedictum totum mũdum in lumine diuino intellectualiter vidisse testatur Gregorius lib. dialog. 2. cap. 35. Sed eũ non satis piũ sit dicere, diabolum interiores Christi sensus cõmouisse nauit apparentium rerum speciebus: cùmq; certũ satis sit in sensibili & æterna specie diabolũ Christo apparuisse, verisimilius videtur vt dicatur diabolum Christo ostendisse omnia regna mundi sensibiliter, quia omnium imagines nouo quodãmodo repræsentauit humanis eius obtutibus, faciẽs per eas imagines omnia apparere oculis eius. Qua ratione neque fuit aliqua illusio in oculis Christi, neque Christus deceptus est cùm sciiret Christus obiectas imagines esse falsas. Atq; in hunc modũ intelligit Theophylactus istud contigisse. Cæterum eũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc modo verisimile sit intelligendum esse illud: ostẽdit ei omnia regna mundi; atque ad huiusmodi ostentionem non fuerit necessaria corporalis transuectio in montem aliquem excelsum, apparet etiam probabilius secundum prædictum modum intelligẽdum esse quod dicitur diabolus Christũ assumpsisse in montẽ, & proin de etiam illud quod dicitur assumpsisse in Hierusalem, & statuisse super pinnaculũ templi, vt scilicet hæc facta sunt nõ re ipsa, sed per visionem, quemadmodũ abcõsũo lumbaris ad Euphratem à Ieremia, quę scribitur cap. 13. & dormitio Ezechielis super latus sinistrum & postea super latꝰ dexterũ, de qua Ezech 4. Neque enim minus apertè illic scribitur Ieremiam iisse ad Euphratem, atque illic lumbare suum abscondisse, secundóque rediisse, & reperisse illud iam corruptũ: deinde Ezechielem supra latus suum sinistrum dies trecentos nonaginta, & super dexterum 40 dormiuisse, quàm hic dominum à diabolo in pinnaculum templi, ac postea in mõtem assumptũ. Et tñ etiam Hieronymo & aliis nõ est dubium per visionem illa contigisse. Vt autem sic intelligantur etiam quę hic dicuntur, satis insinuant Euangelistę, qui videntur significare has tẽtationes in deserto contigisse in quod Christus secesserat. Nã Matthęus ob id in desertum iisse dicit vt tentaretur à diabolo, videlicet in ipso deserto. Et Lucas post tẽtationes dicit Christum regressum in virtute spiritus in Galilæam, videlicet è deserto in quod secesserat. Certè Christũ nõ fuisse corporaliter trãslatum super templũ & montẽ sentit Cyprianus, aut quisquis tuus author, in sermone de ieiunio & tẽtatione Christi, vbi sic scribit: A multis ambigitur vtrum fuerit hæc translatio corporalis, & si de loco ad locum se Christus transferri permiserit, eo modo quo Abacuc de Iudæa in Chaldæã ductus est, & Philippus de Azato in occursum Eunuchi. Sed quod corporaliter eum diabolus tulerit, videtur inconueniens, quod humeris eius saluator insederit, & pro vehiculo vsus sit quem præcipitatorem sciebat: vel ei ferendũ se commiserit, cuius insidias agnoscebat. Suo itaq; spiritu eum credẽdum est ductum & in deserto, & super templum, vt vtrobiq; eum diabolus assumeret ad tentandũ

Ieremi. 13.

Ezech. 4.

Daniel. 1

Actuũ 7.

Et

Et localiter quidem prima tentatio fuit in deserto, sed exteras eo modo circunduxit tentatoris astutia vel circunduci passa est patientia saluatoris, quomodo Ezechiel eũ super fluuiũ Chobar sederet, Hierosolymam raptus in spiritu ciuitatẽ ædificat & metitur, & muros & templum instaurat. Hoc itaque modo super culmen tẽpli Christꝰ erat in spiritu, sciẽs quid ante spiritus affectarit, & hosti se de vana gloria pulsaturo oportunitatẽ parabat. Hęc ille. In quibus etsi rectè sentit Christũ nõ translatum corporaliter, tamen quod dicit Christũ suo spiritu translatum sicut Ezechiel spiritu diuino, nõ cõuenit satis Euangelistis, qui dicunt diabolum assumpsisse Christum. Proinde secundum prædicta dicendum esset translationem Ezechielis & Ieremiæ factam per visionem imaginariam aut intellectualem. Christi verò per visionem sensibilem & corporalem, ita scilicet vt diabolus per nouas rerum imagines fecit Christo videri sensibiliter se esse supra templum & montem.

Ezec. 40.

Hæc omnia tibi dabo si cadens &c.] Aduertendum in his verbis, quàm sit & mẽdax, & arrogans hequam spiritus Mendaciter enim & arroganter sibi arrogat, & quod omnia sibi sint tradita, & quod det cui voluerit. Domini enim est terra, & plenitudo eius, & in manu eius sũt omnes fines & regna terræ, omnisque potestas secundum Paulum à Deo est. Dicitur quidẽ & ipse diabolus in scripturis princeps huius mũdi, & Deus huius seculi: sed id solùm propterea, quia dominatur in hominibus mundana sapientibus & sectantibus, & quia autor est omnis abusus creaturarũ quæ sunt in hoc mundo, nihil habẽs iuris in cœlestibus. Verũ quoque est diabolum Deo permittẽte dare quibusdã possessiones & honores huius mundi, his scilicet qui per nefas illa cõsequuntur sed apertum mendacium est dare ipsum hæc cuicunq; velit, cùm nulli dare possit nisi cui Deus velit dari, multósq; certũ sit nõ à diabolo, sed à Deo accepisse. Similis arrogantia est & falsitas in eo quod promittit se hæc omnia daturũ illi cum id nõ sit in ipsius potestate. Iam & antiquæ superbiæ eius erat, quod diuinũ sibi postulat deferri honorem, idq; ab eo quẽ Dei filiũ cœnatus denũciatum didicerat. Qua diabolí suggestio-

Psal. 23.

Psal. 94.

Rom. 13.

ne significatum est quam efficax malum sit cupiditas & ambitio, vtpote quod sæpe eò perducat hominē vt diabolo se prosternat, cúmque adoret. Et omnino quisquis cupiditate rerum huius mūdi victus negligit Dei præcepta, fraudat, rapit, peierat, occidit, fásque nefásq; miscet, is iam adorauit huius mūdi principē, Deúmq; abnegauit, inito fœdere cum aduersario Dei. Cui conuenit quod Paulus aliquoties auaritiam vocat idololatriam, & auarum idolorum cultorem.

Tunc dicit ei Iesus Vade satana.] Christus cum hactenus mansueto animo pertulerit diaboli tētationes, postea quam ipsum diuinum patris sui honorem vsurpare audiuit exasperatus est, & increpans repulit eum, dicens: Abi post me satana: vt nos illius exēplo discamus nostras quidem iniurias magnanimiter tollerare. Dei autem iniurias nec vsquam ad auditum sufferre. Bis autem legimus Christum hac vsum increpatione. Vade retro satana. Semel scilicet hoc loco increpando diabolum, & secundò, eprehendendo Petrum, vt patet Matt. 16. Huius itaque orationis non est sensus: sequere me à tergo. sed quia satan significat Hebræis aduersantem, non qualitercunque, sed velut obsidendo coram & ante faciem, ideo illudendo ad vocabulum, eiicitur à facie, iubetúrque secedere post tergum, in quo non possit obsistēdo aduersarium agere. Quare sensus est: secedere omnino à me, nec diutius mihi aduerseris. Est enim locutio metaphoricha, desumpta à similitudine corporalis situs eius qui aduersatur alicui. Quidá autē Græcorum codices non habent, retro, sed tantum, Vade satana. Vnde Origenes annotauit diabolo dictum: Vade, vel abi satana, petro vero, Abi post me satana: quia hic ad sequelam vocatus est, non autem ille. Poterat autem Dominus IESVS improbitati dæmonis respondere: Quid mihi polliceris quæ mea sunt. Quid tibi vēdicas quę tua non sunt? Qua fronte postulas vt tibi ad genua accidam, cum sim Deus qui te condidi, qui te superbiētem è cœlo depuli, deiecturus in tartara, simulátq; mihi videbitur, Verum id temporis fallendus erat diabolus, non docendus. Nec admoneri debuit, qui corrigi non potuit, Proinde solùm patris sui honorem à diabolo vsurpatum scripturæ autoritate vindicat, rursus ex Deut. sicut superius, bis testimonium desumēs, quo inquit Hieronymus, secundæ legis sacramenta monstraret, Putatur autem desumpta hæc scriptura ex Deute. 6. & 10. capitibus, Verùm illic non adorabis, scriptum est sed timebis. Nam & Hebræa illis locis habent verbum quod non significat adorare, sed timere, & Græca habēt φοβηθήσῃ, timebis. Quare in citatione huius scripturæ videtur Christus non ad hæc tantùm loca respexisse, sed simul etiam ad ea quæ in sexto & quinto capite præcedunt ante hæc verba. Nam in quinto capite dicitur. Non habebis deos alienos in conspectu meo. Non adorabis ea neque coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus quo satis significatur solū Dominum Deū adorandum. Quamquam nō malè quis dixerit solùm respectum fuisse ad illud quod legitur Deuteronom. 6. Nam cum ante hæc verba: Dominum Deum tuū time bis præcedat. Cùm saturatus fueris, caue diligenter ne obliuiscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis essq; verbis indubiè prohibeatur aliorum deorum cultus, ac deinde subiiciatur: Dominum Deum tuum timebis, satis patet per verbum, timere, significari omnem cultum & reuerentiam Deo debitam, ac maximè adorationem. Qui enim timet aliquem & reuerētur, eúdem etiam adorat. Nam adoratio, timoris & reuerentię externum signum est. Verbum ergo timebis, Dominus mutauit in adorabis, quod ita responsio postularet, eò quòd diabolus ad prostrationē & adorationem sui inuitabat. Quod autem additum est μόνῳ, soli, etsi in Hebræo expressē nō habeatur, includitur tamē in articulo, illi qui eum debeat intelligi cum emphasi, significat soli Deo seruiendum, Vnde & in prima parte intelligi debet: Dominum Deum tuum solū adorabis. Ad quem intellectū significandum subditur in Deutero, verbum Hebraicum correspōdens in scripturis vetbo, adorare, propriè significat se coram aliquo venerationis causa humi prosternere aut inclinare: vnde frequēter etiam alijs à Deo tribuitur, secundum generalē hanc suam significationem. Cùm autem huiusmodi

Mat. 16

Deut. 6.

venerationē Deus sibi soli exhiberi postulat, plus quid eo verbo significatur, nempè talis veneratio exterior, quæ ex corde pio & religioso procedat, & quæ ipse colatur tanquam solus author vitę & omnis boni largitor. Sicq; intelligendum quod hic dicitur: Solum Dominū Deum adorabis. Quāquam & alioqui cùm homo homine vel sanctos Dei adorat & veneratur, in eis magis Deū quā illos adorat. Nā cum honor Deo sit proprius, nulli honor deferēdus est, nisi propter Deū quare maximè iis defertur qui diuina quadam virtute aut potestate in hominibus præeminent, qui & ipsi dij quidam in scripturis dicuntur. Huic autem Hebraico verbo respōdet apud Græcos verbum προσκυνέω quod & ipsum significat exteriorem venerationem cum incurvatione corporis: sonat enim idem quod admoueo. Solent autem reges veneraturi sese inclinare, & manū deosculari, subiectionem protestantes. Huic ergo & apud Latinos bene respondet verbum, adoro quod est quasi ad aliquem oro, hoc est, capite inclinato aut corpore inclinato ad aliquem orare. De quo verbo doctè Valla, libro quinto, capite vndecimo. Adorare, inquit, ab ore, quod est ore precor, cōponitur. Supplicare à plico, quòd genu, poplitémque aut ceruicē plicamus, cùm à potentiore, aliquo magnum quid precamur. Et tamen adorare sine ore, hoc est, sine voce fit, non sine plicatione genuum ac gestu coporis, non sine ore ac voce. Hinc est, quare supplicare tantùm homini datur, adorare etiam mutis, vnde elephas & phœnis, & alia quædam irrationalia solem adorare dicuntur. Nósque rebus mutis & sensu carentibus non supplicamus, sed adorationis honorem exhibemus, vt regum statuis, signis, vestibus, literis, aliisque similibus, & præcipuè picturis, imaginibúsq; tum Dei, tum sanctorum, tum ipsius etiā crucis quæ sapientes adorant, stulti etiam orāt. Quod de cruce, idem etiam de sudario dico, cæterisque similibus idem de reliquiis sanctorum, quorum corpora pręsentia adoramus, animas verò absentes oramus. Hæc ille. Ex quibus patet verbum hoc bene respōdere Hebręis & Gręcis dictionib. nec id propriè esse Latinis adorare quod

Adorare quid propriè significat.

quod Germanis est, *Anbidden*. Illo enim vtuntur ad significandum animo in aliquem fixo orare, precarique quid ab aliquo, tanquam boni illius primo autore. Pro verbo autem, seruies, quod in secunda parte ponitur, Græcis est λατρεύσεις. Est autē Græcis λατρεύω idē quod δουλεύω & λατρεία, idem quod δουλεία, vt ostēdit Valla in annotat. super Matthæū. Et patet ex Suida, qui λατρεύω, exponit per δουλεύω, & λατρεία, δουλεία ἐπὶ μισθῷ. hoc est seruitutem mercenariam. Nam & in leuitico cum dicitur, Omne opus seruile non facietis in eo: Græcis est λατρευτὸν, Tamen quoniam Septuaginta semper aut ferè verbum hoc posuerunt vbi de cultu diuino est sermo, similiter & Paulus in suis epistolis, factum est vt λατρεία, accipiatur à sanctis patrib. pro ea singularitet seruitute quā colitur Deus, vt annotauit prolixè August. lib. 10. de ciuitate Dei cap 1. quamuis ea seruitus, Græcis magis, propriè dicatur δουλεία, vel ὑποταγή. Hinc deinceps facta est à Theologis triplex illa distinctio veneranonis latria, dulia, & hyperdulia. Porrò in Hebręo hoc loco est verbum commune seruituti diuinæ & humanæ: quod tamen cùm de seruitute diuina est sermo, rectius Latinis redditur per verbum colere. In huiusmodi autem seruitute & cultu non tantum includitur externa veneratio quæ exhibetur per adorationem & sacrificium, sed etiam interna, qua de Deo piè quis sentit, colens eum fide, spe, & charitate: deinde & ea quoq; veneratio, quia obediendo mandatis ipsius reuerentur illum, facientes quæ ab eo præcepta sunt nobis. Hic enim est perfectus Dei cultus, qui hoc præcepto à nobis exigitur.

Leui. 23.

Tunc reliquit eum diabolus.] Tūc hoc est, cùm dixisset Dominus: Vade post me satana: cúmque, vt habet Lucas, omnis iam consummata esset tentatio. Omnem autem tentationem dicit consummatam, siue simpliciter, quia iam peracta erat omnis tentatio qua voluit tentare Christum diabolus: siue quia hæ tres tentiones descriptæ, capita sunt omnium tentationum. Aut enim tentamur de illicita carnis voluptate, aut de inani gloria, aut de auaritia & ambitione, quia vt prius dictum est, omne quod est in mundo, aut est concupiscentia

1. Ioan. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia carnis,aut concupiscētia oculorum,aut superbia vitę.Docemur itaque Christi exemplo non obediendum diabolo vel carni, suggerenti cupiditatem alicuius horum trium, & per horum cupiditatem in vitia quæuis præcipitare conanti. Possumus autem etiam aliter has tres tentationes & responsiones Christi in exemplum nostrum & documentum accommodare.Aliquando enim cum inopia aliqua aut necessitate constituti sumus,tētamur ad diffidentiam diuine opis,& ad requirendum illicitas rationes succurrendi nostræ inopiæ. Quod quando fit,cum Christo dicendum:Non in solo pane viuere hominem,&c hoc est confirmāda spes nostra in Deo nec diffidendum quia ille,si ita iudicauerit expedire,ratione aliqua etsi nobis incognita opē feret. Contrà verò cùm per præsumptuosam confidentiā attamur,expectare id à solo Deo,quod in nostra aliquatenus situ est potestate , cogitandum id quod Christus dixit:Nō tentandum esse Dominum Deum. Iam cum per superfluas concupiscentiam rerum istius seculi tētamur,vt impietatē aliquam committamus quo cupita assequamur,cogitādum quod tertiò dixit:Dominum Adorādum esse solum Dominum Deum,&c. Ita fiet vt memores trium istarum responsionum Christi , neque superemur à diabolo per diffidentiam aut desperationem,neq; per præsumptionem, neq; per concupiscentiam,in quibus tribus omnis tentatio consistit. Postò vsq; ad tempus dicitur recessisse diabolus,quia rediturus erat postea vel ad tentationem,vel ad oppugnationem , alia accepta occasione.Vnde postea dixit Dominus:Venit princeps mundi huius,& in me nō inuenit quicquam.Nam quem nullā rerum specie corrumpere potuit,hūc postea per suos satellites conatus est perdere & occidere.Cùm autem iā recessisset diabolus , *Ecce* (inquit Matthæus)rem nouā,*angeli accesserunt, & ministrabant ei.* In visibili specie, cibum scilicet adferentes, aliāque ministerij officia ei exhibentes. Qua in re iam significatur Christi diuinitas , sicut prius per tentationem diaboli declarata est eiusdem vera humanitas. Quamuis enim non loquatur hic Euāgelista de eo ministerio angelorum,quo Christi diuinitati semper assistunt,& ministrant angeli:tamen ad testificandam excellentiam Christi supra angelos , non angelus vnus qui sufficeret ad cibandum vnum hominem,sed plures angeli describuntur,non quidem prouidentes ei, & necessaria suggerentes,sed ministrantes ei. Scripta sunt autem hæc omnia & propter nos,quo scilicet intelligeremus diabolum necessariò fugiturum à nobis, si in resistendo illi iterum & iterum perstiterimus,secundum illud Iacobi:Resistite diabolo , & fugiet à vobis. Ac tum quidem angelos qui in tentatione videbantur nos deseruisse,suscepturos nos ac stipaturos,& lætiora rebus tristibus & molestis successura. Quemadmodum enim in humana militia vices rerum sunt,& labores otio, dura iucundis recreantur,& post diros cōflictus epinicia celebrantur,ita in Christi militia semper aspera lætiorum vicissitudine mitigantur. Nam sic Dei bonitas moderatur omnia,vt vicissim tentationibus,rebusq; asperis exerceat,probétq; militum suorū fortitudinem, & rursus solatio quoptam inuitet ad gratulationē,& gratiarum actionem.Verum ne semel iam liberi ab oppugnatione diaboli,deinceps securi degamus , sed ad nouos potius illius insultus nos præparemus,ob id bene vsq; ad tempus recessisse dicitur à Christo. Dum enim in mundo sumus,vbi satan princeps est,tentationibus eius sumus obnoxij. Docemur itaque hoc Euangelio, qui maximè diaboli tentationibus sint obnoxij nempe solitarij , & per baptismum ascripti regno Dei, cùm quàm potente & callido hoste nobis res sit,quibus in rebus nos tētet: qua ratione illum superare possimus , quódque post triumphum cœlestia solatia simus experturi.

Ioan. 14.

Iacobi 4

DOMINICA II. IN QVADRAGESIMA.

EVANGELIVM.

IN illo tempore: Egressus Iesus de Genezareth , secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa,clamauit dicens ei: Miserere mei Domine, fili Dauid:filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius,rogabāt eum:dicentes: Matt. 15.

Dimitte

Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. At illa venit, & adorauit eum dicēs: Domine adiuua me. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine: Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

QVintam nobis ista Dominica mundi ætatem à captiuitate Babylonica ad Christi vsque aduentum exhibet meditandam, malis & calamitatibus omnibus plenissimam. Primum in Babylone grauissimam seruitutem inter idololatras captiui deplorârant. deinde per Cyrum liberati, infinitas & grauissimas angustias à Persis, Syris Ægyptiis, Græcis, denique Romanis, pertulerunt. Tametsi verò nonnullos ad tempus liberatores susceperint, vt Zorobabelem, Esdram, Nehemiam, Machabæum, qui ipsos aliquoties ex parte defenderent, non fuit tamen ista liberatio diuturna. Et quemadmodum multis externis conficiebantur calamitatibus, sic internè sub imperio satanæ, miserrimè erāt suppressi, nec affulsit vspiam vlla redemptio, nisi, vt sublatis manibus & oculis in cœlum, in venturum Messiam aspicerent. Quod quidem hodiernum Euāgelium, non incommodè denotat, in quo mater filiæ miseriam lamentatur, & pro auxilio supplex Christum maximis vociferationibus, orat. Adhæc, non tantum quintam Dominica ista significat mundi ætatem, sed quia secunda est in quadragesima, pœnitentiæ quoq; symbolum habet. Cùm autem tres sint dignæ pœnitentiæ fructus, ieiunium, oratio, & eleemosyna, & de ieiunio quidem dictum sit dominica elapsa, ordine nunc in Ecclesia sequitur, vt de oratione fideles instruantur, & orationem ieiunio coniungendam esse, intelligant. Quemadmodum Christus ipse inquit, certum quoddam dæmoniorum genus, non eiici, nisi oratione, & ieiunio. Hinc D. Augustinus inquit, ieiunia, & maximè eleemosynæ, orationem adiuuant, vt possimus dicere, In die tribulationis Deum exquisiui manibus meis, & nō sum deceptus.

Matt. 17
Epist. 121 ad Prob. in fine capitu 14.

ptus. Iam verò, oratio quid sit, & qualis esse debeat siue quibus conditionibus ornata, vt exoret, nemo nos melius docebit, quàm Sophœnissæ, quantumuis gentilis & ethnicæ, exemplum.

EGressus Iesus de Genezareth, secessit in partes Tyri & Sidonis.] Quoniam Iudæi offensi his quæ Christus salutaria docuit, indignos se illis faciebāt, & iam tempus appropinquabat, quo regnum Dei ab eis transferretur ad gētes, ideo Dominus relictis Iudæis secessit in partes Tyri & Sidonis, hoc est, loca illi ciuitatibus gentilium vicina, aut ad eas pertinentia, hac loci mutatione significans quàm sitiret etiam gentium vocationem, per eius infidelitatem Iudaicam, & veluti præsagium quoddam edens eius quod pòst erat futurum, instruēdique Apostolos quid aliquando essent acturi, nisistentibus Euangelio, ad gentes essent transituri. Hæc enim præcipua videtur fuisse ratio secessus Domini in has partes, quamquam & ideo videri posset secessisse, vt aliquādiu cum suis quiesceret. Ideo enim videtur Marcus dixisse: ingressus domum, neminem voluit scire. Quamquam & alia sit ratio eius quod neminem voluit scire, videlicet ne videretur eo animo venisse, vt contrà quam Apostolis præcepit, gentibus prædicaret, & palam miracula apud eas faceret, quare Iudæi occasionem deque eum prophanis gētibus haberet commercium. Quod autem dicitur, neminem voluit scire, de tali voluntate est accipiendum, quali frequenter vetuit etiam sua miracula prædicari, nimirum de voluntate non diuina illa quæ semper impletur, sed humana qua Christus pleraque tanquam homo quadam consideratione, & sine omni fictione voluit, quæ tamen tanquam Deus alia consideratione fieri aliter voluit. Voluit ergo iam neminem scire, quia tanquam homo fecit vt lateret quantum in ipso erat, ingrediendo scilicet domum, nec patefaciendo se manifestando, ac suis silentium præcipiendo. Et tamen non sine voluntate eius diuina factum est vt à multis propalaretur, & mulier hæc ipsum accederet supplicatura

plicatura. Sic & cum dicitur: non potuit latere: non vult Euangelista absolutè potentiam latendi negare in Christo, quandoquidem absoluta potentia & diuina variis modis latere potuisset: sed significare eum non potuisse latere per ea omnia quæ fecit vt lateret. Nec mirum, quandoquidem non tantum fama eius etiam apud Tyrios & Sidonios sparsa fuit, sed & plerique eorum etiam de facie eum agnouerunt, cùm suprà sæpè dictum sit, ex Idumæa & partibus quæ circa Tyrum & Sidonem sunt conuenisse multos ad Iesum. Docemur autem hic rursum virtutis efficaciam, quæ etiamsi quærat latibula, latere tamen nunquam potest. Docemur item honorem maximè sequi fugientes.

Ecce mulier Cananæa à finibus illis egressa.] Mulierem hanc, quàm matthæus Chananæam vocat, Marcus dicit fuisse gentilem, & genere Syrophœnissam. Sic enim legimus in Marco: Erat enim mulier gentilis, Syrophœnissa genere. Vbi primò notandum, Græca non habere coniunctionē: enim, quæ contextui non bene conuenit, sed ὅτι, hoc est, erat autem. Deinde pro gentilis, nō est Græcis ἐθνικὸς, sed ἕλλην hoc est, Græca. Sed Græca dicitur Marco, non ꝙ patria aut genere esset Græca, (sic enim non fuisset Cananæa, nec Syrophœnissa,) sed pro consuetudine loquendi ipsorum Iudæorum, qui pridem cœperāt omnes Ethnicos, & quotquot à religione Iudaica essent alieni, vocare Græcos, vt passim patet ex *Actis* & Pauli epistolis. Id autem factum ab eo videri potest, quòd Græci rerum apud Syros fuerunt potiti. Vnde hæc autem dicitur, quia ex posteritate Canaan erant gentium illæ reliquæ, quæ in terra Israel atque vicinia reliquæ factæ fuerant: vnde & tota illa terra prius dicebatur terra Chanaan, Inter cuius Canaan filios vndecim, quorum posteritas terram illam habitauit, filius primogenitus fuit Sidon, vt patet Genes. 10. qui ciuitati Sidon antiquissimę & celeberrimæ nomen dedit, ex cuius finibus dicitur hic venisse mulier ista. Dicitur autē Syrophœnissa, & non solùm Phœnissa, non vt quidam volunt, ob id quòd Phœnicia pars esset Syriæ, quamuis etiā Phœnicia Syriæ annumerari solet, (sic enim omnis

Phœnissa etiam esset Syrophœnissa) sed quia quædam Phœniciæ pars dicebatur Syrophœnicia, & eius habitatores, Syrophœnices, à quo loco etiam hæc Syrophœnissa dicta est, vel, vt quidam habent Græci libri Syraphœnicissa, per diuisionem. Phœnicia enim regio est angustæ latitudinis, ac tota fermè maritima, contigua Galilææ, quo adusque Libano monti appropinquat. Hic enim mōs Syriam à Cœle & Galilæa gentium elatissimis iugis disterminans, Phœniciam & oram eam quæ Tyrus adiacet, ingreditur demissior iam & minus arduus. Huius Phœniciæ pars ea quæ vergit ad Boream, & est trans Libanum, dicitur Syrophœnicia, eò quòd coniungatur Syriæ potiori, atque ob huiusmodi confinium factum est, vt voce composita diceretur Syrophœnicia, & habitatores Syrophœnices: perinde vt alius locis sæpe, vt Celtiberi in Hispania, Gallo græci in Asia, Libarthiopes in Aphrica, phœniciæ præcipuæ ciuitates & maritimæ erant Ptolemais, Tyrus, Sarephtha, Sidon, Berytus, Biblos. Porrò in narratione Matthæi & Marci videtur esse pugnantia aliqua. Marcus enim dicit mulierem ad Dominum in domo latere volentem intrasse, ibique pro filia sua rogasse: Matthæus autem significat satis aperte mulierem hanc non accessisse Dominum in domo sed in via aliqua ambulantem, cùm dicit discipulos Domino ita fugessisse: Dimitte illam, qui clamat post nos. Illa enim verba significāt mulierem post Dominū ambulantem, vocem deprecatoriam emisisse. Quæ apparentia contrarietatis dupliciter tolli potest. Primò secundum Augustinum, vt dicatur mulierem hanc primum in domo Dominum suppliciter orasse, vt habet Marcus: Dominum autem nihil respondentem, mox egressum de domo illa, ac tunc in via contigisse quæ narrat Matthæus solus. & deinde Matthæus simul cum Marco. Secundò, & fortè rectius, si dicatur mulierem hāc primum inuenisse Dominum in via ambulantem, postquam sciret aliquamdiu in domo latuisse, ac in via contigisse primum quæ narrat solus Matthæus, ac deinde mulierem secutam Dominum in domum ingressum, ibique supplicem orasse & exorasse Dominum, quemadmo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum concorditer narrant Matthæus & Marcus. Alioqui oportebit intelligere aliam esse prostrationem mulieris, de qua Marcus, & aliam de qua Matthæus: & hãc extra domum, illam in domo contigisse, cùm vterque Euãgelista mulieri prostratæ coram Domino idem dicat à Domino responsum. Certè in hunc modũ conciliauit Euãgelistas Zacharias Chrysopolitanus, sic scribens: Post ambulantem Dominum mulier Chananæa deprecatorias voces emittit, & pòst in domo ad pedes eius procidit, vt Marcus cõmemorat. Hæc ille. Et omnino magis rationi consentaneum, quòd Dominus qui in miraculis suis ferè fugit hominum præsentiam, quique iam maximè latere voluit, prius in via solicitatus, postea in domo exaudierit, quàm quòd prius in domo solicitatus, deinde exiens palam operatus sit miraculũ. Nec obstat huic intelligendi modo quod legimus in Marco: Mulier enim statim vt audiuit de eo, intrauit, & procidit: quasi omnino statim intrauerit in domum in qua prius dixit esse Dominum. Primum enim illud, statim non est apud Græcos. Deinde etiamsi esset, referri posset ad participium ἀκούσασα, vt sit sensus: Mulier cum audiuisset statim de eo, & significetur famã Iesus ad eã mox peruenisse. Præterea etiamsi referatur ad verbum, intrauit, non ex eo consequitur nihil fuisse mediũ inter auditam famã Iesu, & ingressum mulieris. Postremum nõ est Græcè, intrauit, sed tantùm ἐλθοῦσα προσεπεσεν, id est, cùm venisset procidit, vt rectè intelligi possit nihil eius quod narratur circa hanc mulierem contigisse in domo. Vnde Græci nihil in Matthæi & Marci narratione senserunt quod cõtrarietatem videretur sonare, cuius apparentia nata tantùm est ex verbo, intrauit. Sicut enim id quod in Matthæo legimus: illa venit & adorauit eũ. Græcè est, ἐλθοῦσα προσεκύνησεν: ita id quod in Marco legim⁹, intrauit & procidit, Græcè est, ἐλθοῦσα προσέπεσεν. Quoniam autem Euangelista Marcus mẽtionem fecerat domus quàm Domus intrauerat, ideo interpres intelligens mulierem accedentem Dominum ingressam domum, pro, venit, vertit, intrauit. Potrò cum historia hæc in se satis sit, aperta, obseruandæ in ea tantùm ad nostram institutionem multæ huius mulieris virtu

virtutes, & Domini erga eam dispensatio. Et imprimis quidem animaduertenda in hac muliere pietatis virtus erga filiam. Adeo enim, vt decebat veram matrem, tenebatur amore filiæ & cura eius, vt indignitatis suæ licet conscia, tamen non dubitaret Dominum accedere, ac clamore constanti illum palam prosequi, nequaquã desistens, etsi frequenter passa repulsam. Rursum vt filiæ miseriam, suam duceret. Vnde non dicit: Miserere filiæ meæ, sed mei. Et postea: Domine adiuua me. Quibus verbis significat quàm malè ipsam haberet filiæ calamitas. Secundò obseruandum sdque potissimùm in hac muliere, quam insignis & admiranda fuerit fides, Christi etiã testimonio singulariter comprobata. Credidit enim Iesum, esse filium Dauid, hoc est, Messiam & saluatorem à Iudæis expectatum. Nam per filium Dauid, vt prius est dictum, significabant tunc passim per circumlocutionem Messiam. Credidit in manu eius esse, ac item velle salutem afferre etiam quibuslibet, & quantumuis indignis. Credidit omni dæmoniaca virtute illum esse superiorem, neque oratione illi & precibus opus esse putauit reliquorum more vt filiam sanaret, sed potestate illum hoc efficere posse, sdque etiam absentem. Vnde non dicit: ora Deum tuum pro me, aut descende ad filiam meam, sed tantùm, adiuua me. Credidit iam abnegato omni patrio dæmonum cultu, hũc vnicum esse hominum saluatorem datum diuinitus. Vnde non iuit ad homines seductores, nõ quæsiuit magnes ligaturas, sed omnes relinquens diaboli cultus vegnit ad Dominum, credens Domino parum esse ob malum superare, vnde hoc miraculum tantum micam vocat, Iam ex magnitudine fidei huius secuta est in ipsa etiam animaduersione digna fiduciæ magnitudo & constantia. Quoniam enim eam habuit de Domino fidem, quam diximus, hinc egressa ad eum opem eius implorauit, omnino confidens se eam obtenturam, sdq; adeò certò, vt hac fiducia diuoueri non potuerit, neque primùm Domini silentio, neq; mox responso dato discipulis, quo sese in totũ gentibus videbatur negare, neque denique responso sibi data, quo gratiam suam, saltem

in præsens nondum saturatis filiis, negare videbatur. Nec dubiũ quin hæc & fidei & fiduciæ magnitudo fuerit in ea ex persuasione spiritus, & attractione ac reuelatione patris, in hac gẽtili iam id incipiẽtis, quod mox passim in gentibus erat operaturus. Postremum, obseruanda in hac muliere patientissima humilitas, qua indignitatis suæ cõscia nõ indignabatur & se toties reiici ab eo qui tam facilem se aliis præbuerat semper, se canibus cõparari, quin potius se humiliter canem imõ catellam agnoscens, tantũ patiit beneficiũ canibus debitum & conueniẽs impendi sibi. Quod autem Dominus paratissimus alioqui & cupidissimus præstandi desiderium à se salutem, toties renuit exaudire mulieré, aut potius distulit eam exaudire, duplicẽ habet causam. Alteram, ne Iudæi occasionem haberent calumniandi ipsum tanquam gentium fautorem quas abominabantur. Alteram, vt ipsa repulsione & dilatione virtutes huius mulieris & magis magisq; accenderentur, & omnibus manifestæ fierent. Christo enim negãte & differente salutem optatam, ardor pietatis in filiam, feruórque fidei & fiduciæ in Christum magis accensus est, vt quo magis ille videbatur negare, hoc ardentius illa semper oraret: primũ enim clamabat post Christum, sed deinde etiam in conspectum eius procurrẽs procidit ad pedes eius, adorãs eum. Atque sic & prædictæ virtutes, & humilitas eius patiẽtissima omnibus sunt declaratæ, quando etiam catellæ cõparata non destitit illum prece sollicitare. Ob has ergo causas Dominus & primum non respondit ei verbum, & secundo discipulis partim misericordia motis, partim impatientia clamoris respondit: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierũt domus Israel*: vel, vt habent Græca, ad oues perditas domus Israel. Quæ sententia dupliciter accipi potest. Primum, vt sit sensus: Non sum missus corporali præsentia, nisi ad oues, &c. Alludit autem Dominus ad præceptũ olim datũ Apostolis. Secundò intelligi potest Dominum istud sic dixisse, quomodo in sermone, qui dicitur in monte, protulit testimonia scripturæ in eum sensum in quem ipsi Pharisæi accipiebant. Sic enim omnes Christum expectabant, quasi soli Israeli mittendus esset, præterquam si qui

qui pro phetiæ spiritum fuerant assecuti. Et alioqui si mysticè accipiatur, domus Israel, absolutè verũ est Christum tantum Israelitis, secundum spiritum scilicet & electionem patris fuisse missum, verùm hunc sensum nõ assequebantur iam Apostoli. Ob prædictas item causas etiam tertio mulieri causam suam agẽti post repulsam precem Apostolorum respondit: Sine prius saturari filios doctrina scilicet mea & miraculis. Nõ est enim bonum, hoc est, non est honestum nec decorum (Græcè enim est καλὸν, quod magis significat honestum & pulchrum, quã bonũ, quod Græcis dicitur ἀγαθὸν,) sumere panem filiorum, & mittere canibus, vel, vt habent Græca, βαλεῖν τοῖς κυναρίοις, id est, proiicere catellis. Est enim hic etiã vox diminutiua, quemadmodum postea cum vertit interpres, catelli edũt de mensa, ne quis putet in huius vocis mutatione subesse aliquod misterium, & mulierem se magis depressisse quàm eam Dominus humiliauerat. Significat autem Dñs per filios, Iudæos: per canes, gentiles, ob idololatriæ & peccatorum spurcitiam. Loquitur tamen hęc magis pro publico Iudæorum affectu quàm suo. Nã apud se mulier hæc fide iustificata non canis erat, sed filia Abrahæ Iudæi vero se solos Deo charos & sanctos iudicabãt, cæteros omnes canum loco habebãt. Notandum autem in verbis istis Domini etsi durus, tamen non defuisse consolationem, & spei materiam præbitam. Cùm enim dicitur: Sinè prius saturari filios: aliquid spei mulieri ac gentibus omnibus dabatur, cibum vitæ etiam ipsis, sed saturatis Iudæis, donandum hoc est, fore vt & ipsi Euangelium regni audirent, & Christo fruerentur postquam Iudæis illud fuisset prædicatum.

At illa dixit: Etiã Domine: Nam & catelli edunt de micis. Illud, vtique, vel, vt in Matthæo legimus, Etiã confirmantis est, non refellentis: quemadmodum tamen videri posset ex eo quod sequitur; Nam catelli, &cæt. Coniunctio enim, & hic posita videtur significare non solum filios edere panem, sed etiam catellos. Vnde quidam ante illud Nam & catelli: aliquid volunt esse subaudiendum, in hunc modum: Hoc quidem verum est quod dicis, non debere sumi panem filiorum, &cæt. attamen

tamen non ob hoc ego repellenda venio. Nam & catelli edunt, & cæt. Verùm sciendum hic rursum pro, Nam &, Græci esse, καὶ γὰρ, quod potius verti debet per, etenim. Itaque hic est sensus: Verè Domine sic est vt dicis. Nam catelli tantùm edunt de micis puerorum cadentium è mensa. Qua responsione significat se agnoscere Iudæos esse filios & dominos suos, se verò esse vilè catellam: significat item & se non petere aliud beneficium quàm canibus suo iure competat, ac hoc ipsum quod peteret, nõ esse nisi veluti micam eorum miraculorum quæ in Iudæorũ gratiam Christus operari posset. Verba ergo hæc plena sunt humilitate modestia fide, ac prudẽtia. Humilitate quidẽ, quòd per hæc significet se agnoscere catellam esse. Modestia, quod canum ius proponens non expresse inferat, quod etiam sibi merito competat concedi à Domino, sed id Domino relinquat colligendum. Fide, quòd filiæ curationem pro mica reputet, consideratione nimirum magnitudinis potẽtiæ eius, quæ longè maiora posset Iudæis præstare. Prudentia autem & sapientia, quia his verbis gẽtilis licet mulier ipsam Dei sapientiam superauit, eamq; propriis sui oris verbis comprehendit & illaqueauit, vertens in argumentum impetrandi quod dictum videbatur ad abigendum eam. Perinde enim est ac si dixisset Canem me dicis, canem me fateor, ergo nutri me vt canem. Non enim requiro vt fraudatis Iudæis filiis integros accipiam panes, sed micam tantùm expeto, quàm Iudæi abundè satis miraculorũ tuorum magnitudine & multitudine saturi, pro nihilo penè ducerent, nec indignari poterunt eam esurienti catellæ obiici in famis maxime releuamen. Itaque Dominus his verbis, se quantumuis prius variis rationibus reluctantem, superatum significans dicit, vt est apud Marcum propter hunc sermonem vade, &cæt. ac rursum significans se prius dissimulasse verius quàm negasse suam bonitatem, exclamando dicit: *O mulier magna est fides tua fiat tibi sicut vis.* Hoc est, petis. Hac enim exclamatione significat non tantum admirationem suam, sed etiam quòd non potuerit diutius sese continere, veluti anxiè laborauerit, dissimulando tam diu suam bonitatem.

tatem. Magna, inquit, est fides tua, hoc est, non simplex, nec communis, sed rara & eximia. Magna, quia constans: Magna, quia per eam magna de me credis & confidis. Iam vt hanc historiam ad nostram institutionem accommodemus, docemur hic primùm in hac muliere præter pietatem & solicitudinem quàm debent parentes liberis, in omni nostra aut filiorum, & aliorum qui ad nos attinent necessitate, ad Christum confugere, atque ab illo auxilium petere, idque fiducia firma & perseueranti, ac perfecta humilitate qua beneficiis eius nos agnoscamus indignos. Docemur secundò in Christo cum quanto nostro profectu, & vtilitate differat nostras orationes exaudire, nimirum vt magis in nobis accendatur desiderij & deuotionis feruor, atque eo magis inflammemur ad precandum, quo diutius differtur quod impensè cupimus, & obtentum multis precibus bonum pluris faciamus, ac ex eo plus exhilaremur. Docemur item quæ sit orationis indefatigantis efficacia, nimirum quod per eam id tandem impetratur, quod variis etiam iustissimisque rationibus merito deberet negari, quódq; per eã Deus cogitur quodammodo mutare semel conceptam sententiam, ac mira ratione is qui est fortissimus, tamen ab homine superatur: quemadmodum id in typo demonstratum est in luctæ Iacob cum angelo. Docemur postremò, quantum valeat aliena fides & oratio, ad salutem eorum potissimùm, qui suæ salutis per sese curam habere non possunt. Itaque ad exemplum huius mulieris, Ecclesia sua fide & oratione paruulos baptizandos, diaboli admancipia, Christo commendat, in se assumens paruulorum personas, & suam fidem pro illorum fide proponẽs, quemadmodum hæc mulier in se assumens miseriam filiæ dixit: miserere mei, & adiuua me. Vt autem mysticè etiam explicemus hãc historiam, primùm quidem certum est satis ex prædictis, allegoricè hanc mulierem designasse Ecclesiam ex gentibus congregãdam, quæ, Christo relictis Iudæis ad eam declinante, mox egressa de finibus suis, hoc est, relictis patriis ritibus, & secundum Psalmistæ consilium obliuiscens populum suum & domum patris sui, accessit ad Dominũ

Mysticus sensus.

Psal. 44.

fidęi feruore,& humili agnitione propriæ indignitatis impetrans domum & familiam suam liberari à diabolo,à quo diu miserè admodum fuit afflictata, in omne vitiorum & errorum genus pertracta & detecta. Et quidem Iudæi indignum iudicabant,vt qui paulò antè dęmonum arbitrio ad omnia flagitia rapiebantur, repentè per Euangelicam gratiam reciperentur ad consortiũ & dignitatem filiorum. At gentium Ecclesia,quum à salute excluderetur per Dei iustitiam,per misericordię fenestram irrupit,& fiduciæ pertinacia veluti telo quodam aditum sibi patefecit,effractis regni cœlorũ portis.In ęqta iã mira facta est rerum cõuersio,vt qui prius dicebantur filij, facti sint canes:& contrà qui canes,facti sunt filij.De Iudæis enim iam dicitur: Circundedetit me canes multi & Videte canes,videte malos operarios.Et quoniam canes sunt,ideo qui prius tanquam filij mensæ Dominicæ assidebant ex micis videntur pasci,hoc est,paruitate & vilitate literę:Gentes verò in filiorum ordinem,electæ obtinuerunt panem corpotis Domini ac satiantur ex adipe frumenti spiritualis intelligentiæ.Moraliter autem mulier hæc rectè quamlibet animam peccatricẽ designat,cuius filia,hoc est caro à dæmonio vexatur,quia exagitatur etiam in spiritu repugnãte ad vitia varia.Hæc igitur si sibi, suæq; filiæ sanitatem exoptat,imprimis necesse est vt è suis egrediatur finibus,hoc est , priora suæ conuersationis vitia in quibus quieuit relinquat, tum ad Christũ fide accedat, qui vnicus est salutis author. Ad quem cùm fide accesserit,opus est & fiducia firma,quæ feruidam & perleuerantem eliciat precem:& humilitate?qua se velut catellam per confessionem peccatorum agnoscat , ac indignam planè iudicet cum filiis, immaculatis mysterijs mensæ Dominicæ frui,Si enim desit humilitati fiducia, talis , humilitas & indignitatis consideratio pariet desperationem:si vero desit fiduciæ humilitas,fiducia talis pariet præsumptionem.Verùm vbi duo hæc coniũcta fuerint,nec humilitas frangetiamium, nec fiducia temerè quid sibi vendicabit , sed etiamsi conscientiæ interorandum dicatur. Peccasti grauiter,indigna es quę exaudiaris,æquum non est vt audiaris:tamẽ ita agnoscet

Psal.21. Philip.3.

scet suam indignitatem per humilitatem, vt per fiduciã de Dei bonitate cõceptam non cesset orare, imò ex indignitatis suæ ratione argumentum impetrandi à Deo colligat,ita vt dicat:Quoniam ergo Domine indignus sum,ideo miserere:quoq; magis peccaui,eo au cui proprium est misereri,magis miserere, & amplius laua me ab iniquitate mea,qui venisti peccatores saluos facere, & dixisti,non esse opus medico bene habentibus , sed malè. Sic oranti continget filiæ sanitas , ac profligato malo dæmone,consequetur animi trãquillitas & quies quæ innocentiæ & gratiæ diuinæ comes est . Hanc enim significat recubitus puellæ sanatæ super lectum, inuentæ à matre.

DOMINICA III. IN QVADRAGESIMA.

EVANGELIVM.

IN illo tempore,Erat Iesus eiiciens dæmonium,& illud erat mutum.Et cum eiecisset dæmonium,locutus est mutus, & admirata sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Et alij tentantes signum de cælo quærebant ab eo.Ipse autem vt vidit cogitationes eorum dixit eis:Omne regnum in se diuisum desolabitur,& domus supra domũ cadet.Si autem & Sathanas in seipsum diuisus est,quomodo stabit regnũ ipsius?quia dicitis ,in Beelzebub me eiicere dæmonia.Si aũt ego in Beelzebub eiicio dæmonia filij vestri in quo eiiciunt?Ideo ipsi iudices vestri erunt. Porrò si in digito Dei eiicio dæmonia profectò peruenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum,in pace sunt omnia,quæ possidet . Si aũtem fortior illo superueniẽs,vicerit eum vniuersa arma eius auferet,in quibus confidebat,& spolia eius distribuet. Qui non est mecum contra me est:& qui nõ colligit mecum dispergit. Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa,quærens requiẽ,& non inueniens,dicit:Reuertar in domũ meã vnde exiui.Et cum venerit inuenit eam scopis mundatam,& ornatam. Et tũc vadit & assumit septem alios spiritus secũ nequiores,& ingressi habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius

Luc.11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illum pelora prioribus. Factum est autem cùm hæc diceret, extollens vocē quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit & vbera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimo Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

QVinque transactis Dominicis, totidem mundi ætates nobis meditandas, catholica proposuit Ecclesia, in quibus quemadmodū nullus repertus fuit, qui regnū Satanæ vel ex seipso, vel alio potuerit, profligare, hoc est humanā naturā à seruitute peccati, & rannide mortis, & satanæ potuerit vindicare: Sic hodie ad seruandā ætatē, hoc est, ad gratiæ & Euāgelij tēpus deuētum est, in quo verus saluator tātopere expectatus, aduenit, & regnū Dei, destructo satanæ imperio, secum in terras aduexit. Cuius rei efficacissimū nobis exhibet præsens Euangelium testimonium, dum Christus illustri miraculo satanam superauit & apertis verbis testatus est, hoc irrefragabile fore signum aduentus regni Dei. Duo autē præcipua capita, præsens Euangeliū cōprehendit. Quorum alterum ineffabilem consolationē alterum terrorem haud contemnendum complectitur & admonitionem. Ad consolationem pertinet, quod audiuimus Dominum eiecisse nequissimum dæmonū qui & dementauerat hominem, & sensuum vsum illi ademerat, quo facto certi in fide reddimur, ipsum esse

Gen. 3. semen illud mulieris, quod caput serpentis fuerat
1. Ioan. 3. contesturum. Verum Meliam, Victorem fortis armati, qui venit vt dissoluat opera diaboli. Quid autem tanta fidei nostræ confirmatione, magis consolatorium nobis obuenisse posset? Non vulgarem tamen nobis terrorem incutere, debet, quod satanam eiectum, asserit Christus non quieſcere, donec redeat eò, vnde fuerat profligatus, si fortè repetiat hospitium vacuum & otiosum. Iudæis sanè hoc accidit, dum enim seruatorē suū spernunt & insectantur, satanæ à CHRISTO profligato, reditum sua obstinatione concedunt, & veluti ad redeundum inuitant. Sic & nobis contiget, qui beneficio baptismatis Christi, & verbi sui, à maligno spiritu sumus asserti, si dona Dei negligentes, ad pertiora progredi non studeamus. Prius quidem, quàm in mundum

mundum venisset Christus, satan rerum potiebatur & triumphabat, captas peccato animas, dum sibi seruire cogit, imperium orbis quod DEVS contulerat homini sibi vindicauit, & satis quietè, nemine refragante possedit. Nullus enim prophetarum aut patriarcharum, quod scripturæ testantur, potuit vnquam, inter omnia, quæ patrarunt miracula, dæmonium sua virtute eiicere. Nisi, quod de Dauide scribitur, citharæ suæ cantu *1. Reg. 16.* effecisse diuinitus, vt Saul obsessus minus à maligno spiritu torqueretur. Nequaquā tam hunc expellere, vel illum potuit liberare, soli Christo Dauidis filio hæc faultas reseruabatur. Hic, vbi venit, fortem illum princi- *Psal. 90.* pem huius mundi è vestigio conculcauit. quemadmodum ex ipso Euāgelij contextu, latius audituri sumus.

ERat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum.] Non putandum aliud esse miraculum de quo Lucas, & de quo Matthæus capite duodecimo. quamquam ille dæmonium mutum tantùm, indicat, hic verò cæcum & mutum. Nam quæ sequuntur dicta à Pharisæis & à Christo manifestè satis ostendunt vnum & idem esse miraculum. Vnde dæmoniacus iste, quē mutum dicit fuisse Lucas, diuersus est ab illo cuius meminit Matthæus capite 9. Hic enim dæmoniacus, non tàm mutus fuit, sed & cæcus fuit. Chrysostomus verò etiam surdum fuisse intelligit. Nam dictio κωφος, quæ hoc loco est apud Matthæum & Lucam, Græcis & surdum significat & mutum. Sed pro muto debere hic accipi, patet satis manifestè ex eo quod dicitur: *Et cùm eiecisset dæmonium locutus est mutus.*] Quibus verbis etiam satis significatur, quod cæcitas & sermonis impedimentum nō fuerit in hoc homine aut naturaliter, aut ex alio simili defectu, sed tantum ex præsentia dæmonis, qui illi & oculorum vsum & linguæ sustulit, atque ob id dæmonium illud Lucas mutum vocat, quòd scilicet in homine illo nō loqueretur, & hominem illum mutū fecisset. Tria ergo simul in hoc homine perpetrata sunt miracula. Nā possessus à dæmone liberatur, cæcus videt, & mutus loquitur. Non enim ex parte tantum Dominus curat, vt expulso dæmone, relinqueret ea impedimenta

dimēta quæ oculis & linguæ demon attulerat, sed expulso prius dæmone simul etiā & impedimenta sustulit. Quo & ostensum est quomodo specialiter Dominus electos suos à dæmonis potestate liberet, qui quādiu ab illo possidentur, nec vident nec audiunt, nec loquuntur quæ recta sunt, nimiram expulso prius dæmone, & lumen fidei aspicere eos facit in laudes Dei tacētia prius ora laxat. Porrò obseruanda est triplex hominum diuersitas ab Euangelistis significata, quorum vna pars Dominum propter suam doctrinam & miracula est admirata, reliquę verò duæ in Domino sunt scādalizatæ. Vulgus enim & turbæ quę Iesum prius familiariter non nouerant, nec scripturarum scientia aut opinione sanctitatis sibi placebant, admirabantur Dominum, & filium Dauid, hoc est, Messiam esse facilè crediderunt. Cognati verò Christi (eos enim significat Marcus cùm dicit: & cùm audissent sui: vbi pro sui Græcè est οἱ παρ' αὐτοῦ, id est, qui ex illius erant familia aut cognatione) ob familiaritatem quam cum ipso habuerant nihil magnificum de ipso sentire valētes, quod experti essent ipsum prius communem vixisse vitam, & a reliquis nihil differentem cùm audirent quæ de ipso nūciabantur insolita esse, & supra modum humanarum virium, furore quodam & demonæ agi dixerunt, atque hinc fieri vt noua atque inaudita doceat & faciat. Itaque quoniam erant cognati, iuxta leges humanas putabant esse sui officij, vt mentis impotem, & à spiritu quopiam arreptum cohiberent, metuentes forte etiam ne rebus per IESVM nouatis tota simul cognatio perderetur & profligaretur, cùm meritò hi Christum primùm suscipere debuissent, vt qui eius innocētiam à puero cognouissent, & cius gloria magnificè erant illustrandi & cohonestandi. Pharisæi similiter & Scribæ, quorum illi sibi placebant sanctitatis opinione, hi scripturarum intelligentia, & ipsi quoque, cùm primi debuissent agnouisse, vt cuius vita & doctrina omnis sanctitatis erat exemplum, & cui scripturæ testimonium perhibebant, contra Dominum inuidia sunt commoti, adeò vt non vererentur miraculum illud quod vulgus admirabatur, ascribere potestati dæmonis,

monis, grauius certe peccantes quàm cognati. Siquidem illi vulgari potius crassitudine peccabāt, quàm impietate, quod scilicet nihil præclari de Iesu ob familiaritatem sentire possent. Hi verò inuidia & odio excæcati dolebant suam gloriam Christi gloria obscurari. Et illi quidem non tam in miraculis offensi videntur, quàm in nouitate doctrinæ quæ multos post se trahebat. Solent enim furiosi & amentes noua & insolita loqui quę nunquam didicerunt, & nouitate illa rudem plebem ad se trahere. Pharisæi verò & Scribæ miracula apertissima calumniabantur, & quoniam negare non potuerunt quin humanis viribus maiora essent quæ Dominus fecit expellendo dæmones, nec tamen voluerunt diuinæ virtuti ascribere, dæmoniacæ virtuti attribuūt, asserentes eum potentem & insignem aliquem dæmonem habere, in quo, hoc est, per cuius virtutem eiiciat dæmones. His docemur duo maximè obstitisse, quo minus Christus ab omnibus agnosceretur, nempe quorundam cum Iesu familiaritatem in præcedentibus annis, & superbiam quorundam sibi præcentium in sanctitate, & scripturarum intelligentia, ac suam gloriam apud homines quærentium: quæ duo etiam omni tempore semper obstiterunt & obstant, quo minus egregius aliquis veritatis prædicator à quibusdam recipiatur, & in pretio sit. Docemur enim in Christo, non debere eos qui Christum sequentes virtutis & perfectionis viam amplectuntur, ob hominum calumnias discedere à via semel arrepta. Nam & eos fere duplices calumniæ consequuntur, similes duabus his calumniis quæ hic Christo legimus irrogatas. Quidam enim eos vetint insanos reputant, alij verò, qui peiores sunt, eos calliditate quadam diabolica, nempe hypocrisi, vti clamitant. Quid enim contemptis rebus omnibus terrenis, atque ipsa tota vita cœlestem philosophiam toto pectore amplectuntur, insani videntur iis, quibus nihil sapit nisi terrenum & caducum. Qui patrimonium infundit in vsus pauperum, insanit ei, qui vitæ præsidium in diuitiis collocauit. Qui ob Euangelium volens, sementin exilium, paupertatem, cruciatus, ac mortem inquittit spe fœlicitatis æternæ, furit ei, qui post hanc vitam

Universidad de Deusto
Biblioteca

vitam non credit esse vitam fœliciorem piis Qui spernit principum ac populi honores, vt gloriam assequatur apud Deum, insanit his qui verè infamiunt, largitionibus fraudibus, per fas nefasque regnum ac dignitates mox eripiendas ambientes. Rursum alij, qui huiusmodi opera negare non possunt in speciem esse bona calumniari ea student, veluti sinistra intentione & hypocrisi diabolica fiant, dum nolunt illos videri & haberi se meliores. Porrò Marcus Scribas, qui Christū calumniabantur in principe dæmoniorum eiicere dæmonia, dicit ab Hierosolymis descendisse, siue significare volens hos præcipuos fuisse Scribarum, quos ob insignioremlegē cognitionem oportuisset magis ex factis Iesu intellexisse illum esse Christum, ac sic horum impietatem exaggerans: siue significans illos ob id è Ierusalem descendisse in Galilæam, vt populum quem audierant bene affici Iesu, & in magna multitudine illum sequi, ab eo auerterent. *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.*] De Beelzebub autem, qui hic à Scribis vocatur princeps dæmoniorum, quidam absurdam habent sententiam. Existimant enim nomen hoc quo ad primam eius partem, nempe Beel, deriuatum à Belo patre Nini regis Assyriorum, à cuius imagine facta à filio creditur probabiliter orta idololatria, ac ea occasione factum putant, vt omnia idola ab illo Belo nomen sortiantur, quamuis pro diuersarum regionum varietate nomen illud ex parte sit mutatum, ita vt Babylonij dicerent Bel, alij Beel, alij Baal. Sciendum enim quod nomen hoc quod tam variè profertur, vnum sit, & purè Hebraicum quod pro diuersitate punctorum nunc Beel, nunc Baal quæ vero est lectio, legitur, & significat propriè maritum vel dominum, ideóque dij gentium hoc nomine appellati sunt, quòd domini essent illarum gentium à quibus colebantur. Pro distinctione autem diuersorum idolorum quæ colebantur ab aliis & aliis gentibus huic nomini varia apponuntur, ita vt dicatur Baalphegor vel Beelphegor, Deus scilicet Moabitarum, qui tamen in Numeris etiam absolutè dicitur Baal. Sic Baalberith nomen idoli, Iudicum nono. Sic & Beelzebub, deus erat Accaronitarum, vt patet ex. 1. Regum capite quarto

quarto, interpretatúrque hoc nomen, idolum muscæ, Nam zebub muscam significat. Itaque, vt inquit Hieronymus, Iudæi principem dæmoniorum ex spurcissimi idoli appellabant vocabulo, qui rectè musca dicitur quia exterminat suauitutem olei. Nomen autem Baal absolute positum in scripturis, nonnunquam significat singulariter Deum Tyriorum & Sidoniorum, vt eum in tertio & quarto libris Regum fit mentio de Baal quem colebat Achab in gratiam vxoris suæ Iezabel, quæ fuit filia regis Sidoniorum. Nam, teste Iosepho, Baal erat deus Tyriorum. Quod autem in Euāgelio Lucæ dicit Et alij tentantes signum de cœlo quærebant ab eo: per præoccupationem dictum est ab eo. Ex Matthæo enim constat, quando à Domino signum tale quæsierint. *Ecl. 10.*

Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit.] Quamuis Pharisæi & Scribæ de Domino non solum malè cogitarent, sed etiam apud populum calumniarentur, & dicerent, in principe dæmoniorum eum eiicere dæmonia, dicitur tamen Dominus scire cogitationes eorum, & ipsis cogitationibus respondere, quia quòd huiusmodi dicebant non aliundè sciuit, quàm quia sciuit eorum cogitationes: deinde quia perpendit quo animo hæc dicerent, nimirum vt populum auerterent ab ipso. Proinde quandoquidem calumnia hæc non in suam tantum personam recidebat, sed & blasphemia erat in Deum, & ad populi subuersionem vergebat, non potuit Dominus eam silentio præterire, sed validis & variis rationibus calumniæ huius absurditatem ostendere voluit. Vtitur autem quatuor potissimum rationibus, quæ omnes penè à communibus & popularibus exemplis sunt desumptæ. His enim apud populum veritas erat manifestius aperienda. *Omne regnum in se diuisum desolabitur.*] Prima ratio desumpta est ab experta frequenter & ab omnibus cognita instabilitate regni, vel domus dissidiis & seditionibus diuisæ, habétque hunc sensum: Experientia ipsa passim docet, omne regnum, quamuis bene munitum ac firmum fuerit, mox collabi & desolari, si factionibus intestinis diuisum fuerit. Et quid de regno loquor? Adeo nihil est stabile vbi regnat seditio, vt nec ciuitas, nec priuata quidem

dem domus diu cõsistere possit, si mutuis odiis inter se dissideant inhabitantes. Discordia enim & priuatum & publicum regnum mox destruitur. Sic ergo quemadmodum vos calumniamini, sathanas sathanam eiicit, consequitur dæmones inter sese seditionibus diuisos esse: quod si verum est, iam sathanas ipse ea agit quæ ad proprij regni desolationem faciunt, cùm tamen ipse callidissimè & studiosissimè regnum suum confirmare adlaboret, cum omnibus suis in hoc vnum conspirans vt hominibus dominetur, eósque sibi subiectos detineat. Ex hac explicatione patet quomodo intelligi debeat illud quod pro inconuenienti Dominus infert: *Quomodo ergo stabit regnum eius.* Quoniam enim illud non videtur inconueniens, eò quòd Christus venerit ad destruendum regnum diaboli, hinc videtur in illa ratione aliquid esse difficultatis, intelligúntque quidam ideo inferri tanquam inconueniens: non stabit regnum eius: quod regnum diaboli debeat perstare ex parte vsque ad consummationem seculi. Nam hunc sensum indicat Hieronymus. Alij intelligunt non de regno quo diabolus hominibus dominatur, sed quo dominatur subiectis sibi dæmonibus. Alij rursum intelligunt Dominũ non velle inferre hic aliquid tanquam inconueniens, sed ex falsa Pharisæorum calumnia, inferre id quod verum erat, nempe regnum diaboli mox caturum. Sic enim intelligit Erasmus in Paraphras. & Diuus Augustinus sermon. 11. de verbis Domini. Sed simplicius fuerit cum Theophylacto super Lucam intelligere, quemadmodum prius est indicatum, vt Dominus pro inconuenienti intelligatur inferre, sathanam ipsum suum regnum destruere velle, quod omnibus modis studet stabilire. Verũ contra hanc rationem obiici posset, sathanam eiicere sathanam, nõ ob discordiã aliquam quæ inter eos esset, sed magis ob mutuam concordiam, vt hac ratione homines in errore aliquo vel pertraherent, vel detinere: quomodo scribitur Apollinarius Magus varia fecisse miracula, & inter ea etiam dæmones eiecisse. Ad quod primo dici potest, hac sola ratione Dominum nõ putasse se calumniæ Pharisæorum ita respõdisse, vt nihil contra obiici posset: vnde & alias subiungit rationes, quibus diluitur

luitur quod contra primam rationem obiici posset, ostendit enim in sequentibus se nihil habere commune cum sathana, immo planè ab illo dissidere, vt non possit dici inter ipsum & dæmones quos expulit esse aliquam collusionẽ. Secundò dominũ dicendum etiã hac ratione satisfecisse calumniæ Pharisæorũ. Illi enim dixerunt Dominum non virtute cuiuslibet dæmonis, sed principis dæmoniorum eiicere dæmonia, quo significabant contrarietatem quandam inter dæmones, & quod superior inferiorem etiam inuitum expelleret. Si autem dæmones aliquando cedunt dæmonibus ex collusione aliqua, non iam potestati cedunt inuiti, nec tam expelluntur quàm sponte exeunt, & ideo exeunt, vt eos quos possederant, & alios etiam plures firmius possideant, in errore aliquo firmiter detentos. *Et domus supra domum cadet.* Græcè est, οἶκος ἐπὶ οἶκον πίπτει. Prepositio autem ἐπὶ, ponitur & in præcedenti sententia: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur; vbi ea prepositio manifestè ponitur pro contra, sicut & apud Marcum, cùm legimus: Si regnum in se diuidatur, non potest retinere; in vtraque sententia, pro, in & super, est ἐπὶ, pro contra. Vnde sicut apud Marcum, super, apud nos pro contra, accipiendum est, ita & apud Lucam, vt illorum verborum: Domus supra domum cadet: sit ille sensus, qui ex Marco colligitur apertè: Domus si fit contra seipsam, cadet.

Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? Hæc secunda est ratio qua iam manifestius Pharisæos refellit, dum ostendit vnum idémque opus in se calumniati eos quod in aliis laudarent, & diuinæ virtuti asscriberent, satis iam etiam significans vnde calumnia hæc proficiscebatur, nimirum quod non ex ignorantia veritatis, sed ex sola malignitate & inuidia. Per filios Iudæorum dæmonia etiam eiicientes, quidam intelligunt Apostolos ex Iudæorum stirpe progenitos, quos intelligunt non similem passos calumniam ob dæmonum electionem, qualem pertulit dominus, quibus bene competit quod sequitur: *Ideo & ipsi iudices vestri erunt.* Sedebunt enim super sedes duodecim, iudicantes duo-

decim

decim tribus Israel. Rectius autē per istos filios intelliguntur exorcistæ gētis Iudaicæ, qui & ante Christum fuerunt apud Iudæos, ex institutione Salomonis, quales fuerunt illi, de quibus Actuum 19 septē filij cuiusdam Sceuæ principis sacerdotum. De Salomone enim sic scribit Iosephus antiquit. libr. 8. cap. 2. Præstitit autem ei Deus vt etiam contra dæmones artē ad vtilitatem hominum & eorum curas edisceret, & incantationes instituit, quibus ægritudines soleant mitigari. Modos etiam coniurationum, quibus obstricti dæmones, ne denuo redeant, effugantur, inuenit: & hæc cura hactenus apud nos multum præualere dinoscitur. Et subiungit exemplum à se visum: Vidi etenim, inquit, quendam Eleazarum de gente nostra, præsente Vespasiano & eius filiis & tribunis, alióque simul exercitu, curantem eos qui à dæmonibus vexabantur. Modus autem medicinæ fuit huiusmodi. Intulit naribus eius qui à dæmonio vexabātur annulum, habentem subter signaculum radicem, à Salomone monstratā, deinde dæmonium per nares odorantis abstraxit, & repente cecidit homo. Postea coniurauit eum, iuramentum obiiciens Salomonis, ne ad eum denuo remearet, id est cantica quæ ille composuit edicens super eum. Volens autem satisfacere atque probare præsentibus Eleazarus, hanc se habere virtutem, ponebat ante eos aut calicem aqua plenum, aut peluim, & dæmonio imperabat, vt egrederetur ab homine hæc euerteret: & videntibus præberet iudicium quod hominem reliquisset. Hæc ille. De huiusmodi ergo exorcistis (qui quātum distabant à modo eiiciēdi quem Christus cum suis obseruabat, facilē patet ex prædictis) intelligendus videtur hic locus, cum quia cum hæc diceret Christus, nondum missi fuerunt Apostoli ad prædicandum, vt satis patet ex constitutione ordinis superius facta: tum quia etiam similem calumniam passuros Apostolos suos Christus pronūciat dicens: Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius. Hi autem exorcistæ dicētur fore iudices Iudæorum, qui per eos condemnabuntur, & declarabuntur, iusto Dei iudicio condemnandi, vt

Matt. 10 qui in Christo noluerint commendare, quod in ipsis

commendauerunt. Est ergo sensus: Quomodo me per virtutem dæmonis dicitis eiicere dæmones, cum idem opus in filiis vestris agnoscatis esse opus diuinæ virtutis? Manifestū certē hinc est vos non condemnare personam, sed odio personæ, ipsum opus quod in aliis laudatis. Proinde non necesse est meo iudicio condēmnemini. Ipsimet enim filij vestri vos condemnabunt, dum declarabunt vestro de se iudicio quam iniqua, maligna & inexcusabilis sit vestra in me calumnia. Postquam autem Dominus prima ratione probauit se non in satana eiicere dæmonia secunda verò ratione amplius etiam probauit, videlicet quod per spiritū Dei eiiceret, per quē omnes cō fitebantur exorcistas Iudaicos eiicere, iam ex secunda hac ratione obiter infert & aliam conclusionem, contrariam ei conclusioni quam statuere volebant Pharisæi. Siquidem hi asserentes in virtute dæmonis Dominum eiicere dæmonia, volebant eum regnum dæmonis velle statuere & confirmare. Contrà ergo Dominus infert, per se regnum diaboli destrui, & regnum Dei adferri, significans non solū esse dignam causam nullā odij contra se sed potius se omnibus modis ab ipsis amplectēdum esse, & promissum regnum Messiæ, quod illi agnoscere noluerunt, iā aduenisse. *Porrò si in digito Dei eiicio dæmonia.*] Pro eo quod habet Matthæus, in spiritu Dei, qui opponitur principi dæmoniorum, hoc est spiritu malo. Lucas habet: in digito Dei, qua locutio videri potest deriuata ab eo quod Magi Ægyptij, cum non possent artē sua magica imitari Moysen & Aaron, educentes cyniphes, dixerunt: Digitus Dei est hoc. Sicuti autem in scripturis secundum simpliciorem sensum per manum & brachium Dei significatur Dei potestas & virtus: secundum sensum autem secretiorē & altiorem, ipse Dei filius, eiusdem cum patre naturæ: ita similiter dicendum est de digito Dei, quod secundum primum & simplicem intellectum significatur Dei potestas, hoc enim significare voluerūt Magi, dum dixerunt: Digitus Dei est hoc. Secundum mysticū tamen sensum per digitum Dei significatur spiritus sanctus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctus,qui hac appellatione designatur etiã eiusdem esse naturæ,substantiæ & potentiæ cum Deo, & à patre simul &filio procedere.Itaque secundũ mysticam acceptionem digiti Dei idem est in spiritu Dei, & in digito Dei:secundum simplicem autem acceptionem,etsi non idem sit omnino spiritus Dei & digitus Dei:tamen coincidunt,in spiritu Dei eiicere,& in digito Dei eiicere. Vnde rursum significatur spiritum Dei eandem habere cum Deo potentiam.Cæterum Dominus|hac locutione vtés,videri potest insinuasse Scribarum malitiam,vt qui dictum Dei agnoscere noluerunt, quem agnouerunt Magi Ægyptiaci.Regnum autem DEI Hieronymus indicat accipi posse vel pro ipso Christo quomodo & Chrysostomus accipit:vel pro ipsa scriptura sacra & doctrina Euangelica,de qua dicitur:Auferetur à vobis regnum & dabitur genti facienti fructus eius. Rectius tamen accipitur in ea significatione quã propriam habet & in scripturis frequentem, pro eo scilicet regno quod Ioannes & Christus prædicauerunt venisse, dicentes: Appropinquauit regnum cœlorum. Verũ quæri potest quomodo Christus ex eo inferat venisse iã inter Iudæos regnum Dei,cùm & ante Christum exorcistæ Iudęorum eiecissent dęmonia in spiritu & in digito Dei. Ad quod dicendũ,Dominũ ex eo velle inferre aduentum regni Dei,quod passim tam multos eiiceret dæmones. Eo enim demonstrabatur diaboli regnum iam noua &|insolita ratione destrui,ac proinde contrà, Dei regnum nouo iam modo incipere apud homines. Deinde corporalis & sensibilis illa dæmonũ eiectio ad hoc fiebat, vt per eũ omnes intelligerent ipsum eã esse qui ex animis hominum venerat eiecturus dæmones, per incredulitatem & peccatum dominantes mentibus hominum,ac ob id infert regnum Dei venisse, non solum ob sensibilem illam dæmonum eiectionem, sed multo magis ob spiritualem, quàm illa sensibilis adumbrabat.

Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea
Matt.12. *quæ possidet.*]Tertia hęc ratione,posita ob omnibus tri-
Mar.3 bus Euangelistis,qua nõ solum probatur id quod prę-
Luc.11. cipuè erat probandum,videlicet satanam nõ eiicere satanam

tanam, sed etiam peruenisse iam in Iudæos regnum Dei,quod proximè præcedit,vnde bene Matthæus cõtinuando subiicit: Aut quomodo, & cæt. pro eo quod est:Alioqui nisi sic sit quemadmodum dixi, quomodo potest, &cæt.Potest autem hæc ratio paraphrasticè sic explicari:Eiicere me in spiritu Dei dæmonia,& peruenisse in vos sublato dęmoniorum regno,Dei regnum, vel ex his cognoscere possetis, quæ experientia ipsa docet solere accidere inter duos duces sibi contrarios, vtrosque potentes,vtrosque feroces,& quibus omnis fiducia in armis sita est. Quamdiu enim potens aliquis armatus contra hostes suos custodit aulam suam, in tranquillo & in tuto sunt omnia quæ possidet in aula sua. Quòd si autem alius fortior illo superueniens diripere voluerit quæ illius sunt,id nequaquam poterit,nisi prius fortem illum alligauerit & vicerit. Tunc enim ingressus in domum,à qua prohibebatur alterius forti custodia,& arma illius auferet in quibus confidebat, & spolia ab eo direpta distribuet militibus suis. Itaq; cum simili modo videatis me ingressum in regnum diaboli, & arma eius auferre in quibus hactenus confisus est, potentiam scilicet & vim ipsius ac vitia,quibus contra omnes homines fortior fuit hactenus,quàm vt à quoquam superari posset, & spolia eius diripere, homines scilicet,quos ille ceu spolia à Deo subrepta possedit,certum argumentũ est me tanquam fortiorẽ illo quantumuis alioqui potente,iam illum alligasse & superasse. Vnde rursum constat me in spiritu Dei, qui solus fortior est principe dæmoniorum, eiicere dęmonia & regnum Dei iam in vobis cœptum,noua ratione cõstitui,fracto regno diaboli. In hac autem parabola primum obseruandum. Dominum comparare satanã forti principi,qui aulam spoliis plenam custodit longo tẽpore in pace,se verò cõparare principi fortiori, Maior est enim(inquit Ioannes)qui est in vobis, quàm qui est in mundo. Nam vsque ad Domini in hunc mundũ aduentum nemo fuit sanctorum qui fortem illum principem superare posset,ac humanũ genus(quod ille velut spolium quoddam vi & tyrannide vsurpatum possidebat)eripere posset è manibus eius. Secundò obser- 1. Ioan. 4.

nandum Dominum in hac parabola significare se eripere spolia diaboli, quod tamen non solum nec potissimum dicit ob ejectionem dæmonũ è corporibus obsessorum, sed multo magis quia doctrina sua multorum animos illius tyrannidi eximebat, ad fidem & virtutem eos instituens cuius spiritualis liberationis specimen quoddam fuit corporalis dæmonum ejectio. Iam ingressus in regnum diaboli, quamuis communiter intelligatur ingressus Christi in hunc mundum, rectius intelligetur manifestatio Christi per prædicationem & miracula. Tunc enim veluti ingressus est in regnum diaboli ad diripiendum & spoliandum, tũcque primum illum cœpit alligare, & potestatem illius comprimere. Quod autem iam tum Dominus significat se diabolum alligasse, & arma illius abstulisse, intelligendum est iam ex parte illud factum, & tũc cœptum fieri, quod postea per crucem & Apostolorum prædicationem perfectius fecit. Porrò distributio spoliorum diaboli, quę significatur facta à Christo, dum dicitur: & spolia eius distribuet: vel intelligenda est facta patri, cui Christus spolia illa obtulit & assignauit, vel intelligenda est facta Angelis bonis aut Apostolis, eorumq; successoribus, quibus oues suas. Dominus custodiẽdas cõmisit, quanquã non oporteat omnia quę in parabolis dicuntur applicare rebus ad quas assumuntur, sed satis est potiores & principaliores parte explicare. Potest etiam spoliorum distributio intelligi de distributione fidelium, quorũ quidã in Apostolos, alij doctores: & alij ad alia officia sunt destinati, in communem tamen omnes Ecclesię profectum: Quod autem ad literam pertinet, illud: spolia eius: vel potest intelligi, spolia quę ipse diripuit, vel spolia quæ ab eo sunt direpta:

Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecũ dispergit.] Quarta hic ponitur ratio, vt omniũ brevissima, ita & efficacissima, vt qua dissoluitur quicquid cõtra precedentes rationes obiici posset. Sed circa veritatem huius sententię occurrit difficultas. Quomodo enim qui non est cum Iesu, contra ipsum est: & qui non congregat cum eo spargit, cum inter hęc duo sit medium vt quis neq; cum alio sit, neque contra eũ Deinde

de qui conuenit hæc sententia cum ea qua apud Lucam capite nono. dicit Dominus de eo quĩ nõ sequebatur discipulos & tamen in nomine Christi eiecit dæmonia: Qui non est aduersum vos, pro vobis est. Dicẽdum hic Dominum non voluisse generalem sententiã pronunciare, sed quemadmodum docet Hieronymus, de diabolo dicta est singulariter hęc sententia, videturque Dominus hũc sensum voluisse significare: Diabolus, cuius virtute dicitis me eiicere dæmonia, nõ solum non est mecum, sed etiam contra me est: & non solùm non congregat mecum homines in horreum Dei, sed eosdem etiam dispergere studet per varios errores elõgando eos à Deo. Vnde ex operum diuersitate & contrarietate constat inter me & inter satanam nullam esse concordiam. Et tamẽ etiam generaliter vera est hæc sententia: Qui non est mecum, contra me est, &cæt. eo quod non sit medium inter amare Deum & aduersari Deo. Quicunque enim illum non amat, necesse est mundo, diabolo & carni seruiat, ac proinde necessariò aduersatur Deo. Itaque rectè hac sentẽtia, quamuis nõ ex præcipua intentione Domini, vsurpatur contra hæreticos & malos Christianos, paganos & Iudęos. D. Augustinus ex hac sententia contra Pelagianos ostendit, paruulos necdum baptizatos esse aduersum Christum, quod fieri non posset nisi ratione alicuius peccati, quia etiam secundum Pelagianos non poterant esse cum Christo, nisi per baptismum. Vide libr. 1. de peccat. merit. cap. 28.

Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens, &c.] Parabolam hanc de immũdo spiritu Lucas recẽset ante responsionẽ Domini ad eos qui petierunt signum, sicut & exclamationem mulieris quæ subiungitur: verùm Matthæus magis videtur seruasse ordinem, & magis conuenit vt intelligatur dicta post redargutionem vtriusque calumniæ Pharisæorum, quamquam parum referat, & superfluò quęratur quo ordine hæc dixerit Dominus. Porrò pro intellectu huius loci de spiritu immundo exeunte & redeunte, quandoquidem valdè variè tractatur, sciendum imprimis ex intentione Saluatoris, ea quæ hic dicuntur non

referẽda esse ad quosuis homines sed ad populum Iudæorum quemadmodum patet ex eo quod Matthæus in fine subiecit. Sic erit & generationi huic pessimæ cuius partis omissio apud Lucam dedit quibusdam occasionem aliter explicandi hunc locum, quàm intentio Saluatoris requirit. Ex qua parte etiam patet, hunc sermonem esse parabolam vel exemplum, nec illud potissimum significare quod significare Saluator voluit, sed aliud propter quod parabola vel exemplum assumitur. Cæterum occasionem huius parabolę vel exempli desumpsisse videtur Saluator ex facto miraculo præcedenti, vt ex quo facto Pharisæi desumpserunt occasionem calumniãdi, ex eodem Dominus desumpserit vicissim occasionem redarguendi Pharisæos, & demonstrandi pessimam illorum conditionem, & iam indicauerit ipsos potius spiritum immundum habere, quos falso demonstrauit sibi tribuisse spiritum immundum. Prius autem quam ostendatur quomodo parabola hæc proposito cõueniat, ipsa parabola explicanda est. in qua duo potissimum occurrunt, quæ habent non parum difficultatis, & ob id variam diuersorum expositionem, videlicet quomodo dicatur diabolus expulsus ab homine ambulare per loca arida, ibique nõ inuenire requiem, cùm ariditas loci diabolũ, vtpote incorporeum, non possit offendere. Deinde quomodo dicitur inuenire domum suam vacantem, scopis mundatam & ornatam, ac tum ingressum rursum cum aliis, cum dæmonibus nõ sit opus purgare domus & ornare, vt qui huiusmodi corporalibus non capiantur elegantiis. Itaque quoniam in his locutionibus certũ est latere tropum, plerique mystice hæc exponunt, metaphorã scilicet intelligentes esse in his locutionibus, & per arida quidem loca intelligit Hieronymus gẽtium solicitudines, destitutas olim ab omni humore salutarium aquarum spiritus sancti, quæ cùm Domino credidissent, diabolus nõ inueniens amplius locum in gentibus, reuersus est ad Iudæos, à quibus olim expulsus erat in datione legis. Domum autem vacantem, purgatam, & ornatam, intelligit synagogam Iudæorum iam desertam, & Dei Angelorumque præsidio destitutam, ornatam, obseruatio-

obseruationibus legis superfluis, & traditionibus Pharisæorum. Verùm huiusmodi explicatio parabolæ, potius est applicatio parabolę quàm nuda parabolæ explicatio. Si enim sic in primo suo sensu parabola est explicanda, frustra videtur subiicit à Matthæo: Sic erit & generationi huic pessimæ. Minus verò etiam conuenit proposito Saluatoris eorum intelligentia, qui per loca arida intelligunt corda iustorum, quæ exiccata sunt ab omni carnalis concupiscentię humore: per domum vero vacantem, purgatam & ornatam, conscientiam hominis vacantem à bonis actibus per negligentiam, purgatam à pristinis vitiis per baptismum & pœnitentiam ornatam simulatis virtutib. Hęc enim parabolę explicatio, etsi optimè cõueniat sensui morali: quo ad nostrã exhortationem hanc parapolam accommodamus, non tamen conuenit intentioni Domini, tum quod propter gentem Iudæam hæc potissimum Dominus sit locutus tum quod & illa explicatio non sit simplex parabolæ intelligentia, tanquam exempli ad aliud explicandi, sed mystica parabolæ applicatio nostris moribus & instructioni deseruiens. Proinde pro simplici & genuino parabolæ postea explicandæ intellectu sciendum, Dominum in duabus illis locutionibus loqui de dæmone tãquam de homine per atropopathiam. Arida enim loca, hoc est, deserta & squallida, inepta sunt loca vt habitentur ab hominibus: domus verò vacans, purgata & ornata non solum est parata vt habitetur ab homine, sed etiam prouocatiua & illicitiua ad sui inhabitationem. Itaque similitudine ab hominibus mutuata significatur, quemadmodum homo nõ inuenit sibi requiem in locis arentibus & desertis, sed mauult in ornata domo agere: ita dæmones nullam sibi requiem inuenire, cùm ab hominibus sunt expulsi, nisi rursum inueniant hominem aliquem qui diabolo parauerit in seipso locum, eúmque veluti inuitauerit. Priori ergo illa locutione allegorica ab homine desumpta significatur, omnem habitationem immundo spiritui squallidam esse & desertam prę habitatione hominis, nec aliud Malle dæmones, quàm agere apud homines vt illos infestent, posteriori verò locutione significatur, non esse diabolo

Universidad de Deusto
Biblioteca

locum in homine, nisi homo domum suam aliis vacuauerit, ac Diabolo locum fecerit & inuitauerit veluti si quis cupidè exceptarus aliquem hospitem domũ aliis vacuauerit, tum & ornauerit ac purgauerit, quo magis illi libeat in eã sese recipere. Quod autem dicitur: Tũc vadit, & assumit septem: hoc est, multos alios spiritus nequiores se, &c. intelligendum ad literam dæmonem inuenta commoda habitatione à qua semel erat expulsus, alios multos sibi adiungere, siue quod inuenta cõmoditate solus nolit frui, siue potius ne iterum ibi expellatur facile. Iam quod ad applicationem parabolæ ad gentem Iudaicam pertinet. D. Hieronymus intelligit Dominum hac parabola significare voluisse, populum illum semel à diabolo liberatum in traditione legis, iam propter suam malitiam à pluribus dęmonibus firmissimè possidendum, Chrisostomus verò duo intelligit Dominũ significare, videlicet & populum Iudaicũ peius iam se habiturũ sub Romanis, quod ad externas attinet calamitates, quàm vnquam prius vel sub Ægyptiis, vel sub Assyriis, vel sub Antiocho: & secundò, eum populum à prauis spiritibus magis & firmius occupãdũ quàm vnquam prius. Itaque paraphrasticè parabola hæc sic explicari & applicari potest: Sic erit cum generatione hac peruersa, ac si immundus spiritus pulsus ab homine, habitatione sibi pernecessaria, vagetur aliquandiu per loca deserta, nec inueniat tamen vsquam requiem, vt cui omnis locus aridus sit & siccus, hoc est, incommodus habitationi suæ, extra hominem solum: ac proinde reuertatur ad hominem vnde pulsus fuerat inueniátque sibi apud illum locum paratum non minus commodè, quàm si quis cupidus excipere hospitẽ aliquem, & domum aliis vacuet: & deinde purgatam etiam ornet. Qua comoditate reperta siue quod ea solus frui nolit, siue cauere volens ne inde rursum pellatur abeat, & adducat quàm plurimos alios dæmones se nocentiores, atque cum eis inuadat rursum locum pristinum. Quo fanè pacto hominis huiusmodi postrema multo erunt priuis peiora, hoc est, calamitosiora & miseriora. Sic fanè & vobiscum vsuenier, qui cum me spiritum immundum habere calamnieminí, ipsi potius ab eo

ab eo possidemini, ac firmissimè possidendi estis. Cùm enim olim in Ægypto liberaremini, & ab aliis gentibus seligeremini, donati cognitione Dei per acceptam legem, expellebatur à vobis immundus spiritus. Expellebatur item à vobis, cùm à tyrannorum diuersorum oppressione, atque ab idololatria vestra & aliis peccatis vestri per prophetas & reges optimos diuinitus vobis datos liberaremini. Verum is cum malit apud vos imperare, sicut quis maunlt habitare in commoda domo, quàm vagari per deserta & arentia loca semper quæsiuit & quærit vt pristinum apud vos locum recuperet. Eum vos illi pridem, sed nunc multo maximè nõ solùm permittitis, sed etiam paratis, vltro etiam illum ad vos inuitantes, ac cuncta apparantes per quæ ille commodissimè vobis dominetur, dum meæ doctrinæ ac factis fortiter resistitis, ac me hospitem ac Dominum vestrum habere recusatis. Proinde futurum vt iam non solus ille, sed innumeris comitatus vos repetat, & sæuissima ac firmissima tyrannide vobis imperet, multóque calamitosiores reddat quàm vnquam, cùm & grauioribus sitis premendi externis afflictionibus, & quod his grauius est, diutina imò perpetua sitis percutiendi cæcitate, non solùm occupandi à pluribus & grauioribus vitiis, sed etiam cum minori liberationis spe. Hæc parabola sic explicata nos deterrendo docet, cauendum ne & nos semel à diaboli tyrannide liberati per agnitionem Dei, rursum locum demus diabolo, qui nunquam non in hoc inuigilat, maximè vt rursum possideat eos à quibus semel pulsus est, idq; adeò studiosè conatur, quasi nusquam sit alibi ei requies, sed omnia loca alia sint ei velut arida & incommoda habitationi. Quod si voto suo compos fiat, vt locum sibi paratum & commodum apud nos rursum inueniat, iam indubiè potentius quàm prius occupabit, grauiórque erit pœna posteriorum peccatorum, propter quod paralytico Christus dixit: Ecce sanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi cõtingat aliquid. Sic quoque valet hæc parabola per accommodationem & ad hæreticos, & ad quosuis prolapsos in peccatum Christianos dicendum. Quamquam autem iam dicta explicatio Ioan. 5.

plicatio parabolæ,quod attinet ad mentionem locorũ aridorum,& domus vacuæ,purgatæ, & ornatæ, videatur esse simplicissima & maximè genuina, nequaquam tamen superiores illæ intelligentiæ,aut aliæ aliorum planè sunt reiiciendę.Nam frequẽter Saluator videtur studiosè tales proposuisse , & nobis reliquisse parabolas,quę vt & nobis eas seruire voluit,& non tantum iis propter quos primũ dictæ sunt ita etiã variũ & diuersum ab eo qui conuenit primo proposito,sensum admittere possent pro varia auditorum instructione,& accommodatione conueniente diuersis locis & temporibus.

Factũ est autem cùm hæc diceret,extollens vocem quædam mulier de turba,&c.]Scribis & Pharisæis Dominum tẽtantibus & blasphemãtibus,mulier simplex dolóq, carens illum celebrat,cúmque illi nec miraculorum magnitudine commouerentur ad admirationem,hæc sola sapientiæ & efficaciæ quæ in verbis Domini percipiebatur cõsideratione in tantam perducta est admirationem,vt in media turba ac hostium Christi præsentia nõ vereretur illum exclamando prædicare,quem audiebat Scribas & Pharisæos vituperare. Demonstratum certè etiam in hac muliere rursum.Deũ spretis superbis, sapientibus & potentibus huius seculi , humiles potius eligere voluisse quibus Euãgelij veritatem aperiret, & per infirmos & stultos pudefacere potentes & sapientes.Sed & typus quidam Ecclesiæ gentium in hac mũliere expressus est,ac commõstratum quod Iudæorum synagoga illa docta Christum blasphemante , stulta & cõtempta Ecclesia gentium contra calumniatricem synagogam palam & apertè Christum & matrem eius esset prædicatura. Aptissimè autem mulier muliebri more beatificat vterum & vbera,quod hæc sint muliebria, volens ac ratione beatificare matrem & nutricem quæ talem ac tantum virum protulit & aluit.Porrò hac cõmendatione mulier ista & veram Christi humanitatẽ ac incarnationem confessa est,& aliquid etiam hominc maius in ipso admirandum esse,ob quod beata dicẽda sit eius & mater & nutrix : vnde cũ nihil dubiũ sit quin non ex seipsa sed ex suggestione spiritus sancti hoc testimonium tantum Christo perhibuerit, per hanc vocem

cem spiritus sanctus non solum præsentium Pharisæorum calumniam confudit, sed & futurorum hæreticorum perfidiam,qui vel purum esse hominem asserturi, vel negaturi ipsum verum fuisse hominem , aut ex carne virginis ipsum non sibi sumpsisse carnem suam. Si enim (inquit Beda) caro verbi Dei à carne virginis matris pronunciatur extranea,sine causa vẽter qui eum portasset , & vbera quæ lactassent, beatificantur. Qua verò consequentia eius lacte credatur nutritus,ex cuius semine negatur conceptus, cùm ex vnius & eiusdẽ fontis origine secundum Physicos , vterque vigor manare perhibeatur?Obseruandum certè & illud, quod cùm spiritus sancti hæc fuerit vox,non parentes Iesu à muliere beatificantur , sed venter tantùm portantis & vbera lactantis , quòd vnum tantùm in terris habere parentem. Itaque mulier quidem muliebri more muliebria laudat, spiritus vero sanctus per eam & veram Christi humanitatem , & vnius parentis singularitatem astruit. Quid autẽ Dominus ad hæc. *Quinimò,beati qui audiunt verbum Dei,& custodiunt illud*] Gen erosè certè,de more parum semper tribuens cognationis affectui. Est autem quinimo , (pro quo Græcè est μενοῦνγε. quod etiam vertipotest,certè)coniunctio,qua non negatur quod dictum est,sed cum affirmatione dicti infertur quod est certius, Itaque non negat hoc responso Dominus matrem ob conceptum sui & enutritionem esse beatam. Nam suprà Angelus ei dixerat: Inuenisti gratiam apud Deum. Ecce cõcipies in vtero &c. Et Elizabeth repleta spiritu sancto: Benedicta tu,inquit , inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Sed cõfirmans mulieris sermonem, subiungit potiorem beatitudinis rationem , quæ nisi beatæ virgini competisset , nihil ei partus Christi ad veram beatitudinem profuisset. Verum quoniam hæc beatitudinis ratio omnibus communis diuæ virgini maximè conueniebat,ideo quæ singulariter est beata ob partum & educationem tantæ prolis,in communi illa & certiore beatitudinis ratione , omnium etiam est beatissima. Quare beata virgo per hæc filij verba magis est beatificata , in genere tamen , quam fuerit in specie beatificata per verba mulieris:quoniam verbis Iesu laudata

Luce 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

data est ex parte animę : verbis vetò mulieris, ex parte corporis. Cæterùm (inquit Chrysostomus in Catena D. Thomæ) si Mariæ non proderat sine virtutibus animæ, Christum ab ea ortum traxisse, multo magis nobis siue patrem, siue filium, fratrem virtuosum habeamus, nos autem absistamus ab illius virtute, nequaquam hoc prodesse valebit. Obseruandum autem quàm apta fuerit Christi respõsio ad exclamationem mulieris. Illa enim occasione verborum Christi, quæ audiebat, prorupit in beatificationem eius quæ illum peperisset & lactasset: ipse verò eorũdem verborum occasione beatitudinem, quàm illi voi appropriauit, omnibus volentibus docet esse communem, consolans hac ratione mulierem hanc & omnes præsentes, quasi dicat: Propter sermones quos ex me audis, singulariter beatam prædicas eam quæ me in vtero concepit, & vberibus suis aluit: at verò ne tu aut quisquam desperet se nomen beati assequi posse, ego certius tibi asserto, per eosdem sermones, propter quos illam beatam prædicas, quemlibet, si modo velit, beatam esse posse. Deinde & in illo responsionis conuenientiam considerare licet, quòd cùm illa beatificarit eam quæ verbum Dei corporaliter in vtero gestauerit & aluerit, Dominus beatificat omnes qui verbum Dei spiritualiter in corde concipiunt, quod fit audiendo: & conceptum etiam pariunt, & veluti vberibus alunt, quod fit auditum verbum custodiendo & adimplendo. Sic enim conceptus in nobis Christus velut in lucem editur, & nobis, imo & à nobis quodammodo alitur. Bene autem dicit: qui audiunt & custodiunt: eo quòd neutrum sine altero beatificare possit. Nec dicit qui audierunt & custodierunt: sed, qui audiunt & custodiunt: vt intelligamus solos perseuerantes in audiendo & custodiendo, esse beatos.

DOMINICA LAETARE QVAE EST IN QVADRAGESIMA IIII.

EVANGELIVM.

Ioan. 6. IN illo tempore: Abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis: & sequebatur eum multitudo magna quia videbant signa quæ faciebat super his, qui infirmabantur. Subiit ergo Iesus in montem, & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudæorum. Cùm sublenasset ergo oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid facturus esset. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex discipulis eius Andreas frater Simonis Petri: Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Iesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. Accepit ergo Iesus panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus. Similiter & ex piscibus, quantum volebat. Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superfuerunt fragmenta ne pereant. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducauerant. Illi ergo omnes cùm vidissent, quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.

IN ordine temporis, secundum consuetudinem Ecclesiasticam, est hæc dominica Septuagesimæ septima, Quadragesimæ verò quarta, quæ, quàm significationem habebat, ex superioribus facilè poterit indagari. Sicut enim præcedens sextam mundi ætatem (quæ totius noui testamenti tempus à Christo ad finem vsque mundi complectitur) nobis meditandam exhibet: ita quoque per hanc septimam, vltimæ ætatis, quæ in cœlis sine fine durabit, in qua perfectam liberationem tam corporis, quàm animæ consequemur, significationem habet. Nullum ibi locum habiturus est Satan, non expugnabit tentatio, sed securitate quàm maxima perfruemur. Et quia non regnabit ibi amplius peccatum nec concupiscentia, sed iustitia superna, ideo ineffabili gaudio perfruemur, mors non mordebit amplius. Quæ omnia per hanc Euangelicam nobis indicantur historiam

historiam. Quemadmodum namque hic quietè residet populus, à cuiuscunque periculi metu securus. Apostolorum manibus, Christo dispensante, reficitur, sic in fine mundi, cùm Christus sublatis oculis, nos se sequutos, suo respectu dignabitur, non amplius per Apostolos, sed per seipsum panem, qui nunquam deficiet, nobis subministrabit. Maximè verò, vt qui iam dimidium Quadragesimæ, dignis pœnitentiæ operibus, ieiuniis, orationibus, & eleemosynis transigendo, molestiam multam deuoraumus, nunc accepto fruitionis illius beatissimæ, ex isto miraculo gustu, quanta sit futura eorum exultatio, qui ad finem vsque salutaribus pœnitentiæ fructibus, sunt se Deo sacrificaturi, cognoscamus. Quia igitur lætissimam illam ætatem expendimus, & vt in duris pœnitentiæ laboribus nonnihil respiremus, reficiamurque, fit vt lætionibus canticis exultet Ecclesia, subinde faustum illud. Lætare repetens, & ingeminans. Additur etiam Epistola & Euangelium eiusdem argumenti, nisi enim hoc, spirituale gaudium nostrum condiat ieiunium quod videlicet post hanc ætatem, perpetuam simus fœlicitatem adepturi, quis durare, quis ferre posset? Deinde, introducitur Paulus, qui vtriusque testamenti differentiam, duarum Abrahæ vxorum cõditione per allegoriam demonstrat, euidenter concludens, non seruos, sed veros liberos esse filios Dei, ac proinde fœlicitatis venturæ Christi beneficio, dominos atque hæredes. Sed nunc ad Euangelium deueniamus.

Abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis & sequebatur eum multitudo.] Circa literam & concordiam Euangelistarum duplex hic oritur dubium. Alterum est de loco in quo miraculum istud multiplicationis quinque panum accideret. Nam quòd citra stagnum Genezareth contigerit, videtur ex Luca, qui desertum locum in quo factum est miraculum dicit fuisse locum ciuitatis Bethsaidæ. Hæc enim ciuitas est citra stagnum. Cui consonat Brocardus in descriptione terræ sanctæ, vbi montem illum in quo miraculum contigit, describit non longè esse à Capernaũ. Quòd tamen vltra

vltra stagnum locus iste fuerit, manifestè patet, non solùm ex eo quod Ioãnes dicit Dominũ abiisse trãs mare Galilæę, sed etiã multo magis ex eo, quod peracto miraculo Dominus iussit suis vt transnauigarent rursum ad Bethsaidã, vt habet Marcus, post quam transnauigationem venerunt in terram Genesar, vt habet Matthæus, & in Capernaum, vt habet Ioannes. Locus ergo ex quo transnauigauerunt, erat vltra stagnum. Alterum dubium est, quomodo turbę pedestres venerunt ad eum locum, ad quem Christus cum suis nauigio tendebat, quemadmodum Matthæus & Marcus habẽt. Dicit quidem Beda, quòd eũ pedestres turbæ peruenisse dicuntur, ostenditur nõ in aliam maris siue Iordanis ripam Discipulos cum Domino peruenisse, sed proxima eiusdem regionis loca adisse, ad quæ etiam indigenæ poterant peruenire & peruenire pedestres. Verùm quomodo tunc dicitur à Ioanne in hodierno Euangelio, Dominus abiisse trans mare Galilææ? cumq; ex superiori ratione manifestum satis sit miraculum factum vltra stagnum, non est verisimile illius regionis fuisse turbam istam, sed ex regione alterius ripæ in qua Christus ferè semper diuersabatur, ad quam etiam redeuntem Dominum sunt in Capernaum secuti, vt docet Ioannes. Ad primum horum omnino videtur dicẽdum, vltra lacum quidem fuisse locum ad quem Dominus secesserit, eum autem dici fuisse ciuitatis Bethsaidæ, siue quia esset illi ciuitati ex opposito, siue quia ad illam pertineret ciuitatẽ, etsi in diuersa stagni ripa esset. Ad secundum nõ video quomodo responderi possit, nisi dicamus è Capernaum Dominum prigmò secessisse (nam ibi verisimile est ad Dominum congregatos Apostolos) ac in oppositam ripam nauigasse, aliunde; nauigantem & abeuntem multos vidisse, vt dicit Marcus: alios autem ab his qui viderant audisse, vt habet Matthæus, atque hos circumeundo paululũ eam oram in qua est Capernaum, quod est in principio stagni situm, Iordanem deinde transisse, siue per pontem aliquem, siue per ipsas fluuij aquas transuadando. Interim hic obseruanda auiditas turbarũ in sequendo Christum, quæ in eo declaratur, quòd fugientẽ aut secedentem Dominum etiam secuti sunt, idq; pedestri itinere,

& summa cum celeritate, relictis ciuitatibus, ac omni cura prospiciendi sibi de victu deposita, in deserta loca festinantes. Secessus enim iste Christi hominum desideria non fecit tepescere, sed magis acuit & accendit.

Cùm sublevasset ergo oculos Iesus, & vidisset.] Matthæus, Marcus & Lucas dicũt Apostolos suggessisse Christo de turbarũ dimissione. Ioannes verò videtur significare Dominũ prius de cibandis turbis fuisse solicitũ, cùm dicit eũ conspecta hominũ multitudine interrogasse Philippum: Vnde ememus panes vt mãducent hi? Sed hanc apparentem historiæ & narrationis diuersitatẽ bene soluit Augustinus, docens intelligendũ prius quidẽ Apostolos Domino suggessisse, ac deinde dixisse: Non habẽt necesse ire. Date illis vos manducare. Postmodũ Dominum è monte in quo sedebat cũ suis sustulisse oculos, ac vidisse turbam multam venisse, & continuò venire ad *ipsum*, ac tunc humano more tentasse Philippum. Incertum tamen an secessus ille Domini in montẽ, de quo mentionem facit solus Ioannes, intelligi debeat, antequã Dominus populũ docuisset, an post doctrinã, sed ante suggestionem Discipulorũ, an etiã post hanc suggestionẽ. Nec in eo iudicanda est aliqua cõtrarietas, quòd Ioãnes Andreã respondisse dicit de quinq; panibus & duobus piscibus, reliqui verò eam responsionẽ omnibus tribuãt Apostolis, eo quòd etiamsi solus hoc dixerit Andreas, omnũ tamen nomine hoc dixerit. Sic nulla cõtrarietas in eo est, quòd Marcus Apostolos dixisse refert: Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare. Ioannes verò dicit Philippum respondisse: Ducentorum denariorum panes non sufficeturos vt vnusquisque modicũ quid accipiat. Verisimile enim est prius Apostolos hoc dixisse quod Marcus refert, veluti sentientes panes ducentorum denariorum posse eam turbam satiare, ac deinde Philippũ quod illi dixerant magis auxisse, ita vt assereret ne tot quidem panes posse sufficere. Deinde illis verbis apud Marcum non significare voluerunt Apostoli eam pecuniæ summam posse sufficere, sed tanta saltem opus esse, quantam satis sciebant Dominum cognoscere apud se nõ esse. Perinde enim est ac si dixissent. Præcipis vt nos demus illis manducare, id autem

autem vt possemus, opus esset emeremus panes non minus quam ducentis denariis, cùm apud nos pecuniæ sit quam minimum. Non enim, vt quidam intelligit, his verbis significauerunt Apostoli apud se tantum esse pecuniæ, sed potius non esse tantum quantum ea turba requireret, quod satis apparet ex Luca, qui dicit: Nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hãc turbam escas: & subiicit: Erant autem ferè viri quinque milia: significans Apostolos illud de eundo & emendo escas, dixisse præ nimio stupore, quòd Dominus præcepisset illis turbam tantam cibare. Ita & verba illa Marci sunt accipienda, quasi ex stupore & per ironiam quandam dicta, quæ verba duplicem habent pronunciationem. Nam quidam ea volunt legenda esse per interrogationem, ac tunc pro, emamus, vertendum fuerat, ememus, vt sit sensus: An vis vt egressi emamus, &c. Recitus tamen leguntur sine interrogatione, eo quòd Græcis sine aoristi subiunctiui modi pro imperatiuis positi, ἀγοράσωμεν & δῶμεν, emamus & demus, quamuis non male pro secundo verbo interpres verterit, dabimus.

Porrò quo intelligatur quàm bene dixerit Philippus, ducentorum denariorum panes non sufficturos vt vnusquisque modicum quid accipiat, supputatio inuenta est. Ducenti enim denarij, secundum Budæi supputationem, efficiunt florenos aureos 25. aut, quod idem est, Rhenenses 35. Hi si diuidantur in eos nummos quos Brabanti nonenarios, Flandri senarios vocant, reperiebit numerus 5600. Itaque cùm numerus manducantium virorum fuerit 5000. exceptis mulieribus & paruulis, vt testatur Matthæus (nam mos Hebræorum erat non recensere nisi viros) & verisimile sit non multo minorem fuisse numerum mulierum & paruulorum, vt non dicam eum fuisse maiorem, facilè patet singulis non tantum panis ex ducentis denariis, contingere posse, quantum apud nos in commoda annona emi possit nonenario Brabantico aut senario Flandrico. Quod autem Dominus etsi maximè moueretur erga turbas miserecordia, non tamen prius ad miraculũ venit quàm à discipulis illi suggereretur turbæ necessitas, factum est eò tardè, ne videretur ad miraculi operationem ostenta-

tionis gratia profilire, atque vt miraculũ ipsis Apostolis & aliis esset commendatius & testatius. Simili ratione Dominus non dicit Apostolis: Ego pascam eos: hoc enim arrogantiæ videretur fuisse: sed, non habent necesse ire, vos date illis manducare: vt illis se non habere testãtibus, magnitudo miraculi notior fieret & illis impotẽtiam obtendentibus, ipse velut necessitate coactus faceret iam quod suum erat. Illo tamen dicto: vos date illis manducare: Dominus etiam significauit, quòd sit nonnunquam boni pastoris officium, nimirum vt nõ solùm pascat pane doctrinæ, sed etiam pane corporali cùm opus fuerit: deinde, quantam illi haberent potestatem si credẽrent, vt quibus datum esset tantam pascere multitudinem, quemadmodum credere id meritò potuissent, ex miraculis prius perpetratis in nomine Christi. Cæterùm quemadmodum Apostoli suã solicitudinem & misericordiam ostenderunt, cùm Christo suggessertũt turbæ necessitatem: ita iam iussi à Domino pascere turbam, præ se ferunt promptum ad obediendum animũ, sed dolent nõ ẽsse ipsis facultatem, dum dicunt: Non habemus hic nisi quinque panes, &c. Et per hanc item ipsorum responsionem Apostolos magis præparauit ad miraculi fidem & admirationem, vt qui iam testati erãt ciborum penuriam, & turbam pascendam innumerabilem. Quod autem Ioannes refert Andream dixisse: Est puer hic vnus qui habet quinque panes, &c. nõ est contrarium ei quod alij dicunt, Apostolos respõdisse se habere illos panes. Primò enim intelligi potest à puero illo Apostolos emisse hos panes. Deinde, puer ille potest intelligi fuisse vnus ex Apostolis, quomodo Christus post resurrectionem suam Apostolos piscantes vocat pueros, dicens: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Vbi obseruanda Apostolorum frugalitas, ac negligentia rerum corporalium. Cùm enim essent duodecim, & iam in desertum locum secederent, quinque tamen panes tantùm secum deferunt, cosque hordeaceos, & pro obsonio non carnes, sed pisces, & eos tantùm duos. Videri autem posset etiam ideo hordeaceorum panum apertam factam mentionem, quo reuocaretur in memoriam miraculum Helizæi, qui viginti panibus hordeaceis 4. Reg. 4.

deaceis pauit viros centum. Eorundem Apostolorum prompta obedictia declarata est, cùm iussi afferre quinque panes quos solos habebant, non dicunt: vnde ergo subleuabimus famem nostram: sed cõfestim obediunt, suo exemplo nos docẽtes, quòd etsi pauca habuerimus, oporteat ea etiam communicare egentibus. Porrò quare Dominus præ cæteris Philippum tentauerit, hoc est, exploratierit fidem illius, rationem aliquam attingunt Chrysostomus & Theophylactus, sed apertius Cyrillus sic scribens: Non est alienum considerare, quare ad Philippum: Libenter Philippus discebat, quærebatque sæpius, sed non erat adeò acutus vt altiora posset intelligere. Quod inde patet, quia magno tempore Saluatorem secutus, & varia Deitatis eius signa in dies aspiciens, & tam rebus quàm verbis ad cognitionem attractus, quasi nihil adhuc didicerit, in vltimo ferè admirationis tempore dicit ad Iesum: Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Vt ergo rudiorem ad sublimiora ingenio consequenda & ad fidem vocans & roborans vocat, &c. Bene autem Dominus Philippum tentans, dicit: Vnde ememus panes, hoc est, quibus pecuniis, aut ex quo loco, cùm simus in deserto. His enim verbis Dominus omnem viam emendi panes illis occlusam significans, ad illud eum cogit erumpere vt diceret: Si volueris multitudinem eam alere, opus esse vt illa ineffabili potentia alimenta iam producat, qua olim vidensat nominum in nuptiis aquas conuertisse in vinum.

Quod autem Euangelista tempus huius miraculi designet, dicens: *Erat autem proximum pascha dies festus Iudæorum.*] potissimùm ob id factum videtur, vt ex suppurtatione paschatum & aliorum festorum Iudaicorum intelligeremus tempus prædicationis Christi, quod ab alijs non fuit significatum Euangelistis, quanquam etiam mysterio non vacat, miraculum hoc, (quod occasio fuit illius sermonis qui sequitur de manducando corpore Domini, & tradenda carne eius in cibum, id quod factũ est circa pascha vltimum) factum fuisse etiam circa pascha præcedens, maximè cùm hoc miraculum speciem quoddam & typus fuerit illius spiritualis panis, qui sequenti erat paschate instituendus.

Facite homines discumbere.] Euangelistæ reliqui paulò aliter hoc Christi præceptum referunt. Quod nos habemus, secundum cõtubernia: Græcè est συμπόσια συμπόσια, hoc est, conuiuia conuiuia. Est autem Hebraismus, quo dictiones geminantur pro numero distributiuo, vt sit sensus: per singula cõuiuia, aut per distributa conuiuia. Sic & postea cum in Marco habemus, in partes, Græcè est, πρασιαὶ πρασιαί, hoc est, areolę areolę, pro eo quod est, per areolas singulas. Præcepit autẽ Dominus turbas discumbere, idq́ue in sodalitia numero centum aut quinquaginta, tũ vt omnia ordinatè & sine tumultu fierent: tum vt ex huiusmodi distributione numerus mãducantium cito percipi posset ab Apostolis, quorum etiã ministerio ob hoc est vsus, & ipsi etiam manducantes melius aduerterent miraculi magnitudinem & veritatem. Quod autem Lucas dicit Dominum dixisse: Facite homines discumbere per conuiuia quinquagenos: non est contrarium illi quod habet Marcus, in quibusdam sodalitiis fuisse centenos. Lucas enim partem tantum dixit, Marcus verò totum. Et quod Ioannes dicit numerum virorum fuisse quasi quinque milia: & Lucas ferè quinque milia: non est cõtrarium illi quod in Matthæo & Marco legimus, eos qui manducauerunt fuisse quinque milia. Primùm enim mos scripturæ est in numerorum descriptione non anxiè certum ipsum ponere numerum, nec curare si paulo minus aut plus sit: vt etiam annos hominum describit, qui in aliquot mensibus aut defecerunt, aut exuperauerunt. Deinde sciendum, apud Græcos in Matthæo & Marco etiam addi eam dictionẽ quę in Ioanne & Luca additur circa numerum manducantium, nempe dictionem ὡσὶ hoc est, fermè vel circiter. Eadem enim hæc dictio in omnibus est Euãgelistis, qua significare voluerunt numerum quinque milium non fuisse complotum. Porrò circa panes & pisces quos ab Apostolis Dominus accepit propter miraculi certitudinem, obseruandum est Dominum quatuor fecisse. Primò enim suspexit in cœlum, ipso gestu demonstrans vnde haberet potestatem huius miraculi. Secundò, vt habet Ioannes, gratias egit Deo patri, pro donis scilicet ipsius humano generi in cibum præstitis, & singulariter

gulariter pro accepta ab illo potestate faciendi præsens miraculum, docens non tantùm post sumptum cibum, sed etiam antè Deo gratias esse agendas à nobis. Tertiò benedixit, quod quidam intelligunt idem esse cum eo quod dicit Ioannes gratias egisse, vt benedicere sit hic laudare Deum, sed obstat quod Lucas dicit: benedixit illis, nempe panibus. Hæc autem benedictio, erat imprecatio diuinæ gratiæ, quæ hic non simplex erat, sed efficiens panum benedictorum multiplicationem, quemádmodum benedictio panis in vltima cœna operabatur panis transmutationem in corpus Domini. Quartò fregit panes ac distribuit Discipulis, vt distribuerent turbæ. In qua fractione ac distributione, intelligenda est facta mirabiliter panum multiplicatio, ad eum modum quo per multiplicationẽ ex costa vna Adæ facta est Eua, & quo hydria farinæ non deficiebat, nec lecythus olei minuebatur in domo Sarephthanæ, & quo parum olei impleuit ad preces Helizæi multa vasa: quales multiplicationes non possumus intelligere, nisi per additionem materiæ, idq́; vel per creationem, vel per conuersionem. Vnde Augustinus dicit super Ioannem hoc loco, quòd hoc modo Christus ex quinque panibus satiauit quinque milia hominum, quemodo ex paucis granis producit multitudinem segetum. Quod fit per conuersionem alimenti. Sunt autem Augustini verba hæc: Vnde multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicauit quinque panes. Potestas enim erat in manibus Christi, panes autem illi quinque quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo qui terram fecit multiplicata. Dicitur tamen vel ex quinque panibus turbas pauisse, vel ex costa mulierẽ formasse, quia additio facta est ad materiam præexistentem panum vel costæ. Verisimile autem est hanc multiplicationem panum non solùm factam in manibus Christi, sed etiam in manibus discipulorum atque turbarum. Sic enim miraculum erat certius & maius. *Dixit discipulis suis, colligite*] cùm iam cibo expleta esset multitudo, iussit discipulis Dominus vt colligerent fragmenta, & collegerunt duodecim cophinos: in quam fragmentorum multitudinem au-

Genes. 2. 4. Reg. 4.

geri voluit Dominus exilem comeatum, quinque panum & duorum piscium, tum vt & hoc argumento procuraret certitudinem & admirationem miraculi: tum vt doceret non oportere paream esse in pauperes beneficentiam, & Dei benignitatem largam esse in sibi fidentes, cámque largiter multiplicaturam bona eius qui in pauperes est beneficus, secundum illud Pauli: 2. Cor. 9. Qui administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ. Porrò quod ad moralem spectat doctrinam, rectè intelligitur Dominus hoc miraculo significare voluisse, eis qui sibi adhærerent etiam in deserto, hoc est, vbi nullum humanũ auxilium adfuerit, nullum necessariorum bonorum defuturum, ac ob id prædicatoribus anxiam solicitudinem parandi comeatum esse tollendam. Quod verò ad allegoricum pertinet sensum, satis fuerit simpliciter intelligere significatum esse tempus iam aduenisse, quo panis spiritualis verbi Dei & corporis dominici Dei gratia multiplicatus, à Christo primo authore per manus Apostolorum & Apostolicorum virorum esurienti diuersarum turbarum & gentium multitudini esset distribuendus, idq; in maxima copia, quã significãt fragmentorũ reliquiæ. Itaq; non sine mysterio extra Iudæam, & in deserto loco factum est hoc miraculum, idque in panibus quinque, eisq; hordeaceis, nimirum quia relictis Iudæis, incultæ & esurientes pane spirituali magis erãt pascendæ: ac doctrina Moysi in quinque libris consistens, & adhuc parum suauis, Christo frangente & aperiente scripturas, erat sic multiplicanda, vt omnibus hominibus satiandis sufficeret. Secundum quem intellectum allegoricum, docetur hic moraliter, quomodo pascendi sint Euangelici sermonis pabulo homines à prædicatoribus, nempe vt Euangelistę quantumuis sint multa lectione ac meditatione in sacris instituti, tamen agnoscant quàm sit illis exilis comeatus, & eum quem habent, quantus quantus est, se Domino debere, eique illum sese debere offerre, vt illius benedictione & fractione multiplicatum apponant populo, non tanquam suum, sed tanquam Domini cibum. Ita enim fiet Euangelicum

gelicum conuiuium, & salutari pabulo non tantùm omnes saturabũtur, sed etiam superet quod prædicatores sibi colligant ac reponant in secreto cordis sui.

DOMINICA IN PASSIONE.

EVANGELIVM.

IN illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum, & principibus sacerdotum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Respondêrunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonoratis me. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat & iudicet. Amen dico vobis, Si quis sermonẽ meum nõ seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi, Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ, & tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis? Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est pater meus, qui glorificat me, quẽ vos dicitis, quia Deus vester est, & non cognouistis eum. Ego autẽ noui eũ. Et si dixero, quia nõ scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum: vidit & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dixit eis Iesus: Amen amen dico vobis, antequã Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. Ioan. 8.

QVid hactenus in Ecclesia fuerit declamatum, nescio, nisi paganum, ignorare puto: Perlustratum enim à Septuagesima per septem præcedentes Dominicas, & à primo hominis lapsu, singulis subsequentibus mundi ætatibus examinatis, vbique demonstratum fuit, omnes sub peccato venundatos, à quo nisi per immaculati agni sanguinem, non potuerunt mundari: Itaq; quod fœlix faustumq; sit, solennem hunc dominicæ passionis (hoc est, qualiter agnus immolatus sit pro salute mundi) commemorationem, auspicabimur.

Hac de causa dominica præsens à passione nomẽ habet, cultusq; Ecclesiasticus est immutatus, vt sicut hactenus pullis indumentis in signum pœnitentiæ vsi sumus, ita subsequenter in dominicæ passionis memoriam, rubris vtemur. Non, quod hoc die vel subsequentibus diebus, supplicium crucis sit passus D. Iesus, sed quod vti hostes ipsius in die parasceues corporaliter ipsum taquã reũ, egerũt in crucem, ita ab excitatione Lazari (quẽ nudius tertius, aut circiter excitatum ferunt) ad diem vsque parasceues, variis eundem, si alias sæpissimè, ita nũc vel maximè, tum cõsiliis, tum insidiis, blasphemiis, iniuriis, contumeliis, dicteriis infinitis petere, & quasi quibusdã progin. asmatibus ad mortẽ prosequi cœperũt. Quantum autem totius vitæ Christi decursus, quo cum hostibus humani generis Satana, mũdo, peccato nostri causa conflixit, non fuerit aliud, quàm dolorum, aduersitatum, persecutionum, continua tolerantia, quia tamẽ Iudæorum his diebus maior solito, ferebat insania, adeo

Ioan. 12. vt definito consilio statuerint & Lazarum, cuius gratia multi abibãt & credebãt in Iesum, quamlibet innocentem, perimere, & Christi memoriã prorsus extinguere: cõgruè nunc Christi passionis commemoramus initia. Ad quam rem mirè congruit Euangelium, quod hodie charitatibus vestris recitatum est, in quo præcipuè duo passionis Christi capita declarantur: Primo, quæ fuerit persona Christi: Secundo, qualis illorum, qui causa necis innocentissimæ fuerunt, Pontificum & Pharisæorum conditio. Persequutores enim eius perfidi põtifices, Iudæorum magistratus homines athei, ob solum odiũ veritatis & inuidiã gloriæ Christi nominis, sic insaniebãt: Cũq; prauis essent & erroneis imbuti, de iustificatione opinionibus, maderentq; vitiis pessimis, auaritia, fastu, hypocrisi, mendaciis, iracũdia, veritatis doctor, imo ipsa summa veritas, non potuit eos pro officio non redarguere. Hinc illæ lachrymæ, hinc toties audire cogitur, Samaritanus, demoniacus, publicanorũ & peccatorũ amicus, seductor, &c. Deinde, quoniã suã videbãt gloriã Christi

Psal. 40. Sap. 2. 1. Reg. 19. miraculis obscurari, in tantum excãduerunt inuidia, vt nihil neq; cogitare neq; dicere aliud potuerint, nisi, quo niam morietur & peribit nomen eius. Item: circumueniamus

niamus iustum, quoniam cõtrarius est operibus nostris. Tali fuit in Danidem mente præditus Saul: Tali, Cain, in Abelem, item apud Hieremiam prophetã: Cogitauerunt super me consilia dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentiũ, & nomen eius non memoretur amplius. Tali deniq; animo principes in Danielem fuerunt, qui ob solam probitatem ipsius, quoniam Deum verum ac viuum adoraret, grauiter eum accusarunt: Similiter ob veritatem ab ipso traditam, Bel euersum, draconẽ occisum, itrucẽtes in ipsum, in locum abiecerunt. Iam autem videte charissimi, quo fructu Iudæi in Christum dira quæq; machinati sint, & nobis illius passio susceptiatur. Illi dum è templo seruatorem suum exigunt, Deum perdunt, pariter & templũ. Si etiam Dei præsentia beatos efficit, infœlicissimos fore necesse est, qui eum à finibus suis reiiciunt, Christus est vita. Dum autem ipse se abscondit & abit, mortem ibi triumphare certissimum est. Quæritis me, & non in-

Gen. 4. Hier. 11. Dan. 4. & 14. Ioan. 8. uenietis, & in peccatis vestris moriemini. Ad nos verò Christi passio relata, securitatem confert in mortis angustijs, seruat à morte pepetua, eluit, & expungit omnia crimina turpitudinem peccati nos docet, vt eam tãtam esse intelligamus, quæ vnigenitum Dei filium ignominiosam mortem subire coegerit, & adhuc hodie eundẽ crucifigat: Charitatẽ etiam tum Dei, tum proximi mentibus nostris imprimit. Dei quidẽ, cum infinitã amoris erga nos sui magnitudinem perpendimus, quo sic dilexit nos, vt filio suo vnigenito nõ pepercerit, sed pro nobis omnibus ipsum tradiderit. Proximi verò, illum nobis merito & charum, & pretiosum esse debere, qui animã habeat tanto comparatam pretio, quod cum toto vniuerso comparari non potest, sanguine nimirum, pretioso Christi, proindéque grauissimum esse peccatum, aut scandalosa vita, aut odio, iniuria, inuidia aut alia quacunque de causa, saluti proximi obesse, &c.

Dixit Iesus turbis Iudæorum, & principibus sacerdotum: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*] Vt ostenderet Dominus Iudæos nullam habere iustam causam non credendi ipsi, nec alia causa nõ credere, quàm quia veritatem

tē loqueretur, inquit: Quis ex vobis arguet me de peccato? Græca autem, similiter & Augustinus, habent præsens tempus, arguit. Sed eodem redit, Sensus enim est: quis me potest vel poterit arguere, hoc est, argumentis conuincere de quouis peccato, nedū de errore & mendacio? Arguere enim exponendum est pro conuincere, non autem pro accusare. Nam Græcis est ἐλέγχειν, quod est refellere & argumentis conuincere. Alioqui Iudæi Dominum de peccato frequenter accusabant, & in eius operibus, cum dicerent illum soluere sabbatum: & in eius doctrina, cum dixerunt: Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. Nunquam autem potuerunt eum certis conuincere argumentis, sed vbiq; obstructum est à Domino os loquētium iniqua. Sensus itaq; est: Si quispiam vestrū est qui aut doctrinam meam de aliqua falsitate, aut omnino vitam meam de aliquo peccato conuincere possit, vt ob id mihi non putet esse credendum, in medium ille quisquis est prodeat. Si verò nemo vestrum me peccati conuincere potest, quare ergo non creditis mihi veritatem dicenti? Sic enim subiungitur à Domino: *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* In qua sentētia apud nos deest coniunctio. autem, vt sit: Si autem veritatem dico, &c. quæ coniunctio multum facit ad argumētationis perfectionem. Constringit enim duplici hac interrogatione Dominus Iudæos, quod aut eum conuincere debeant mēdacij vel peccati, aut ei quem cōuincere nequeunt, credere. Causam autem quare non crederent vera licet dicenti, ipsemet Dominus concludendo explicat: *Qui, inquit, ex Deo est.*] hoc est, Dei spiritu prędituſ est, hic verba Dei audit: lubenter scilicet & benignis auidísque auribus ea acceptat credendo, & obediendo eis. Propterea ergo vos mea verba quæ Dei sunt non auditis æquis auribus, quia ex DEO non estis, id est, afflatu spiritus diuini non estis donati, sed pleni afflatu diaboli. Sic &

1. Ioan. 4. Ioannes: Qui, inquit, nouit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritū veritatis & spiritum erroris. Circa prędicta Domini verba, obseruāda primùm, vt annotauit Diuus Gregorius, Domini mansuetudo, qui cùm venisset ad iustificandū peccatores,

catores, non dedignatur tamen se ex ratione ostendere peccatorem non esse, & sese peccatorum redargurioni si possent, subiicere. Secundò obseruanda nota illa, qua dignoscitur num quis ex Deo sit natus an non.

Respondérunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia, &c.] Solet conuicta impietas, dum non habet quod respondeat veritati, conuerti ad conuitia. Itaque Iudæi quoniam conuicti erant esse filij diaboli, ad maledicta confugiunt, mera animi impotentia regerentes in Dominum quæ nullam vel similitudinē veri habebant. Nonne, inquit, bene dicimus nos. Quibus verbis significant se id prius Domino obiecisse aliquando ipsum autem reipsa iam confirmare illorum dictum. Porrò Samaritanum Dominum vocabant, non quòd origine eum talem esse putabant, sed per contemptum & vilipensionem. Nam Iudæi Samaritanos execrantes, quem vehementer odiebant, Samaritanum appellabāt: quomodo Christiani quosdam per cōtemptum Iudæos vocant. Aut Samaritanum appellabant, quòd quemadmodum Samaritani Iudæos nobile semen Abrahæ, vilipenderet, aut quòd legis & cæremoniarum videretur esse transgressor. Dæmonium autē habere dicebant, quòd vt dictum est in caput Ioan. 7. insana & absona eum loqui iudicarent, cum illos dicebat ex patre diabolo & non ex Deo esse, se verò suamque doctrinam tantopere videretur commendare. Vnde cap. Ioannis sequenti mulți dixisse dicuntur: Dæmonium habet, & insanit, quid eum auditis? Alij dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis. Ex quo loco satis patet illos sic dixisse Dominum habere dæmonium, quomodo solemus nos dicere aliquem insanire, quem absurda loqui iudicamus. Proinde aptè Dominus respondit: *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum.*] quasi dicat: Non loquor insaniæ verba, sed ea loquor per quæ studeo patris mei gloriam apud homines promouere. Ad insanam Iudæorum calumniam & contumeliam clementissimè Dominus respondit, alterum conuitium, nempe Samaritani nomen, dissimulans, siue quia nihil aliud erat quàm impotentis iræ maledictum, omni ratione carens, siue secundum Augustinum, quia ipse nomen

men Samaritani lubenter secundum eius significationem cognouit sibi competere, sicut se in quadam parabola apud Lucam per Samaritanum designauit. Samaritanus enim custos interpretatur. Ad dæmoniaci autem vocabulum intētatum, quoniam derogabat gloriæ Dei & veritati doctrinæ suæ, respondit quidem, sed ita vt nō regesserit maledictum quod in illos meritò retorqueri potuisset, sed mansuetè & simplici negatione tātùm depulerit à se, qui alioqui inter docēdum, & vitia hominū reprehendendum pro gloria Dei vehemens erat, liber & acer. Quo nos docuit, vt quoties agitur de gloria Dei, quoties aduersus impios defendenda est euangelica doctrina, vehementes simus & acres: quoties verò nos ipsi conuitijs incessimur, lenitatem præstemus, sic vt nec ad omnia respondeamus, sed ea tantùm, idque cum modestia, à nobis depellamus, ad quæ, sine periculo fructus euangelici, non possemus obticescere. Dicit autem Dominus se honorare patrem suum, per ea scilicet verba, ratione quorum eum dicebant habere dæmonium, quia per illa ostendit quod Iudæi homicidæ & mendaces nō essent filij Dei, sicut gloriabantur, quodque vera esset doctrina sua. Per hæc enim pater honorabatur. Dicit ergo: honorifico patrem meum, vos autem me quia patrem meum honoro, inhonoratis, vel, vt habent quidam codices Græci & Latini, inhonoratus, cum scilicet Samaritanum & dæmoniacum appellatis. Ne autem id dicere videretur, quasi doleret se ab eis inhonoratum & ignominia affectum, ac gloriæ cupidus putaretur, subiecit: Ego autem non quæro gloriam meam. Ego tanquam homo scilicet non quæro gloriam meam, sed gloriam Dei, & salutem hominum. Quamuis autē ego secundum quod homo gloriam meam quatenus homo sum, non quæram, nec vicissim eos qui ignominia me afficiunt, est tamen qui gloriam meam quærat, & non solum quærat, sed etiam iudicet, vindicando me de his qui me ignominia afficiunt. Vult enim pater vt omnes honorificent filium sicut honorificāt ipsum: & qui hoc recusant facere ab eo vel in hac vita, sicut Iudæi, vel saltē in futura vindicabuntur. Sciendū autem Græca non habere futura, quærat & iudicet, sed ὑπάρχει ἰσταῖ καὶ κρίνων, id est,

id est, est quærens & iudicans, vel, est qui quærit & iudicat, vt non significetur pater quæsiturus, sed quærere & iudicare cùm est oportunum. Nec est istud contrarium illi quòd alibi dictum est: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Nam ibi est sermo de iudicio vniuersali, hic verò significatur patrem vicissim siue in hac vita, siue post eam, inobedientiam & ignominiam filio ostendere. Diuus Augustinus intelligit Dominum hic loqui de iudicio discretionis, vt sit sensus: Est qui quærat & iudicet, hoc est, discernat suo tempore gloriā meā à gloria cuiuscunq; creaturæ, quando me scilicet sedere faciat in dextera sua, qui & modo satis discernit inter me & alios homines, per opera & doctrinam quam per me protulit mundo. *Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit.*] Quoniam Iudæi Domini sermonem velut insanum & à dæmone profectum calumniabantur, Dominus contrà quàm salutaris sit ipsius doctrina liberè proclamat, nequaquam reuerens Iudæorū contradictiones, nec ob eorum conuitia à docendo quę piis & electis ibi præsentibus essent salutaria, cessans. Amen amen, inquit, dico vobis, quisquis sermonem meum nō simpliciter audierit, sed auditum etiā seruauerit, obtemperando ei, non videbit, hoc est, non experietur, nec sentiet mortem in æternum, quia ab æterna morte erit liber & mors corporis ei mors nō erit, sed somnus & migratio. Somnus, quo ad corpus aliquando excitandum: migratio, quoad animam fœlicius in altero seculo victuram. Circa quæ verba notandum, idem iam à Domino promissum seruantibus sermonem eius, quod supra promissum manducantibus carnem eius, vt intelligamus verum esse panis mentem hominis nutriens & viuificans.

Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmonium habes.] Etsi mansuetissimè Iudæis insaniam sibi obiicientibus Dominus respondisset, & quæ salutis eorum essent docuisset, contra illi sermonem eius intelligentes de morte corporali, rursum insaniam ei obiiciunt, tanto quidē furore, vt etiam proprij sui honoris obliuiscerentur. Nam cum dicunt: Nunc cognouimus: significant se id prius cum illi hoc obiecerunt, non cognouisse, aut non

non satis cognouisse. Mirátur autem quomodo Dominus immortalitatem promittat seruantibus sermonem eius, cùm ea nec Abraham, nec prophetis contigerit, quos tamen constat seruasse sermonem Dei, atq; ob id colligunt ipsum se anteponere illis, quod polliceretur ea quæ illi non solum non potuerunt aliis præstare, sed nec ipsi sunt assequuti ex obseruatione mandatorũ Dei. Porrò Dominus omisso dæmoniaci nomine furibundè sibi intentato, quod prius à se simplici depulerat negatione, ad reliqua pro suo more mansuetè respondet. Et primùm quidem ad illud quod postremo loco dixerũt: Quem teipsum facis: quo significauerunt eum seipsum exultare, & sibi vsurpare personã alienam. Ad hoc enim respondet Dominus, dicens: *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.*] Quæ sententia secundum Chrysostomum sic est intelligenda, quomodo illa supra cap. 5. Ioannis. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum nõ est verum: vt scilicet Dominus eam loquatur ex Iudæorum & non ex sua sentẽtia, & concedendo dicat. Aliter tamẽ & rectius sic intelligetur, quomodo aliæ multæ similes: Si ego ex meipso, aut ego tanquam homo, qualis à vobis soliũ esse putor, glorificeo meipsum inanis & pro nihilo æstimanda esset gloria mea. *Nunc autẽ non ego me glorifico, sed est pater meus qui me glorificat.*] Hæc autem patris glorificatio non intelligenda est tantum consistere in his quæ pro filij gloria pater fecit in baptismo, & in monte Thabor, aut post mortem in resurrectione & ascensione eius, sed & in omnibus quę filius dixit aut fecit. Hęc enim cum filius non à seipso dixerit & fecerit, sed pater per illum loqueretur & operaretur, & filij gloriam diuinam apertè satis comprobarent, dicitur filius per illa non seipsum glorificasse, sed patrem ipsum glorificasse. Sic & prophetæ non seipsos glorificauerunt, cùm ex Dei mandato dicerent aliquid ad gloriam eorum pertinens. Sed tunc seipsum quis glorificat, quando suis, hoc est, non diuinis dictis vel factis gloriam sibi venatur & parat apud homines. Claré autem aperit eis Dominus quẽ vocet patrem suum, cùm subdit: *quem vos dicitis quod Deus vester sit.*] significans in veritate nõ esse ipsorum Deum, sicut gloriabantur. Vnde sub

de subdit: *& non cognouistis eum.*] quia scilicet sermonem eius & opera quæ per me edit non agnoscitis, nec mandata eius seruatis, quorum vtrumque arguit hominem non verè & intimè agnoscere Deum. In hunc enim sensum Dominum dixisse illos non cognoscere Deum, patet, quia mox de se dicit: Ego autem noui eum, & sermonem eius seruo. Nam quod dicit, sermonem eius seruo, indicium esse vult cogniti à se Dei. Differentia autem, quam hic reddit Dominus inter se & Iudæos, quoad cognitionem Dei, eò tendit, vt significet rationem quare illi non credant patri filium glorificãti, ipse verò tam liberè audeat pronunciare quæ ad suam facerent gloriam. His autem veluti munimentis præiactis, secundò respondet ad id quod de Abraham obiecerũt. Nunquid tu maior es patre nostro, &c. ostenditq; se illo maiorem esse, & simul indicat illum non esse mortuum ea morte de qua ipse erat locutus. *Abraham, inquit, pater vester exultauit vt videret.*] hoc est, gestiuit, & summopere optauit videre diem meum, hoc est, aduentum meum in carnem. Et quod summè desiderauit videre eum magno etiam nostri gaudio est assecutus. Vidit enim diem meum oculis spiritualibus, quia iam agnouit me in mundum venisse, & ob id gauisus est, quòd per me sciat se & totum humanum genus à morte redimẽdum, & in cælos subuehendum. D. Augustinus illud vidit & gauisus est, refert ad tẽpus quo Abrahã fuit in carne, vt tunc dicatur vidisse diem Domini, hoc est, cognouisse & ob id gauisum fuisse. Incertum autem relinquit, an quod de die dicitur, intelligendum sit de die tẽporali aduentus Christi in carnem, an de die æternitatis, qui nescit ortum, nescit occasum. Vtrumque enim illum dicit per fidem vidisse adhuc in carne positum, quod vel tunc declaratum est ait eo, cùm seruum suum, posita manu sub femore suo, iurare voluit per deum cœli, significans se credere, vt vult Augustinus, Deum cœli ex suo semine incarnandum. D. Chrysostomus similiter illud, vidit & gauisus est, refert ad tempus quo Abraham fuit in carne: sed per diem Domini intelligit tempus passionis eius, quam Abraham præuiderit & præcognouerit, cum postquam filium suum immolare pararet, hircum pro eius obtulit

Gene. 24.

Gene. 22

redemptione. Caietanus autem colligit debere hanc partem ad illud tempus referri, & de die æternitatis locum hunc intelligendum, quòd Iudæi ex his Domini verbis intellexerint Dominum fuisse visum ab Abrahã, & vicissim illum vidisse cùm in mundo hoc ageret. Dicunt enim: & Abraham vidisti? Verum prima interpretatio videtur simplicior, qua locus hic de die aduentus Domini in carne intelligitur, & cum tunc Abraham vidisse, quandò in limbo inferni existens, intellexit deinde veratam Christi incarnationem, impletam esse & perfectam. Nec obstat id quod mouet Caietanum. Nam dicendum, Iudæos, vt frequenter pro suo carnali sensu, Domini verba male intellexisse & putasse ipsum locutum de visione corporali cùm loqueretur de spirituali. Itaq; Iudæi dominum significare putantes Abraham vidisse illum oculis corporalibus, & proinde tum vidisse eum in mũdo hoc degeret, nouam rursum calumniam Christo obiciunt, dicentes: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahã vidisti?*] Dicendum erat, & Abraham vidit te: verùm quo magis absurditas appareret, dicunt, & Abraham vidisti? Porrò quoniam hic dicitur de quinquaginta annis, D. Irenæus lib. 2. capite 40. colligit Dominum maiorem annis quadraginta prædicasse Euangelium, ac ad ætatem quinquagenariam accessisse cum hæc illi Iudæi obicerent, quod & confirmat authoritate eorum qui hæc se audiuisse à Ioanne prædicabant. Verùm hæc sententia tanquam Euangelistis contraria ab omnibus reiicitur. Et Eusebius lib. 3. capite 39. notat Papiã Ioannis discipulum, quòd ex Apostoli verbis non satis intellectis tradiderit quædam, vnde data est aliis erroris ansa, inter quos numerat etiam Irenæum. Alij pro quinquaginta legunt quadraginta. Nã sic legitur apud Chrysostomum, qui commenti vice adiicit: ac si tam prope accederet ad eam ætatem. Verùm scriptorum vitio verisimile est quinquaginta mutatum in quadraginta, quòd ineptum nimis iudicarent Iudæos obiicere de annis 50. cùm ab illis tam longè adhuc Dominus abesset. Proinde quidam suspicantur Iudæos existimasse Dominum seniorem fuisse quàm erat, ob maturitatem & grauitatem vultus, & ob multum laborem in prædicationibus,

bus, vigiliis, & orationibus. Theophylactus curiosum nimis esse putat inquirere quare dixerint potius de annis 50. quàm 40. putans casu factum esse, quòd eis in mentem simpliciter venerit ille numerus. Probabilissimum autem est quòd appellatione quinquaginta annorũ spectarint ad morem sui seculi, hoc est, Iubilei, quod interdum seculum appellatur, quasi dixerint: Nondum vnũ seculum impletti, & audes dicere vidisse te Abrahã? Huic consine est quod Theophylactus commemorat quosdam dixisse quinquaginta annorum factam mentionem ob honorem anni Iubilei. Porrò quanquam Dominus Iudæos redarguere potuisset de malo verborum suorum intellectu, potius tamẽ ad eorum interrogationem respondere voluit, vt apertius iam suam diuinitatẽ declararet, ostendet se Abraham esse maiorem, atque ob id dicit: *Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, vel nasceretur aut esset, ego sum.*] Non dicit, ego fui, sed, ego sum, quemadmodum superius, vt ostenderet Iudæis se eum esse qui olim dixerat Moysi: Ego sum qui sum. Iudæi ergo hanc vocem tanquam blasphemiam non ferẽtes, cucurrerunt ad lapides, vt pœna legis cõtra blasphemos statuta cum occiderent. Vbi eorum manifestus apparet furor, cum sine sententia iudicis ad lapidationem se parant, non habita etiam consideratione loci, nempe templi. Verùm Dominus, qui iam verbis suam apertè significauit diuinitatem, eandem reipsa ostendit, cùm abscondit se ab eis, reddendo se illis inuisibilẽ, sicq; exiit è templo, è manibus eorum elapsus: docens nos suo exemplo, vt, cum etiam possumus resistere, iram superbientium humiliter declinemus. Exod. 3.

DOMINICA PALMARVM.

QVoniam sanctissima dies, qua suam Christus passionem peregit, incipit appropinquare charissimi, fertit Ecclesia se, quàm potest feruentissimè, ad domesticam passionem tota mente pertractandam. Et quò id fiat commodius, personam Christi, summa cum admiratione sibi proponit, quod talis persona tantundem se nostri causa demiserit. Atque hæc meditatio principium,

pium,& veram ad passionem Christi fructuosè meditandam,methodum dabit. Quis enim,qualis humilitas fuerit, ad quã se Christus deiecit, rectè perspicere potest, nisi prius sublimitatem,in qua fuerat ab æterno, probè consideret? Quis hic suorum scelerum magnitudinem videre,eamque in Christo deplorare, indulgentiamque (qui passionis fructus est) poterit impetrare, qui prius personam patientis,quod non solum homo, sed mundi etiam saluator,sit & verus Dei filius,non cognouerit? In hunc finem hodiernum Euangelium spectat, in quo apertè videmus Christum verũ illum,& à prophetis prænunciatum esse Messiam. Futurum enim erat vt vultus eius passionis squalore, in tantum obscuraretur, vt nemo ipsum pro Dei filio posset agnoscere. Ea propter, paulò ante suam passionem, tanta cum magnificentia, cum tali pompa vrbem ingressus est, vt omnium oculos pariter & cogitationes in se conuerteret,quo tali spectaculo commoniti,dum tam immania patientem viderẽt, intra se cogitarent. Age, quanquam res Iesu videantur afflictissimæ, scripturæ tamen & prophetarum oracula in nullo sunt alio,quàm in ipso cõpleta. Hierosolymam ea forma,qua Zacharias de Messia prædixit,intrauit. Populus ipsum eo ritu,eisdemq; verbis, quibus id futurũ Dauid præuidit,cantans,Osanna pium,excepit. Nõ dubium igitur,cum hæc ita se habeant, etiamsi deterior eius foret conditio, pro vero ipsum habendum Messia. Quod si discipulis passionis tempore, ista venissent in mentẽ,nunquam animis ita vacillassent. Nos verò,amicissimi, si Euangelium, & hodiernã processionẽ Christi, hac ratione mentibus nostris infigamus, nullum nobis tormenta Christi parere poterũt offendiculum, sed seruorem amorẽ, admirationem & gratitudinem. Potiò, maiores nostri(quemadmodũ D. Chrysostomus accuratissimè annotat) septimanam hanc à rebus in ea gestis, muneribusq; , quibus hoc tẽpore genus humanũ extitit locupletatum maximis, Hebdomadem magnam vocauerũt. Hic enim,iuxta Danielis vaticinium,finem accepit peccatum consumpta est præuaricatio, deleta iniquitas, introducta iustitia superna,impleta visio,& prophetia,& vnctus sanctus sanctorum. An non merito magna

Zach. 9.

Psal. 117

Hom. 30. in Genes.

Dan. 9.

gna hæc septimana vocabitur,in cuius prima die,magni licentissimam Christus celebrauit processionem, quam sequitur breui(vt alia prudẽs præteream) dies cœnæ magnæ paschatis, deinde per mortem, expuncto peccato, etiam tartarea regna vastauit,ruptisq; inferni claustris, patrum veterum duxit captiuitatẽ. Deniq; post sabbatum diem, vtiq; quo Christus in corde terræ requieuit ab omni opere suo,quod patrauerat, dies succedit sacratissimæ resurrectionis. Tanto igitur magis aduigilandũ fuerit, ne tempus vniuerso orbi fructuosissimum, nos præteruolet infrugiferum. Christianus non est, qui hoc tempore non compatitur suo domino,& pietati sedulã non nauat operam. Et,Si D. Chrysostomus, sacratissimis hisce feriis Geneseos explicationẽ coram populo omittendum esse inquit, vt festa crucis dominicæ celebrantes,de aliis sermonẽ afferremus) quãto melius nos ab his quæ ad exteriorem tantum hominem pertinent, abstinebimus,& quanta pietas hoc præsertim tempore veterum fuerit, perpendamus, qui hisce diebus ad Paschatis vsque festum,in siccorum esu pernoctabant pane & sale,& aqua,tunc vtentes ad vesperam. Nunc ad Euangelistam reuertamur.

Ephes. 4.

Hom. 33. in Genes.

Vide Epiphanium. 3 aduersus hæreses circa finem.

Cum appropinquasset Hierosolymis.] Vide dominicam primam aduentus,in qua tam Euangelij quàm prophetiæ enarrationem inuenies.

IN FESTO PASCHAE. EVANGELIVM.

In illo tempore, Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum: Et valde mane vna sabbathorum, veniunt ad monumentum, orto iam sole. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidẽ ab ostio monumẽti? Et respicientes, viderunt reuolutum lapidẽ: erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida, & obstupuerunt. Qui dicit illis: Nolite expauescere. Iesum quæritis Nazarenum crucifixũ: surrexit, nõ est hic: ecce locus vbi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quod præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

Marci 16

SERMO I. GEORGII BRAVN.

HÆC est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Causam regius Propheta subiicit, dicens: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Quæ verba, D. Petrus in resurrectionis memoriam repetens, dicit: Hic lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, factus est in caput anguli, nec enim est in alio aliquo salus. Nec mirum. D. Paulus enim omnes scientias, opes & delitias abiecit, imò pro stercoribus habet, modò ad notiam & cognitionem Iesu Christi pertingere, virtutemq; resurrectionis eius possit cognoscere. Quid hodiernæ itaque festiuitatis ûbi velit lætitia, neminẽ hic adesse puto, qui nesciat, denunciatur enim nobis hodie resurrectionis Domini nostri Iesu Christi à mortuis ineffabile sacramentum, per quam cuncti in orbe terrarum Christiani, ad spiritualia gaudia prouocantur, vt quemadmodum passionis acerbissimæ recordatione, tristitia sunt & compassione affecti, ita sequenti ipsius gloriosa resurrectione, maxima perfundantur consolatione. Ex solius etenim crucis, & mortis Christi meditatione, quid aliud, quàm propriam nostram agnoscimus infirmitatem, damnationemque, quæ sola spectata, fidem diuiunt, spem perturbant, ac tantùm non in desperationis orcum præcipitant. Sic Apostoli Christi duntaxat passione spectata, vacillarunt in fide, spemque omnem amiserunt. In natiuitate Domini, ex Esaia cecinimus: Puer natus est, & filius datus est nobis. Quid autem nobis profuisset ista donatio, si nihil aliud, quam nostram damnationem nobis sua damnatione & morte, patefecisset. Per doctrinam suam viam vitæ mortalibus demonstrauit, sed nisi resurrexisset, quis vitam assequutus fuisset? Ideo prudenter Apostolus cùm præmisisset passionis mysterium: Traditus est, inquit, propter delicta nostra: mox subiecit: Et resurrexit propter iustificationem nostram. Quis aliquo secutè crederet crucifixo? quis vitam speraret à mortuo? Quo sanè nomine deridemur à Turcis & infidelibus, nescientibus, nos nõ magis mortuo, quàm viuenti confidere. Quem enim post fata reuixisse certo didicimus,

DEVM esse non dubitamus, cui securi credimus, & absque vllo speramus errore. Exurge itaque exurge ô anima Christiana, exurge, & ecce, IESVS Nazarenus Crucifixus, Saluator, & redemptor tuus reuixit, lamentationes depone, & lætitiæ canticum, Alleluia, nunc sæpius iterumq; repetendo, benedic, & lauda Dominum, quia summorum hostium tuorum potentia ac fortitudo fracta est & dissipata. Quemadmodum hic tibi Nazarenus, ô infernalis dæmon arridet? Vbi nunc inferne captiui tui, quos tanto annorum interuallo, collegisti? Salue ergo festa dies, toto venerabilis quo, qua DEVS infernum vicit, & astra tenet. Hac nocte, multis seculis desiderabilis, qui in tenebris expectabatur, aduenit, qui diu captam, captitiuam duxit captiuitatem. Vbi nunc mors stimulus tuus, vbi, ô mors, victoria tua? Mortem occisus calcauit IESVS, inquit diuus Augustinus. Sathan, serpens antiquus, totius mundi seductor, princeps, & ad omne malum tentator, qui saluti nostræ insidiabatur, hodie, mandante Domino, catenis vinctus in abyssum, & stagnum sulphuris & ignis deturbatur. Confidite nunc omnes, quibus mundus, eiúsque concupiscentia est molesta, nam, qui nunc reuixit, Saluator noster, mundum deuicit. Vicit leo de tribu Iuda, cui omnis est data potestas in cælo, & in terra. Vanissimi hic cedant Romanorum triumphi, & inanes ouationum clamores, ac tropheaphoræ pompæ, quibus vrbis, aut gentis alicuius deuictor, nunc Imperator, nunc triumphator, nunc patriæ pater, militum, aut populi acclamationibus, salutabatur. Quibus verò laudum elogiis triumphatorem hunc nostrum Iesum Christum, nec & virginis filium exornabimus, qui immanissimos hostes, à quibus Romani, etsi victores, quouis tamen tempore subiugum missi, atq; suppressi fuerunt, non sibi, sed nobis omnibus superauit? Israelitæ ex captiuitate Ægyptiaca, quæ temporaria tantum erat, liberati, gratijs Deo peractis, ac solenne Domino carmen decantantes, dixerunt. Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare. Si item Dauidem, cum Philisteum superbissimum interfecisset, Hierosolymam ingredien-

Apoc. 20

Ioan. 16. Matt. 28

Exod. 15.

1. Reg. 18.

rem, mulieres de vniuersis Israel vrbibus egressæ, cantantes chorosq; ducentes, lætitiæ tympanis, & sistris saltarunt: Nos, quibus longè maior est salus exhibita, hodierno die gaudeamus in domino, gratias deo nostro agamus, qui debit nobis victoriam per Christum Iesum. Impleamur spiritu sancto, loquentes nobismetipsis, in psalmis, hymnis, & cæticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus nostris domino, gratias agentes semper, pro tantis beneficiis in nomine domini nostri Iesu Christi, deo & patri. Et hæc quidem, de lætitia huius diei, dicta sufficiant, reliquum nunc est, vt de illo fidei nostræ articulo, in quo salutis nostræ cardo versatur, qui hoc etiam tempore, in quod omnium hæresum maturitas erupit, in controuersiam vocatur, paucula dicamus. Is autem est, quo catholici & orthodoxi omnes, Apostolorum symbolo, & sacrarum literarum authoritate instructi, firmissimè credunt, carnis nostræ in futuro iudicio, vniuersalem resurrectionem. Hanc, qui ob scelerum suorum magnitudinem, aut alia quacunque de causa non credunt, quia eo ipso omnem religionem nostram euertunt, omnemq; scripturarum authoritatem abiiciunt, à philosophis etiam quibusdam pecudes habiti sint, & repudiati, à nobis etiam resurrectione indigni iudicabuntur, sed iis potius argumentis tractandi, quibus Aristoteles, prima rerum principia negante, conuincendos esse, demonstrat. Nobis dei optimi Maximi, summa potentia, qua cuncta ex nihilo produxit, sola nobis argumenti loco sufficiet. In iis etenim, quæ sola apprehenduntur fide, non est intellectus humanus, sed sola omnipotentia dei considerando, Paulus igitur disputans, quomodo possit deus mortalia nostra corpora excitare, ait, hoc fieri secundum potentiam, qua potest sibi etiam omnia subiicere. Nunquid etiam deus omnia quæ promisit, exhibuit, & quod de mortuorum resurrectione prædixit, futurum non erit? Non erat Christus natus in terra: nondum virgo pepererat: non erat fusus prætiosus Mediatoris sanguis, quo mortis nostræ deleretur chyrographum: Nondum resurrexerat Christus: nondum crediderant gentes. Hæc & multa alia quemadmodum à deo promissa, euidenter sunt exhibita,

1. Cor. 15

Ephes. 5.

D. Chrysost. ser. 1. de resurrectione.

D. Augu. in psalm. 78. circa finem.

bita, & de resurrectione futura, veritas mentita erit? Frustra sanè vixit, qui se ad hoc solum natum credidit, vt omnino periret. Homo, quid tibi oritur, quod non occidit? quid tibi, quod occiderit, non resurgit? Dies manè oritur, & iterum resurgit in mane: sero sepelitur in nocte, & iterum resurgit in mane. Sol quotidie nascitur, quotidie moritur, resurgit ipse quotidie: tempora dum transeunt, pereunt: dum redeunt, reuiuiscunt. Vnde homo, si deo non credis, si non acquiescis legi, si non consentis auditui, vel oculis tuis, crede vel elementis resurrectionem tuam tibi iugiter prædicantibus, acquiesce. Certè, si ista longè sunt inferiora, quæ in tuis manibus sunt, & de morte, tuo opere suscitantur, & posse Dei opere, doceant, suscitari. Vade ad semen, Apostolo te docente, tolle triticum aridum sine sensu, sine motu, duc sulcum, fodi terram, fac sepulchrum, sepeli triticum, & aspice, quemadmodum morte deperit, humore turgescit, putredine corrumpitur, & cum peruenerit ad totū, quicquid desperatio, quicquid incredulitas, quicquid corruptela tibi superius ingerebat, tunc subito reuiuiscit in germine, in herba pubescit, iuuenescit in canle, maturescit in fruge, & ad illam totam ipsam, quam tu perisse deflebas, speciem resurgit, & formam, vt te homo triticum non tam doceat manducare, quàm sapere, non tam cogat laborare, quàm credere. Ad hæc nunquid grauissimè Deus, pro infinita iustitia, peccatores punuit? Fornicati sunt Iudæi, & puniti obmurmurarunt, & reliquerunt Dominum, ac grauiter sunt afflicti. Quomodo ergo animaduertet in illos iustissimus Deus, & non eadem, imò & graniora committentes, impunitos relinquet? Non est rationi, nec iudicis æquitati conforme. Sed nullas in hoc mundo dedimus pœnas? propterea magis carnis resurrectionem, & aliquam post hanc vitam credamus. Nam, si sceleratorum supplicium in futuram vitam non esset repositum, nequaquam impuniti mansissent, qui ausi sunt eadem patrare, quæ priores illi, in quos seuerissimè Deus animaduertit. Cæterùm, quoniam hæc multo accommodatius fide, quàm ratione percipiuntur, nunc ad hos conuertatur oratio, qui etsi scripturarum authoritatem

1. Cor. 15

D. Chrysost. ser. in id: Nolumus vos ignorare fratres. Et homil. 50 ad pop. Antioche num.

ritatem agnoscant, de resurrectione tamen non ea, quæ Christianos decet ratione, loquuntur & sentiunt: Hi sunt infœlicissimi nostri temporis Anabaptistæ aliqui, qui non hanc nostram, sed aliam omnino carnem resurrecturam, contra apertissimas scripturas, aliter docent. Cæterùm Ecclesia Catholica spiritu sancto illustrata, scripturis etiam imbuta, tradit, omnem resuscitandam carnem, hoc est, omnes homines secundum corpus & carnem reuicturos, tam pios quàm impios, tam bonos quàm malos, sic, vt eadem caro quam circumferimus, quæ mortua est, & sepulta, & computruit, resuscitando sit, quod apertè ostendit Paulus, cùm resurrectionem carnis tradit, addito pronomine, dicens. Oportet coruptibile hoc, cùm enim dicit, hoc, in carnè quam gestamus, quasi digitum intendit. Quid enim aliud est dicere, mortale hoc, quàm quod hęc visibilis caro sit reuictura, sicut & apertissimè Iob testatur, dicés: Et rursus circundabor pelle mea, & in carne mea videbo deum meum, quẽ visurus sum ego ipse, & oculi mei cõspecturi sunt, & nõ alius. Resurget ergo hoc corpus ad immortalitatem, quæ piis atq; impiis communis erit, sed longa diuersa ratione, nam piis æternam beatitudinem, impiis verò, æternos cruciatus adferet, quemadmodum apud Danielem Propheram: Et in symbolo Athanasij legimus. Sed his tandem, qui nil nisi disputare, & veritati contradicere norunt, omissis quidnam nobis salutaris Christi resurrectio emolumenti conferat, videamus. Nobis enim Christianis de resurrectione domini iucundissima erit recordatio, cum hoc solo articulo, à cęteris Iudæis, gentibus, atque philosophis separemur, qui Christum quidem mortuum, sed reuixisse, nullatenus credunt: Non etenim sibi vlla ratione, à priuatione ad habitum regressum fieri posse, persuadere poterant. Ac primum quidem, omnes factæ veteris Testamenti patribus promissiones, de futuro Messia, & saluatore Israelis, qui sempiternus, & æuo duraturus dicebatur, nunc per resurrectionem Christi sunt adimpletæ & cõfirmatæ. Poterat etenim aliquis, non sine causa, secum ipse cogitare: Quonam modo in Christo, qui ex semine, & familia Dauid homo mortalis proditurus erat, fœdus & pactum

D. Cyprianus in explicatione symboli.
D. Gregorius in caput 19. Iob circa finem.
D. Chrysologus ser. 16.
1. Cor. 15
Iob 19.
Danie. 12
D. Aug. in psalm. 101. & concione 2. in psal. 88.

pactum hoc quod sempiternum fore dicitur, subsistet? Dubiũ hoc D. Paulus accuratè dissoluit. Et nos, inquit, vobis annũciamus eam, quæ ad patres nostros promissio facta est, quoniam hanc Deus adimpleuit filiis vestris, resuscitans Iesum. Quoniam igitur Iesus resuscitatus à mortuis, non amplius in corruptionem iturus, corpus nũc habet gloriosum & sempiternum, cui mors amplius non dominabitur: Ideirco paganus non amplius pro crimine nobis obiicere poterit, quod credamus in sepulcum ac mortuum, sed credimus in Christum viuum ac sempiternum, per quem nos in vltimo iudicij die resuscitandos atque saluandos firmissimè speramus & credimus: Eo, quod Christus mortuus sit propter peccata nostra, propter iustificationem autem nostram resurrexerit.

Actor. 13
Vide B. Hilarium in illud 2. psalmi: Filius meus es tu, &c.

Secundò, certissima de resurrectione Domini fides, & firmissima de resurrectione nostra spes & expectatio, vehementer fidem nostram de omnipotentia, & diuinitate Christi confirmat. Quemadmodum D. Augustino asserente, ipse Christus Iudæis signum proprium, hoc est, potentissimum, & longè maximum commendans, generationi, inquit huic, signum nõ dabitur aliud, nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit & filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus: Quomodo fuit Ionas in ventre ceti, nonne vt postea viuus euomeretur? Hoc fuit infernus domino, quod Ionæ cetus. Hoc signum proprium commendauit, hoc est, potentissimum. Potentius est, reuixisse mortuum, quàm non fuisse mortuum. Multitudo potentiæ Domini, secundum quod homo factus est, in virtute resurrectionis apparet. Hanc commendat & Apostolus, eam dicit: Non habens iustitiam, quæ ex lege est, sed eam, quæ est per fidem Christi, quæ ex Deo est, iustitia in fide, ad cognoscendum eum, & virtutem resurrectionis eius. Sic commendatur & alio loco. Et, si crucifixus est ex infirmitate, sed viuit in virtute Dei. Et alibi: Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis, quæ sit spes vocatio

D. Tho. p. 3. q. 55 a. 1.
D. Aug. in psalm. 65.
Matt. 12.
Ionæ 2.
Philip. 3.
2. Cor. 13
Ephes. 1.

vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctos, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, super omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed & in futuro.

Tertiò, pios quoslibet, Deumque timentes, quid quæso, aliud in afflictionibus huius seculi, quibus ipsi, præ cæteris, magis grauantur, consolabitur, quàm certissima resurrectionis, & vitæ futuræ post tribulationes expectatio, illa quæ æternum gloriæ pondus consequentur. Nam si Christum in hac tantum vita in Christum sperant, miserabiliores sunt omnibus hominibus. Aequitas etenim, & iustitia diuina requirit, vt pugiles, & pietatis athlethæ, qui pro Christi nomine in hoc mundi theatro, puluerulenti, & sanguine madidi, grauissimos subierant labores, in quibus sine retributione mortui sunt, aliam consequantur vitam, in qua vniuerso orbe spectante, gloriæ donentur corona. Maximè, cum amore Dei inflammati, hæc eo animo passi sint, vt meliorem *Heb. 12.* inuenirent resurrectionem. Itaque, cum videris, inquit Diuus Chrysostomus, iustum angustiari, affligi imbecillitate, pauperie, & innumeris aliis ærumnis præsentem vitam transigere, die intra temetipsum: quod, nisi resurrectio esset, & iudicium, nunquam Deus, tanta propter se mala passum, nullo potitum bono, hinc migrare permisisset. Vnde patet, quod alteram ipsis vitam, præsenti iucundiorem, & multo meliorem parat, nisi enim hoc esset, improbos quidem multos per hanc vitam gaudere, iustorum verò multos in plurimis ærumnis nunquam dimisisset, sed quoniam præparatum est seculum aliud, in quo secundum meritum hunc quidem improbitatis, huic verò virtutis premia reddere debet, propterea tolerat hunc quidem affligi, illum verò deliciis indies diffluere. Ita Paulus ad Corinthios scribens, *1. Cor. 15.* integrum habet caput consolationum plenissimum, Christus inquit, surrexit à mortuis primitiæ dormientium: Sicut in vno omnes moriuntur, ita in Christo omnes

Hom. 1. ad pop. Antioche nũ, & hom. 1. de resurrecti one Domini.

omnes viuificabuntur. Stella differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum: seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale, &c. Quid porro illa consolatione dulcius, quæ est ad Thessalonicenses. Nolo vos, inquit ignorare fratres de *1. Thes. 4.* dormientibus, vt non contristemini sicut & cæteri, qui spem non habent, nam si credimus, quia Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt, per Iesum adducet cum illo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui relicti sumus, in aduentu Domini non præueniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu, & voce Archangeli, in tuba Dei descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos, qui viuimus, qui relicti sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra, & ita semper cum Domino erimus. Itaque consolamini inuicem in verbis istis. Quodnam maius solatium homini pio adhiberi potest, quàm quod Deus per Apostolum suum testatur, piorum corpora in tantam gloriam mutari, vt in occursum Domini suspensa nubibus, in aëre vecta rapiantur? Quinimo, quod Deus transformabit corpus humilitatis nostræ, cõfiguratum corpori filij claritatis suæ, facietque æquale angelis, sicuti in Euangelio pollicetur. In resurrectione mortuorum non nubent, neque nubentur, sed erunt *Mat. 22.* sicut angeli Dei in cælo, vt viuant cum ipso, cælestibus perfruentes gaudiis, in æterna secula. Quemadmodum igitur Christi passio in prosperis temperamentum est efficacissimum, ita gloriosa ipsius resurrectio, præsens *2. Tim. 2.* est in aduersis solatium, vti diuus Paulus Timotheum in afflictionibus ad patientiam admonens, inquit: Memor esto, Dominum Iesum Christũ resurrexisse à mortuis, si itaque & sustinebimus & conregnabimus.

Postremò firmissima Christianorum de resurrectione dominica fides, nouam in ipsis vitam, & ex sordidissima vita, resurrectionem germinabit. An ignoratis, inquit diuus Paulus fratres, quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus,

mus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis, per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Atque is hodiernæ Epistolæ scopus est, in qua sub metaphora fermenti, peccatorum expurgatio figuratur. Deus, & pater Domini nostri IESV CHRISTI, gratiam suam nobis omnibus clementissimè hodierno die concedat, vt pascha nostrum dilectus ipsius filius Christus sit, cum quo omnibus diebus vitæ nostræ, in azimis synceritatis, & veritatis epulemur. Amen.

Mariæ Magdalenæ, & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata.] Hodiernum Euangelium Christi resurrectionem, ac resurrectionis manifestationem contirnet, quæ colophon est & consummatio euangelicæ historiæ, vt sine qua nihil profuisset Christum mori, & per quam nostra redemptio & salus perfecta est. Verùm cùm in hac parte perfecta demum fides in Christum sita sit, tamen vix quicquam Christi aliud visi sunt Euangelistæ magis variè narrare, Deo id ita disponente, ad exercendam nostram tum fidem, tum diligentiam. Quoniam enim de tempore accessus mulierum ad sepulcrum, deque apparitionibus angelorum quæ factæ sunt mulieribus, diuersimodè scripserunt Euangelistæ, maximam præbuerunt non aduertentibus difficultatem. Et plerique, cum dicta Euangelistarum in his conciliare non possent, multos, teste etiam Euthymio, effuderunt de his rebus vanos sermones, quorum quidam quatuor ad monumentum accessus diuersis temporibus factos esse dicentes, non easdem fuisse mulieres, aiunt, quarum meminerunt quatuor Euangelistæ, sed alias & alias similium inter se nominum. Alij verò de quatuor aut saltem de multis accessionibus conformiter dicentes, eas tamen ab eisdem factas mulieribus asseuerant. Verùm vt hæc sunt improbabilia, facileque confutabilia, ita ad hæc confugere non erit necesse, si diligenter quis Euangelistarum aduertat narrationes, & semper mente retineat non ob id contrarios esse Euangelistas, quòd vario modo suas insti-

instituant narrationes, ob id quòd vnus commemoret quædam quæ alij prætermiserunt. Imò si quis rationes, quas nunc dabimus, probè perspexerit, deprehendet non solùm Euangelistas nulla in re hic dissentire, sed maximè consentire, & nusquam alias magis sese iuuare, vt ipsorum in narrando varietas, quæ tamen inuenitur optimè sibi constare, fidem magis augeat quã infirmet, dum agnoscuntur non ex pacto inter se inito eadem scripsisse, atque in varia illa narratione non destituti spiritus sancti directione deprehenduntur. Itaque & nos illius confisi directioni Euangelistarũ dicta concordare nitemur, ac manifestè ostendere eandem apud omnes esse consonãtiam, fortassis fœlicius quàm id plerique ante nos conati sunt. Imprimis autem tractandus locus Matthæi qui multos nõ immeritò torsit: Vespere sabbathi quæ lucescit in prima sabbathi venit Maria Magdalene & altera Maria videre sepulchrũ. Hic enim locus videtur & cõtrarius esse aliorum narrationi, & in seipso maximam includere absurditatem. Quomodo enim Matthæus dicit in vespera sabbathi mulieres venisse ad videndum sepulchrum, cùm reliqui testentur summo diluculo primæ sabbathi mulieres sepulchrum adiisse? Deinde quomodo vesperam dicit lucescere, cùm vespera obtenebrescat, nõ lucescat? Est enim lucescere, lucem fieri post tenebras, quod vesperæ non conuenit, sed planè contrarium. D. Augustinus hanc tractans difficultatem lib. 3. de consensu Euan. vult à principio nobis quod est vespera, ipsam noctem synecdochicè significatam à Matthæo, cuius noctis fine mulieres venerũt ad monumentum, ideoque ab ea parte noctis significatam nobis, quoniam ab ea mulieribus licere cœpit vt facerent quæcunque per sabbathum facere impediebãtur. Sic itaque dictum vult, Vespere sabbathi, ac si dicerent, nocte sabbathi, hoc est, nocte quæ sequebatur diẽ sabbathi, atq; ad id significandum Matthæum dicit adiisse, quæ lucescit in prima sabbathi, quoniam, inquit, id fieri nõ potest si tantùm primam noctis particulam, hoc est, solum initiũ noctis intellexerimus dicto vespere significatum. Nõ enim ipsum initium noctis lucescit in prima sabbathi, sed ipsa nox quæ in luce incipit terminari.

minari. Hæc ille subtiliter quidē & diligenter, at non ita sufficienter vt studioso satisfaciant. Primū enim vesperæ sabbathi non erat propriè pars noctis sequentis sabbathum, sed ipsius sabbathi pars cuius erat finis, vnde vesperæ sabbathi dicitur, quasi adhuc ad sabbathum pertinens. Deinde vt demus per synecdochē vesperam accipi posse pro nocte, tamen non videtur quomodo ratione huius figuræ dici aptè possit vesperā lucescere, cū potius contrarium verbum ei conueniat. Iam quo tropo dicatur aptè aliquid fieri vespere alicuius diei, quod fit mane alterius diei? Euthymius alia ratione difficultatem hanc soluere conatur, sed vt id intelligatur, sciendū Græcis nō esse singulariter, vespere sabbathi, sed vesperæ sabbathorum. Sic ergo habet: Hebræi sabbathum honorātes, septimum videlicet hebdomadę diem, etiam sex dies ipsum præcedentes in honorem eius sabbatha appellabant, nominantes diem Dominicum vnum siue primum sabbathorum, secundum autem & tertium sabbathorum, secundum & tertium septimanæ diem, & similiter alios sequentes. Dicens ergo Matthæus vesperam sabbathorum, finem significauit omnium sabbathorum, siue septem hebdomadæ dierum. Nam & nos vesperam aut serum diei dicētes siue serum noctis, vltima eorum significamus. Hæc ille. Intelligit ergo per vesperam sabbathorum significari finem totius hebdomadæ, eumqi finem putat fuisse finem noctis post quam sequebatur dies qui nobis dicitur dies Dominicus, atq; vt illum finem intelligeremus significatum, ideo vult additum à Matthæo, quæ lucescit, hoc est, appetente iam die, prospectante & oriente. Vnde & Theophylactus, vesperæ, inquit, sabbathorum eadem est cum profundo diluculo apud Lucam, & valde mane apud Marcum. Verūm horum sententia videri potest probabilior & tolerabilior, quàm altera illa Augustini, ita tamen non videtur satis constitere, quia cùm secundum legem à vesperā vsque in vesperam sabbatha celebranda essent, non erat nox aut finis noctis finis præcedentis sabbathi aut hebdomadæ, sed prior pars diei aut hebdomadæ sequentis. Proinde per vesperā sabbathi aut sabbathorum, omnino videtur intelligenda ipsa extrema sabbathi pars, quę initium

initium fuit noctis sequentis, quando iam sabbatho trāsacto operari Iudæis licebat. Hanc vesperā lucescere dicit Matthæus in prima sabbathi, aut, vt Græca habēt melius, in primā sabbathorū, vocabulo lucescere accepto, sicut prius ostēdimus accipi, cùm Lucas dixit: Sabbatū illucescebat. Nam & hic eadē est dictio. Sicut enim sabbathū illuxisse dicitur cùm dies sabbathi incepit, quanquā à nocte aut à vespera incepit: ita vespera vnius diei illuxisse dicitur in alium diem, quia scilicet alterius sequentis diei erat initium: quomodo si apud nos receptū esse dicere tūc diescere, quando dies aliqua incipit, quæ apud nos incipit de medio noctis cùm adhuc profundæ sunt tenebræ. Hūc esse verum sensum etiam ex Lo probari potest, quod non dicat Matthæus, quæ lucescit in primā, sed vt Græca diximus habere, per accusatiuum casum, in primam: quo significatur illucescentiam illam terminari ad primam sabbathi, quia scilicet eius fuit initium. Prima autem sabbathi, sicut verum & propriè diebum sabbathū, non cœpit à diluculo & matutino tempore, sed à vespertino dici præcedētis. Aeloqui nox quæ propriè dictū sabbathū sequebatur, nullius fuisset diei, cùm neq; ad præcedentē, neq; ad sequentem pertinuisset diem. Vesperā autem sabbathi Matthæus dicit mulieres venisse ad videndum sepulchrum, non quòd tunc exierint ad sepulchrum, sed quòd tunc conuenerint inter sese, sese que ac sua parauerint ad egrediendū, & videndum sepulchrum, atq; vngendum dominum. Quod Marcus post Matthæum scribēs, ita explicauit apertius: Et cùm transisset sabbathum, Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. In vespera ergo sabbathi conuenerunt mulieres ad id perficiendum quod per religionem proprium fuerant facere in sabbatho, emeruntque aromata, & ea nocte illa parauerunt, vt quamprimum illud licuerit, summo scilicet diluculo, egrederentur ad vngendum Dominum. Matthæus autem breuitati studens, cùm tēpus notasset quo primùm mulieres conuenerant eo animo vt viderent sepulchrum, sicut prætermisit quid illa vespera fecerint, quod Marcus expressit, ita prætermisit illud explicare tempus quo mulieres sunt ad se-

pulchrũ egressæ. quod alij diligẽter expressérunt, subiũciens mox quæ contigerunt cùm ad videndũ egrederẽtur sepulchrũ, quasi illa ipsa vesperæ sabbathi cõgerint cùm matutino tẽpore alterius diei acciderint. Et hæc de Matthæi loco dicta sufficiant sine alicuius sentẽtiæ præiudicio. Cæterũ cùm Marcus dicat mulieres emisse aromata, cùm transisset sabbathum, videtur quod prius dixit Lucas, illas reuersas à monumento parasse aromata & vnguenta, dictum per præoccupationem, quod attinet ad præparationem aromatum & vnguentorum, nisi velimus intelligere eas in die parasceues quandiu habebant adhuc aliquod tempus ad operandum emisse & parasse aromata: cùm transisset autem sabbathum, tum vlterius plura emisse, & parasse quæ minus parauerant. Ex Matthæo ergo & Marco discimus quando mulieres conuenerint, seseq; parauerint ad vngendum dominũ. Quo autem tempore existint ad monumentum, concorditer expressérunt Marcus, Lucas & Ioannes. Marcus enim dicit, valde mane, Lucas, valde diluculo, vel, vt habet Græca, profundo diluculo, Ioannes, mane cùm adhuc tenebræ essent, quæ omnia satis manifestè idem significant, nisi quod ex Luca & Ioanne patet illud quod dicit Marcus, valde mane, non sic accipiendũ quasi significet tut maturnum tempus iam multum processisse, sed contra potius quòd valde tempestiue venerint. Nam, vt indicauit D. Augustinus, dupliciter dicimus valde mane, nempe & quando matutinum tempus vixdũ incepit, & quando iamdiu incepit, ita vt incipiat se ostendere super terras. Priori modo hic accipiendum patet ex Luca & Ioanne, posteriori tamen magis modo accipiendum videri posset, ex eo quòd Marcus subiecit, orto iam sole. Id enim contrarium videtur ei quod dicit Marcus, valde mane, si ita illud accipiendũ est quomodo ex Luca & Ioanne manifestum est accipi debere. At illud, orto iam sole, nõ sic est accipiendum quasi sol iam rursus visus esset super terram, seu quod radios suos & splendorem suum in terram spargere cœperit. Diluculum enim non fit nisi aduentante solis fulgore. Nam eius fulgor est qui auroræ nomine vocari solet. At cum diluculum adhuc est & profundum diluculum, quam

quam solis splendor mitti cœperit in terram, tamen adhuc tenebræ aliquæ licet nõ profundæ sunt super terrã, vt verum sit & quod Marcus dicit ortum solẽ fuisse, & quod Lucas dicit fuisse valde diluculũ, & quod Ioannes dicit adhuc tenebras fuisse. Vnde Theophyl. Solem, inquit, intelligere hoc loco debemus matutinos solis radios. Et Euthymius: Si, inquit, valde mane erat, quomodo dicit, orto sole? Quia tũc propriè sol oritur, cùm nubis nondũ apparet, demonstratus adhuc circa profundissimas extremitates orientis partes & paulatim emergens, cuius testimonium est gallicinium. Nam galli primi inter omnia animantia sentiũt illius calorem, repentè clamant, eiusque præsentiam hominibus prænunciant. Hæc ille. Mihi est difficultas secũdum lectionem D. Augustini, qui legit, oriẽte iam sole, & exponit, id est, orto iam sole cœpit illuminare incipiente. Est enim Græcis non præteritum perfectum, sed aoristus ἀνατείλαντος, qui quandoq; nõ dissimilem à præterito imperfecto habet significationem. Et quidẽ iuxta tres dictos authores ostendi tur quomodo illud, orto iam sole, idem accipi possit tignificare tempus quod illud, valde mane. Alij tamen intelligunt diuersum significatum tempus: & per illud, valde mane, significatum tempus quo exierint mulieres ad sepulchrum: per illud verò, orto iam sole, tempus quo iam vicinæ factæ sunt sepulchro, vt sic & alio modo possint Euangelistarum dicta inter se conciliari, nec cogamur ob apparentem varietatem, asserere Euangelistas longi ssimè de diuersis mulieribus, aut de diuersis accessibus. Vt autem est, magis videndum cur tam accuratè Euangelistæ tempus notauerint. Itaque. Euangelistæ dicentes, valde mane, valde diluculo, & mane cùm adhuc tenebræ essent, mulieres venisse, significare voluerunt mulierum seduli tatem & ardorem, ad vngẽdum Dominum eas iam tempestiuè satis vngentem. Marcus verò dicens, orto iam sole, significat non incommodum fuisse tempus eundi ad sepulchrum ad quod tenebris profundis adhuc durãtibus non fuisset accedere commodum: aut iudicare voluit tale fuisse tempus quo fuerunt iuxta sepulchrũ, vt quæ ibi agebantur rectè vidisse & retulisse recte possent, ne quis diceret eas per tenebras delusas

fuisse,& spectra pro veris amplexas rebus. Cæterùm die quo hæc gesta sunt, omnes Euangelistæ vocauerũt vnã sabbathi, aut, vt habent Græci, vnam sabbathorum, quomodo & nos habemus in Marco. In qua locutione, vnũ, phrasi Hebraica positum est pro primo, sicut & Genesis 1. Factum est vespere & mane dies vnus: vnde rectè noster interpres in Matthæo vertit, primam sabbathi. Perinde autem est & eodem recidit siue dicatur prima sabbathi, siue prima sabbathorum, nisi quòd cùm singulariter dicitur vna vel prima sabbathi, dictio sabbathũ accipitur pro hebdomada: cùm verò pluraliter vna vel prima sabbathorum: sabbatha dicũtur omnes hebdomadę dies, vt sit sensus, prima dies inter sabbatha septẽ. Cùm autem dicitur apud Matthæum singulariter & absolutè, vespera sabbathi, dictio sabbathũ propriè accipitur pro septima hebdomadæ die. Et hæc quidem de tẽpore quo Euangelistæ significarunt mulieres vel sese ad eundum parasse, vel adiisse sepulchrum, vel ad illũd peruenisse. Quando verò resurrexerit Christus, nullus eorum indicauit, solus enim hoc nouit, qui solus surrexit vt nouit. Certum est quòd prima sabbathi resurrexit, quia tertia die resurrexit sicut prędixerat: certùm item quòd resurrexit antequam ad sepulchrum peruenirẽt mulieres, & angelus descenderet qui dixit mulieribus: Surrexit, non est hic: sed quanto tempore ante resurrexerit non patet ex Euangelistis. Sunt autem qui putant Dominum surrexisse cum fieret ille terræmotus, cuius meminit Matthæus. Et Augustinus lib. 4. de Trinitate sentit Dominũ surrexisse in ipso diluculo: cui sententiæ aperte videtur conuenire quod dicit postea Marcus: Surgẽs autem Iesus mane prima sabbathi, apparuit primo Mariæ Magdalenæ. At D. Hieronymus in quæstionibus ad Hedibiam, similiter & Theophylactus atque Euthymius volunt illa verba, mane prima sabbathi, separanda à præcedentibus, & iungenda cum sequentibus. Non enim, inquit Theophylactus, surrexit mane. Quis enim vidit quando surrexit? sed apparuit mane prima sabbathi. Omnes autem, inquit Euthymius, vnanimiter sancti patres & doctores tempus resurrectionis eius fuisse dicunt circa primum gallicinium, qui iam Dominicæ diei lucẽ præ-

ferebat. Ideo quoque post sextam noctis horam virtutis sectatores soluto ieiunio lætitiam auspicantur. Est enim primum gallicinium non ita diu post medium noctis, hoc est, sextam noctis horam. Et D. Hieronymus loco prædicto significat Dominum surrexisse tempore mediæ noctis atque gallorum cantus. Confirmat hanc sententiam typus resurrectionis Dominicæ qui in Samsone præcessit, vt interpretatur D. Gregorius in homilia paschali. Cùm enim Samson Gazam in ciuitatem Philistinorum fuisset ingressus, Philistæi ingressus eius cognito, ciuitatem repentè obsidionibus circandederũt, custodesque deputauerunt, fortissimum Samsonem se iam comprehendisse putantes. At is media nocte portas ciuitatis abstulit, & verticem montis ascendit. Quo facto redemptorem nostrum D. Gregorius cum aliis designatam intelligit, qui cùm secundum animam infernũ, secundum corpus sepulchrum esset ingressus, Iudæi custodes illico deputauerunt, eumque in inferni ac sepulchri claustris retentum, quasi Samsonem in Gaza se cõprehendisse lætati sunt. Samson verò media nocte non solum exiit, sed etiam portas tulit, quia videlicet redemptor noster ante lucem resurgens, non solũ liber de inferno exiit, sed & ipsa etiam inferni claustra destruxit. Portas tulit, & montis verticem subiit, quia resurgendo claustra inferni abstulit, & ascendendo cælorũ regna penetrauit. Sic ferè D. Gregorius, in quo tamẽ obseruandũ, quòd quamuis Dominũ Samsoni comparet, non tamen dicit eum media nocte surrexisse, sed tãtùm quod ante lucem surrexerit. Nõ enim necesse est exactè veritatem typo respondere. Ex his patet incertum esse quo præcisè tempore Dominus surrexerit, omnium tamen sententia Dominum surrexisse post mediam noctem & ante lucem constat, quod sane tempus resurgenti maximè conueniebat. Sicut enim sole iam vergente ad occasum, mortuus est tanquam verus sol: ita sole ad ortum propẽrante surrexit è sepulchro verus iustitię sol, nouum sua resurrectione lumen mœstis Apostolis, totiq; mundo afferens, fugatis procul mœroris & ignorãtiæ tenebris. Conuenit & hoc tẽpus eius natiuitati, vt sicut ante solis ortum natus est ex vtero virginis, ita & ante so-

lis ortum procederet è sepulchro, vt ratione vtriusq; intelligi possit dictum de Christo: Ex vtero ante lucifer genui te. Nam eius resurrectio veluti secûda fuit generatio: vnde resurrectionem scriptura vocat regenerationem, & Paulus Act. decimotertio, illud Psalmi 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te in Christi resurrectione interpretatur impletum. Christus ergo ante lucifernum prodiens & ex vtero virginis, & ex claustris sepulchri, declaravit se nouum esse solem, & veteriorem vulgari sole, vt cuius ortum suo ortu præuenit, nouum adferens mundo diem, nouamq; lucem, propter quod non sine mysterio in prima sabbathi resurrexit, vt sicut in mundi creatione, prima die formata est lux, ita in prima hebdomadæ die noua lux mundo est resuscitata, qua mundus est resurrecturus & renouatus, ob quam mûdi innouationem Christi resurrectione perfectam in prima sabbathi, religione sabbathi ab Apostolis tranllata in hâc die, cœpit ipsa vocari dominicus dies, cuius meminit Ioannes Apocalyp. 1. Conueniebat autem etiam tempus resurrectionis prædictum Christo, non solum tanquam vero nouoq; soli, sed etiam ad declarandam diuinitatis eius potentiâ & dignitatem. Non enim conueniebat vt statim à morte sua resurgeret, ne negaretur verè mortuus, ac proinde nec verè resuscitatus. Itaq; vsq; in tertiû diem differri debuit eius resurrectio, quando scilicet nemo negare potuit eum verè mortuû. Sicut autem ultra tertium diem propter eius dignitatê & potentiam non conueniebat resurrectionem differri, quæ tantûm differebatur ob veritatem mortis confirmandam: ita etiam conueniebat vt non differretur vsque in finem diei tertiæ, sed fieret mox ab incepta die tertia, aut saltem antequam medium eius transiisset, quia eius tum dignitati, tum potentiæ congruebat, vt nõ diutius in morte detineretur quã erat necesse. Dilata est ergo eius resurrectio ob confirmãdam mortis eius veritatem, accelerata ad declarandam eius potentiam: debuit etiam ante diluculum & ortum solis resurgere, ne inueniretur adhuc mortuus in sepulchro à mulieribus, de quarû vna præmorte

Psal. 109

morte non erat (vt illæ sua vnctione se putasse declarabant) permansurus. Sed ob id cõuenienter tempus illud suæ delegit resurrectioni, vt nos suo facto doceret post præcedentis vitæ noctem, è peccati somno surgendum esse tempestiuè, priusquam veniat dies illa nouissima, quam suo ortu faciet sol iustitiæ Christus Dominus, atque ad opera pietatis ante solis vulgaris ortum properandum esse, vt cum Propheta dicere possimus: Præuenerunt oculi mei ad te diluculo. & alibi: Præueni in maturitate. Nam, vt canit Prudentius in hymno ad galli cantum: Post solis ortum fulgidi, Serum est cubile spernere, Ni parte noctis addita, Tempus labori adieceris.

Psal. 118

Et dicebant ad inuicem, quis reuoluet, &c.] Non incommode his Marci verbis, alia quædam, pro historiæ diluciditione ex Euãgelistis aliis præmittemus: nimirum: Et ecce terræmotus factus est magnus, Angelus enim, &c. Secuit moriente in cruce Domino, ita & resurrectionis eius die factus est terræmotus, & is magnus, idque tum ad declarandam potentiam resurgentis Christi, qui ex inferis, portis inferni confractis, inferno que spoliato, cum magna inferorum commotione potenter ascendit, commoturus etiam vniuersum orbem suæ resurrectionis prædicatione, tum vt ad Angeli è cælis descensum magis attenti fierent & custodes, & mulieres: & illi quidem magis pauore concuterentur, istæ verò magis ad fidem adducerentur. Per terræmotum enim Deus aliquando suam am angelorum præsentiam insinuare voluit, vnde in datione legis facta per angelos: A facie Domini mouit Propheta, mota est terra, a facie Dei Iacob. Quod enim & nũc propter Angeli descensum terræmotus factus est, satis significauit Euangelista, subiciens per coniunctionem causalem: Angelus enim Domini descendit de cælo: & addit hinc perturbatos fuisse custodes, vt intelligendum satis relinquatur ob metum custodibus iniiciendum factum diuinitus hunc terræmotum. Ideo enim, inquit, terræmotus factus est magnus, quia Angelus Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, non vt egressuro Domino ianuam panderet, sed vt gressus eius iam facti hominibus præstaret indicium aditumq; in sepulchrum mulieribus

Psal. 113

aperiret. Qui enim mortalis clauso virginis vtero potuit nascendo ingredi in mundum, ipse iam factus immortalis, clauso sepulchro potuit resurgendo exire in mundū. In cuius confirmationem post resurrectionem ingressus est ad discipulos suos ianuis clausis. Sedit autem super lapidem velut expectans mulieres, seseque ostendens authorem fuisse reuoluti lapidis, paratumq; se exhibens ad resistendum custodibus si quid contrà auderent. Sedit etiam, tanquam qui venerat testis quietis Christi, ad quam morte deiecta peruenit, resurgendo. Præterquam autem quod inopinato atque terrifico suo descensu, & fortitudinis audaciæq; declaratione se custodibus terribilem exhibuit, etiam sui corporis habitu ac forma se talem illis præbuit. Erat enim, inquit Matthæus, aspectus eius sicut fulgur, & vestimēta eius sicut nix. Quod enim talis apparuit ob timorem custodibus incutiendum, patet ex eo quod sequitur: timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui: quanquā & aliæ item sint rationes ob quas taliter illum apparere conueniebat, nempe ad commendandam excelsem eius dignitatem & originem, atq; ob resurrectionis Christi, cuius venerat testimoniū perhibiturus, gloriam & claritatem. *Quis reuoluet nobis lapidem.*] Hic angelus suo facto pias fœminas liberauit ab ea qua torquebantur solicitudine. Siquidem in via iam existentibus subiit memoria lapidis aduoluti ad ostium monumenti cuius prius non memineranr præ ingenti desiderio Domini, & intentione animi penitus absorpta circa emptionem & præparationem aromatum. Non torquebantur timore custodum, quia verisimile est eas nescisse de custodia sepulchro adhibita & sigillo affixo, vt quæ se domi in silentio continuerint ipso sabbatho. Dicebant ergo ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Erat enim magnus valde, ita vt fœmineis viribus amoueri non posset facile. At vt versus monumentum respexerunt, viderunt lapidem reuolutum. Ita Dominus semper eos qui sibi inseruire desiderāt, iuuat, bonumq; propositum promouet. Non caret autem mystica significatione hæc lapidis sepulchralis reuolutio angelorum facta ministerio. Significat enim quòd à die resurre

surrectionis reserari cœperint mysteria Christi, quæ litera legis prius tanquam lapide quodam tegebantur. Lex enim cum in tabulis scripta fuerit lapideis, per lapidem non incongruè designata est. Hac ergo, quatenus carnalis erat, sublato modò & reuoluta cœlesti gratia, nouaq; autem humana opera, clara & certa facta sunt omnia, vt cum Mariis ingredi liceat ad contemplanda maxima & obstupescenda Dei magnalia. Carnalis litera veluti mortuum sub se Christum continebat, at illa sublata, viuere Christus prædicatur, inuita licet & reclamante synagoga per custodes designata.

Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem, &c. Alia hic nascitur difficultas circa concordiam Euangelistarum, propter iuuenē hunc quem mulieres vidisse Marcus testatur. Omnino enim videtur hic iuuenis fuisse Angelus ille, quem Matthæus è cælo descendisse dicit, & reuoluisse lapidem. Vterque enim sedisse dicitur, & eisdem vterque verbis mulieres allocutus describitur. Sed obstare multum videtur quod Matthæus suum angelum sedisse dicit super lapidem reuolutum à monumento, vnde intelligi datur illum à mulieribus visum extra monumentum: Marcus verò dicit mulieres introeuntes vel ingressas in monumentum vidisse iuuenem sedentē in dextris. Itaq; hoc argumento moti quidam existimant diuersos fuisse angelos, de quibus Matthæus & Marcus: & alterum quidem extra monumentum visum, & inuitasse mulieres ad ingrediendum dicendo, venite: alterum intra visum, & allocutum mulieres iam ingressas similimus verbis. At cum idēitas verborum & aliæ circunstantiæ magis arguant eundē fuisse Angelum Matthæi eum Angelo Marci, qui ferè eadē cum Matthæo narrare solet, quærenda ratio aliqua qua apparens illa dissonantia tolli possit. Id autē fieri potest dupliciter. Primò, si dicatur Angelum illum, vt Theophylactus indicat, prius sedisse supra lapidem extra monumentum, veluti expectantem mulieres: deinde verò ante illas intrasse, ibiq; ipsum ab illis iam ingressis visum, & cum eis locutum. Huic tamen nō parum obstat quòd Matthæus dicit eum dixisse, Venite. Illo enim videtur ad ingressum eas prouocare, & proinde extra monumen

numentum cum eis loquutus. Secundò ergo intelligi potest illud Marci: introeuntes in monumentum: non significare quòd iam per ostium monumenti quod lapide clausum fuerat, ingressi fuerint, sed, vt indicat Augustinus, quòd intra septa maceriæ ingressæ fuerant, quæ communitum tunc fuisse locum monumenti verisimile est. Quòd si intelligẽdum quis putet Marcum locutum de ingressu per ostium monumenti, eò quòd postquam dixisset mulieres de lapide ab ostio monumenti toliẽdo solicitas fuisse, ac mox vidisse lapidem sublatum, subiecerit: & introeuntes in monumentum, &c. & tamen angelũ hunc de quo Matthæus & Marcus velit extra monumentũ allocutum mulieres, sicut omnino apparet ex Matthæo, iam dicendum id quod Marcus dicit de ingressu in monumentum scriptum ab eo per anticipationem, vt non sit sensus: Et introeuntes, vel, vt habent Græca, & ingressæ in monumentum viderunt, hoc est, cùm vel postquam ingressæ essent in monumentum viderunt, sed istæ ipsæ quæ ingressæ erant viderunt iuuenem, non postquam ingressæ essent, sed antè. Qui intellectus etsi durus videatur & coactus, præ cęteris tamen magis placet. Non enim curæ fuit Marco significare eas vidisse angelum post ingressum. Quid enim hoc ad fidẽ resurrectionis: Sed satis ei fuit quouis modo significare mulieres ab angelis auditu didicisse Christũ resurrexisse, & ingressas monumentum oculis vidisse sepulchrum
Tobiæ 5. vacuum. Ieaq; in iuuenili ætate apparuit angelus, sicut & angelus Tobiæ Raphael, qui sic eum apparere cõueniebat ad floridam & nunquã marcescentẽ immortalẽ angelicæ naturæ & Christi, cuius resurrectionẽ aduitam immortalem iam venerat testificaturus. Sedit autem à
Lucæ 1. dextris monumenti, sicut & Gabriel apparuit Zachariæ stans à dextris altaris, non solum quia angelica natura ab omnibus malis libera, summa fruatur fœlicitate, sed etiam quia per resurrectionẽ suam Christus è malis huius vitæ translatus esset ad fœlicis vitæ immortalitatem. Dextera enim in scripturis bonum portendit & fœlicitatem, sicut contra sinistra aduersitates designat & mala, vel præsentem vitam. Sicut autem custodes ad inopinatum angeli fulgentis aspectum terrore repleti sunt, & facti

facti velut mortui, ita & mulieres præ nimio terrore obstupuerunt. Non enim potest fulgorem diuinum sine horrore & stupore humana natura excipere. Sed illos quidem à suo nõ liberauit angelus timore, ad quos per terrefaciẽdos missus fuerat: has verò mox à metu liberare studuit, quas nõ venerat perterrefacturus, sed consolaturus & instructurus sicut earum pium officiũ merebatur. Dicit ergo: *Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum.*] Ac si dicat: Meritò examinantur hi custodes qui gloriam resurrectionis Domini mei conãtur supprimere, vos autem nolite timere, quæ pio officio vestram cupitis erga meum Dominum declarare dilectionem, scio enim quòd Iesum Nazarenũ iam crucifixum quæritis abiungendum enim. Paueant, inquit D. Gregorius, illi qui non amant aduentum supernorum ciuium, pertimescãt qui carnalibus desideriis pressi ad eorum societatem pertingere se posse desperant, vos autem cur pertimescitis, qui vestros cõciues videtis? Datũ est hic specimen quoddam nouissimi aduẽtus Domini, qui & ipse fiet cũ terræmotu, iuxta illud Psalmi: Terra tremuit, *Psal. 75.* & quieuit cum exurgeret in iudicium Deus. Nã & tunc gloria maiestatis aduenientis iudicis, impiis quidem æternũ incutiet timorẽ, pios verò securos esse iubebit. Notandum autẽ in verbis angeli, quòd nõ satis habuit Iesum vocare Nazarenum, ad distinctionem aliorum, qui etiam tunc nomine Iesus fortè appellabantur, sed etiam addidit, crucifixum. Non enim cõfunditur Dominum suum dicere crucifixum, quia his quidem qui ante ipsum crucifixi fuerant, crux erat ignominia, cum argumentum esset maleficij eorum: huic verò gloria, vt per quam & charitas eius erga homines, & potestas contra dæmones & mortem est declarata. Ideo etiam crucifixũ nominat, vt sicut prædictam ab ipso crucifixionem iam videbant impletam, crederent prædictam etiam resurrectionem iam factam, vnde de ea subiicit: *Surrexit, non est hic. Ecce locus.*] Postquam enim eas à timore liberauit, significauit se consciũm esse propositi ipsarum: deinde de resurrectione differens, significauit illarum studium & conatum esse superuacaneum. Resurrectionem autem eius dupliciter eis comprobat, primò à prædictione eius,

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius, dicens: surrexit sicut dixit, secundò ostensione vacui sepulchri, dicens: venite & videte locum vbi positus erat Dominus. Dicēdum hic cur per angelum testificari & prædicari imprimis conueniebat Christi resurrectionem: & non potius Christum se hominibus statim viuum exhibere. Itaq; per angelos imprimis resurrectio eius nunciari debuit hominibus, quia conueniebat vt priusquam se Dominus videndū exhiberet, per aliquos testes ad fidem corda hominum præpararētur, sicut ante ipsum missus fuit Ioannes ad parādum Domino plebem perfectam. Angelos autem resurrectionis Domini primos esse testes conueniebat, non solùm ob gloriam Christi, & vitæ ad quam resurrexit immortalitatem, sed etiam quia illius resurrectio vtpotè planè diuina supra captum esset hominum. Sic & conceptio eius atque natiuitas primo ab angelis est prædicata, eiusque ascensio in cælum per eos est annunciata, per quos demum & nouissimus eius aduētus manifestabitur. Quonism, vt habet Paulus ipse Dominus in iussu & voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo. Mulieribus autem primùm resurrectio est ab angelis nunciata, quod hoc illæ pia sua sedulitate meruerant: sicut pastoribus Christi natiuitas est primùm annūciata, vt qui sua simplicitate & vigilia eo priuilegio digni facti essent. Sicque factum est, vt sicut per fœmineum sexū mors peruenit ad virum, ita per eundem viris nunciaretur vita resurgens. Vnde sequitur: *Sed ite, dicite discipulis eius & Petro.*] Petrum speciatim nominant, tum ob inter Apostolos eminētiam, tum ne ob negationem Petrus se reiectum existimaret. Hic ergo vt præ cæteris peccauerat, ita peculiari indiguit consolatione, qua & se dignum reddidit, quod vt præ cęteris grauius peccauit, ita vehementius doluit, & fleuit amarius. Declararom hic verum esse quod dicit ad Romanos Paulus: Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Cæterum angelus non tantum resurrectionem mulieribus à se nunciatam, discipulis annunciari iubet, sed & promissionem addit, qua & mulierum, & discipulorum fidem confirmet, promittens illum ipsis videndum, idq; eo loco, quo idipsum Dominus prius discipulis prædixerat futurum.

1. Thes. 4

Rom. 5.

Ecce,

Ecce, inquit, præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.] Dupliciter ergo his verbis fidem resurrectionis Christi excitat, nimirum & per promissionem visionis, & per repetitionem promissionis & verborum Christi quibus olim sui visionem pollicitus fuerat. Nisi etim audiuissent se illum aliquādo visuras, vanam existimare potuissent resurrectionis annunciationē, dumque, idem audiunt iam sibi promitti ab angelo quod olim audierūt à Domino, cuius promissionem eis etiā angelus in memoriam reuocat, merito debebant per huiusmodi verborum consonantiam ad fidem perduci. Dixerat enim Dominus: Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Dicendo autem, præcedam vos, aut præcedit vos: iubetur vt discipuli in Galilæam suam regionem redeant, visuri ibi Dominum, vnde postea Dominus ipse dicit mulieribus: Nunciate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbūt. Cæterùm hoc quod Dominus nō secuturus, sed præcessurus suos dicitur in Galilæā, etiā facit ad erigendū ipsorum animos, & festinandum in Galilæam, vt qui non expectaturi irent, sed expectati. In Galilæa autem se videndum discipulis Galilæis promittit, quamuis antè ab eis videndus esset in Iudæa, ad literam quidem propterea quòd ibi ab omni Iudæorum metu liberi secutè Dominum videre possent, quodque patriam suam honorare vellet, & potissimum quòd in Galilæa plures haberet discipulos, à quibus in magna multitudine ibi visus est. Secūdum spiritualem verò & mysticam rationē, ad designandū quòd Iudęis in sua incredulitate ex magna parte persistentibus, Christus à gentibus maximè videndus esset per fidem. Terra enim Zabulon & Nephtalim, in qua Christus maximè prædicauit, dicebatur Galilæa gentium: vnde per hanc regionem gentes mysticè sæpè designantur, ad quas se trāsmigraturum Dominus hac promissione significauit: cui mysterio bene quadrat significatio nominis Gallilæa, significat enim transmigrationem. Obseruandum hic quomodo resurrectionis manifestatio respondet initio prædicationis Christi. Primùm enim Christus in Iudæa manifestari cœpit, docendo & prædicādo, sed ita vt paucis esset cognitus.

Esa. 9.

guitus. At Ioanne in carcerem tradito, in Galilæa palam omnibus cœpit declarari, ita vt hinc suam prædicationē tres priores Euangelistæ Dominū dicant exorsum, nulla facta mentione prædicationis factæ in Iudæa. Ita & resuscitatus Dominus, primùm quidem in Iudæa discipulis visus est, sed rectè, latenter, & in domorat in Galilæa primùm multis palam in monte visus est, ita vt hāc solam visionem angelus & Dominus promittat, eamq; licet impletum quod Matthæus commemorat, ob quam rursus dicere pletū testatur: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Vtrobique autem mystice designatum *Ibidem.* est, Iudæis quidem primum Christum prædicandum, atque à paucis recipiendum, & per fidem videndū: gentibus verò ipsum magis prædicādum, & ab ipsis citius agnoscendum, magisque recipiendum. Addit & hoc rectè poterit prædictis, quòd si sequamur prædictā dictionis, Galilæa, significationem, bene etiam ob nouam resurgentis conditionem in Galilæa, hoc est, in transmigratione videndus promittitur. Transmigrauerat enim iam Dominus à morte ad vitā, à mortalitate ad immortalitatem. Seruit & hic locus secūdum dictam nominis significationem morali institutioni, vt hinc discamus, quod resurrectionis eius gloriam tam per fidem, & pōst facie ad faciem læti videbimus, si modo in Galilæā conscenderimus, hoc est, à vitijs ad virtutum celsitudinem transmigrauerimus, vt in homilia paschali pie philosophatur D. Gregorius.

DOMINICA I. POST PASCHA.

EVANGELIVM.

Luc. 20. IN illo tempore: Cùm serò esset die illo vna sabbatorum, & fores erant clausæ, vbi erāt discipuli congregati, propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio discipulorum & dixit: Pax vobis. Et cùm dixisset, ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me pater & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflauit & dixit eis: Accipite Spiritū sanctum: quorum remiserit

seritis peccata, remittuntur eis: & quorū retinueritis, retenta sunt. Thomas autem vnus de duodecim qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitū meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuū huc & vide manus meas & affer manum tuā, & mitte in latus meū, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: Beati qui non viderunt, & crediderunt. Multa quidē & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autē scripta sunt, vt credatis quia Iesus est filius Dei, & vt credentes vitā habeatis in nomine eius.

HOdierna dominica, Auditores charissimi, nomen habet ab albis, seu candidatis, quod de baptizatis intelligitur, qui ex veteri consuetudine & Ecclesiastica, regenerati huius paschatis diebus sacramento baptismatis, candidis, immaculatisque vestibus, cum vniuersa Ecclesia, Baptismatis fontem frequentare solebant, in sempiternam summi illius gaudij memoriam, quo Hebræi, Pharaone, & suis in mari rubro submersis, grates agentes Domino: Cantemus, dicebant, Domino, *Exod. 15* gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare. Ita etiam summis hostibus nostris per regenerationis lauacrum deuictis, à paschatis festo, ad hanc vsque dominicam, neophiti baptizati in sabbatho sancto, præcedēte lumine paschali, hoc est, Christo, candidis vestibus, quibus ipsorum anima in baptismo renata, ad baptismatis fontem redibāt, & hos Domino psallimus, spirituali lætitia perfusi, decantabant. Laudate pueri, iam recenter per Baptismum Christo inserti, Dominum. Et: In exitu Israel de Aegypto, & cætera gratias agētes Domino, quia per baptismum salui facti ex Aegypto, hoc est, ex prisca & inueterata peccandi consuetudine, exierint. Quoniam verò iste, neophitos his paschalibus diebus baptizandi ritus, non ita est hoc rem-

pore

pore in Ecclesia Dei vsu receptus, non incommodè hæc candidatorum consuetudo ad eos, qui per veram pœnitentiam & sanctamētorum participationem paschalibus hisce festis Christo sunt regenerati, transferri poterit. Quibus principis Apostolorum Petri doctrina conuenit. Vt quasi modo geniti infantes rationabiles, & sine dolo, lac concupiscant, vt in eo crescant in salutem, quia quàm suauis & dulcis sit Dominus, degustarunt. Habet enim fides suam infantiam, habet & gradus ætatum, quemadmodum in ipsa Euangelij explicatione patebit, in quo se Dominus discipulis suis in fide parum firmatis, maximè verò incredulo Thomæ exhibuit videndum atque palpandum. Initio autem pro Euangelistarum de hac apparitione Domini consensu, pauca quædam præmittenda esse putaui. Cum ea siquidem narratione, qua Lucas & Ioannes narrant Dominum discipulis congregatis apparuisse ipsa resurrectionis die, hæc Marci verba coniungemus.

Luc. 24. Ioan. 20. Marci 16

NOuissimè autem recumbentibus vndecim discipulis, apparuit illis Iesus, & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt: nihil addubitantes quin Marcus eandem hic cum Luca & Ioanne describat appatitionem, & non eam quæ facta sit vltima die qua Dominus fuit in terris, quanquam post longam disputationem diuus Augustinus contrariam magis putauit sequendam sententiam, sed motus argumentis quæ facilè fuerit soluere. Primùm enim cùm Marcus hunc seruet in narrando ordinem, vt Christum dicat primò apparuisse Mariæ Magdalenæ, ac postea duobus euntibus in villam, nouissimè verò aut deinde congregatis discipulis, & iam recumbentibus, quid aliud relinquitur intelligendum, quàm eum locutum de ea apparitione qua discipulis primò apparuit, quæque mox secuta est eam quam præmisit apparitionem factam duobus euntibus in villam? Quod præterea etiam illud satis comprobat, quòd cum prius dixerit discipulos non credidisse nec Magdalenæ, nec illis duob. qui post eam Christi resurrectionem nunciabant, nunc dicat Dominum exprobrasse eorum incredulitatem & duritiam cordis. Id enim verisimile est Dominum tunc fecisse, cùm iam recenter incredulitatem suam demonstrassent, non autem ipsa ascensionis die, cùm iam ex multa conuersatione omnes certo persuasi essent Dominum verè surrexisse. Nec obstat huic sententiæ dictio, Nouissimè, quasi ob eam cogamur intelligere Marcum loqui de nouissima apparitione Domini. Nouissimè, enim hic positum est pro tandem, cùm Græcè sit ὕστερον, hoc est, deinde, siue postea, quomodo si vertisset interpres, nemo facilè ad diem ascensionis Dominicæ hanc Marci narrationē retulisset, sed potius ad diem resurrectionis. Nec rursum obstat quod Marcus iā dicat vndecim fuisse congregatos & recubuisse, cùm Ioannes dicat Thomam vnum ex duodecim defuisse. Vndecim enim dicit congregatos fuisse, eo quòd tunc eo numero fieret Apostolorum ordo & chorus, qui pro maiori parte ibi tum erat collectus. Simili locutione etiam Paulus dicit Dominum postquam apparuisset Cephæ, visum etiam vndecim, vbi Græci codices legunt duodecim: atq; eo modo magis putat legendum D. Augustinus, nondum ita explicans, vt dicat in maiori numero reddendo, non haberi rationem alicuius minutæ particulæ, & numerum illum duodenarium à Christo consecratū etiam in vndecim mansisse, præsertim mox in Iudæ locum sufficiendo Matthia. Postremùm nec illud quod subiungit Marcus: Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum: cogit nos intelligere ipsum prius locutum de apparitione quę in die ascensionis facta est. Nam, vt etiam annotauit Augustinus, non dixit, Postquam hæc locutus est eis: sed absolutè, Postquam locutus est eis. Frequenter enim Euangelistæ ea coniungunt quæ ex aliis constat non coniunctim gesta esse, sed quibusdam intermediis. Vnde Euthymius, qui iam dictæ omnino subscribit sententiæ, circa illud Marci: Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis: Postquam, inquit, locutus est, non hæc solùm, sed & omnia verba quotquot eis locutus est à die resurrectionis suæ, donec completi sunt quadragiota dies. His sic confectis, ad explanationē eorum quæ hoc Euangelio cōtinen-

1. Cor. 15

tinentur, accingamur. Itaque cum discipuli sanctis de resurrectione Dominica colloquiis se vicissim consolarentur & exhilararent, & quibusdã credentibus quidam non crederẽt, vt ex Marco patet, subitò dominus adfuit in medio confabulantium de se, omnib. modis & rationibus resurrectionem suam illis approbans. Ingressus est autẽ foribus clausis, quo suam potentiam & resurrectionis gloriam declararet, atque insinuaret quomodo è clauso prodire potuerit sepulchro. Nec visus est aduentare, sed subitò substitit inter eos, ad eum modum eis præsens factus, quomodo apparere solent angeli, qui dum volunt sunt conspicui. rursum subitò dum libet euanescũt, quæ hac ratione declaratũ est ipsum ad spiritualem & diuinam reuixisse vitam. Ne tamen propterea spiritus aut spectrum esse putaretur, variis modis se eundem esse, qui prius, declarauit. Et primo quidem, tum solita pacis imprecatione, tum vocali asseueratione veræ suę præsentię, dicẽdo: Pax vobis, ego sum, nolite timere. Et bene nunc pis pacem imprecatur, vt qui tum morte Domini sui, tum metu Iudæorum erant perculsi, & turbari, illius recreatentur resurrectione & præsentia, scirentque nunc demũ veram hominibus pacem per illius mortem & resurrectionem esse redditam. Cùm autem hac ratione non satis in fide animi eorum confirmarentur, sed propter inopinatum eius nocturno tempore aduentum, & ingressum sine ostij apertione conturbarentur, existimantes se videre spiritum aliquem & non verum corpus, alia tum ratione Dominus eorũ turbationem sedare & fidem erigere studuit, diuinitatis suæ indicia præbendo, dum cogitationum se declarat agnitorem, & corporis quoque veri certa exhibendo argumenta, dum illud videndum, palpandum, & ex certis signis agnoscendum obtulit, dicens: Quid turbati estis, & ex turbatione cogitationes variæ ascendunt in corda vestra, dubitantes an spiritum videatis, an verum corpus? Conspicitis formã vobis notã, auditis vocem vobis non ignotam, sed familiarem. Sed quoniam his rationibus vobis nõ satisfit, videte manus meas & pedes, atque ex vulnerum cicatricibus cognoscite quòd ego ipse sum, nec videte tantùm, sed etiam contrectate me, & cognoscite,

scite, quia spiritus carnem & ossa vera non habet, sicut me videtis habere. His verbis cùm Iesus ademisset illis pauorem, & animos addidisset, exhibuit eis inspiciendas & palpandas manus, pedes & latus. Vulnerũ enim, quæ in manibus, pedibus, & latere pendens in cruce acceperat, vestigia seruauit Dominus, non, vt calumniantur gentiles, quòd non valuerit ea curare, sed per dispensationem quandam, vt his argumẽtis apud suos assereret assumpti corporis veritatem, atque nunc sedens in dextera patris, pijs fiduciæ maioris præberet occasionem, quòd vultui patris se pro nobis exhibens, atque pro nobis patri supplicans, quale genus mortis pro nobis subierit semper ostendat, simulque olim in extremo die Iudæorum confutaret impietatem, quando iuxta prophetiam: Videbunt in quem transfixerunt: & omnium impiorũ iustam denunciaret condemnationem, per ostensionem eorũ quæ pro omnibus passus est. Beatus Augustinus epist. 49. ad Deo gratias, in solutione primę quæstionis, pulchrè respondet pagani cuiusdã calumnias, qui hunc ea gratabatur futuram nostrã resurrectionẽ. Sciat, inquit, qui has proposuit quæstiones, Christum post resurrectionem cicatrices non vulnera demonstrasse dubitantibus, propter quos etiam cibum ac potum sumere voluit, non semel, sed sæpius, ne illud non corpus, sed spiritum esse arbitrarentur, & sibi non solidè sed imaginaliter apparere, &c. Cæterum quanquam discipuli viso Domino gauderent, tamen quoniam adhuc erant qui nondum planè credebant esse idem corpus quod viderant mortuum, eò quòd stupor ac ebrietas quædam lætitiæ tenebat eorum animos, vt nec oculis, nec auribus, nec manibus satis fiderent (timemus enim nonnũquam credere, quod miserè optamus esse verũ, metuentes ne nosipsos in falsum conficiamus gaudiũ quo morimur spoliandi) non dedignatus est Iesus etiam tertia ratione eorum fidem confirmare, nobis etiam in ipsis consulens Apostolis, ne quid in nobis resideret de fidentiæ. Irati cibum sibi petit exhiberi, non quod cibo opus haberet, sed vt discipulis suis pro tempore probaret assumpti corporis veritatem. Nullum enim certius argumentum hominis viui, quàm cibum capere. Et ideo Do- *Marci 5.*

Ioan. 19.

minus Iesus puellæ reuocatę in vitam iussit dari cibum. Sic autem nunc dispensatoriè comedit, sicut dispensatoriè vulnerum seruauit cicatrices, vt ne quis putet hic datum exemplum neturæ resuscitatæ ad immortalitatem. Nullus siquidem alius, inquit Euthymius, post corporis immortalitatem aut cicatrices habebit, aut cibũ sumet. Sicut autem supernaturaliter comedit, ita supernaturaliter quæ comederat digessit. Aliter tamen nunc manducauit Christus, & aliter Angelus Tobiæ Raphael in assumpto à se ad tempus corpore. Nam quia corpus ab Angelo assumptum non erat viuum corpus vel animatum, non erat etiam vera eius comestio, quanquam erat vera cibi cõtritio & traiectio in interiorem partem corporis assumpti. Vnde Angelus dicit Tobiæ: Cùm essem vobiscum, videbar quidem vobiscum manducare & bibere. Sed quia corpus Christi verè fuit animatum, vera fuit eius comestio. Vt enim Augustinus dicit li. 13. de ciuitate Dei capite 22. Non potestas, sed egestas edẽdi ac bibendi, tantis corporibus (immortalibus scilicet) auferetur. Et epistola 49. Futuræ, inquit resurrectionis corpus, imperfecta fœlicitatis erit, si cibos sumere non potuerit: imperfectæ fœlicitatis, si cibis eguerit. Sed alitet absorbet terra aquam sitiens, aliter sons radius cãdens. Ille indigentia, ista potentia. Cùm ergo cibum sibi exhiberi petisset, discipuli quod habuerunt obtulerunt, partim scilicet pisces assi & fauum mellis, cibum sanè licet humilem, & discipulorum paupertatem & frugalitatem testantem, sed in quo mysticum quid rectè accepimus significatum. Significat enim secundum Theophylactum, quod naturam nostram quæ in salsugine hoc mari natat, igni suæ deitatis assarit, & exiccarit omnem humorem quem ex profundis fluctibus habebat, vt fieret diuinus cibus, & quæ prius erat abominabilis, fieret nũc dulcis Deo vt fauum mellis. Veritate corporis sui cõstituta & comprobata variis modis, tum verisimile est accidisse quod refert Marcus, nempe quod exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, eò quòd his qui viderant eum resurrexisse non crediderunt. Quod fecit vt mentibus eorum firmius resurrectionis infigeret fidem. Verisimile item ipsum deinceps iuxta

Tobiæ 12

iuxta eam quæ apud Lucam sequitur narrationem ad scripturarum venisse explanationem, vt & hac ratione tum resurrectionis suæ fidem faceret Discipulis. Quod autẽ dicitur in Marco: his qui viderãt eum resurrexisse. Dicus Bernardus serm. 1. de ascensione, putat intelligendum de angelis, quibus testimonium perhibentibus resurrectionis Dominicæ Apostolorum pusillanimitas hæsitauit. Idque ob id, quia nullus mortalium creditur vidisse Dominum resurgentem, sed solis angelis id videre concessum fuit. Verùm Euangelista non dicit: His qui viderant eum resurgentem, sed resurrexisse. Viderunt autẽ eum resurrexisse, qui cùm prius scirent mortuum, viderunt eum viuere. Et Græcis est, qui viderãt eum resuscitatum. Porrò circa prædicta quæri possunt tria. Primò, an naturaliter corpus gloriosum possit ingredi domum ianuis clausis. Secundò, an Christi corpus gloriosum fuerit naturaliter palpabile, cùm Gregorius dicat in homilia paschali, corrumpi necesse est quod palpatur, & palpari non potest quod non corrumpitur. Tertiò, an Christus sufficientibus argumentis nunc manifestauerit veritatem resuscitati sui corporis. Quarum quæstionum solutiones hic causa breuitatis omitto, quòd ex Scholasticis eas quis facilè consequi possit, & potissimũ ex diuo Thoma. Pro prima enim videre eum, licet in additione tertiæ partis, quæst. 83. articulo. 2. Pro secunda quæstione eadem articulo 6. Pro tertia, in tertia parte quæst. 55. articulo. 6.

Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut, &c.] Postquam Dominus variis modis confirmasset suis veritatem suæ resurrectionis, deinde illis functionẽ & officium, quod post se iam abiturum ad patrem obituri erant, tradidit, sed ante illis rursum pacem imprecatur, vt ad ea quę dicturus erat attentos illos faceret. Dicit ergo: Pax vobis. Quam subiicit: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos.*] Quasi dicat: Quandoquidem ego perfunctus mea legatione, repeto patrem à quo missus sum, sicut ille me misit in mundum: ita & ego mitto vos, nimirum vt vestra prædicatione & vita gloriam nominis mei, & patris, & hominum salutem promoueatis, sicut ego bona ade glorificaui nomen patris mei, hominumque salu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem quæsiui. His autem verbis sicut suam insinuat Dominus diuinitatem & authoritatem, dum se patri æquat in mittendo: ita & Apostolorum indicat excellentiam, dum illos in delegato sibi officio pares facit, & vicarios traditæ sibi olim functionis. Quam functionem non simpliciter eis iam tradidit, sed cum plena sibiq; propria potestate, quæ ad illam functionem Christi nomine obeundam erat necessaria, potestate scilicet remittendi & retinendi peccata: perinde atq; reges legatis suis plenam potestatem committere solent, promittentes se ratum habituros, quicquid illi agerent rationabiliter. Sed quoniam hæc potestas hominibus competere non potest nisi &; dono spiritus sancti, cùm sit spiritualis potestas & gratia, priusquam hanc donec, spiritum sanctum illis impertitur, idque sensibili signo spiritui conuenienti, nimirum insufflatione & inspiratione, quo illos hute, huiusmodi signo certiores faceret aduenientis spiritus. Di-
Ioan. 7. xerat supra Ioannes: Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Itaque gloriam ex resurrectione adeptus Dominus Iesus mox cœpit spiritum suis impertiri sensibiliter, abundantius illum & efficacius ipsis largiturus, cùm perfectam per ascẽsionem & sessionem in dextera patris consecutus esset gloriam.
Ioan. 16. Dixerat quidem Dominus: Nisi abiero, paracletus non veniet ad vos: sed de ea loquebatur spiritus sancti abũdantia & efficacia, quâ in die pentecostes Apostoli sunt consecuti: nunc verò spiritum sanctũ eis donat, sed tantùm quoad gratiam quandam spiritualem, remittendi scilicet & retinendi peccata, quæ etiam esse possit in his qui vera charitate sunt destituti, nec habent gratiam gratum facientem, per quam solam salubriter habetur spiritus sanctus. Dando autem nunc spiritum, & dando per insufflationẽ, veluti arrabonem dedit promissionis implendæ post ascensionem, quando cum sonitu aduenientis spiritus vehementis datus est spiritus sanctus: simulq; declarauit se eum esse qui olim formato primo homine inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Sacerdotalem iam in eis absoluit ordinem & potestatem, in duobus potissimùm consistentem, nempe in Eucha-
ristiq; consecratione, quę eis commissa est in vltima cœna,&

na,& in peccatorum remissione, quam modò eis cõtradit. Dixerat quidem & ante passionem Dominus, vt est Matthæi 18. Quæcunque ligaueritis super terram, erũt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo: sed secundum Euthymium tunc hæc illis promisit, nunc verò tribuit, sicut & quod Petro promisit ante passionem: Tibi dabo claues regni cælorum: post quod sequitur, Et quodcunque ligaueris super terram, &c. post passionem præstitit, cùm, vt sequitur ei dixit: Pasce oues meas. Et aliqui quod dicitur Matthæi 18. Quæcunque ligaueritis, &c. maximè pertinet ad forum Ecclesiasticum exterius, vt ibi dictum est. Hic verò locus magis pertinet ad forum interius, quod est forum conscientiæ, quia non de vinculo & communicationis aut iniiciendo aut soluendo hic agitur, sed de peccati reatu tollendo aut retinendo, vnde cùm illo loco fundetur Ecclesiastica excommunicatio, hic fundatur maximè confessio sacramentalis sacerdoti faciendа. Quæ tamen quomodo hoc loco fundetur videndum est. Sunt enim qui vt eam ex hoc loco ostendant necessariam esse, verbum, retinere, exponunt negatiuè, pro eo quod est non remittere, deinde sic colligentes: Si quorum non remiseriot sacerdotes peccata, eis nõ sunt remissa à Deo, oportet ergo vt ab eis remissionem obtineant qui remissionem optant, sed ab eis remissionem obtinere nequeunt, nisi sua illis reuelent peccata, vt sciant num remittere debeant an non, oportet ergo vt peccata sua sacerdori confiteantur. Sed hæc collectio firma satis non est. Primùm enim verisimile non est verbum, retinere, idem esse quod non remittere, cùm retinere positiuum aliquid designet, sicuti cum dicitur: Quæcunque solueritis super terram, &c. ligata non est idem quod nõ soluere. Deinde absolutè falsum est peccatores nunquam posse à sacerdotibus obtinere peccatorum remissionem, nisi sua illis reuelent peccata per singularium peccatorum enumerationem. Nam & per sacramentum baptismi remittunt peccata, nec tamen ibi requiritur peccatorum specialis confessio. Remittere enim & retinere peccata, erit, loquit Cyrillus scribens in hunc locum, per sacerdotes duobus vt arbitror modis,

dis, primum baptismo, deinde pœnitentia. Nam aut credentes & vitæ sanctimonia probatos homines ad baptismum inducunt, & indignos inde diligenter expellunt: aut Ecclesiæ filios peccantes quidē increpant pœnitentibus autem indulgent. Hæc ille. Itaq; quoniam remissio peccatorum impendi potest sine prævia confessione illa speciali, ex eo quòd sacerdotibus hoc loco potestas est collata remittendi aut retinendi peccata, non mox consequitur specialem peccatorum confessionem esse necessariam. Consequitur tamen illud ex hoc loco iuxta intentionem Christi, quam in tradita sibi his verbis potestate remittendi aut retinendi peccata, intellexerunt per spiritus sancti institutionem Apostoli, & ab Apostolis Ecclesiæ. Scientes enim Apostoli se non temerè, sed cum iudicio & ratione debere vti hac potestate, diuinitus edocti intellexerunt à baptizandis quidē se non debere singularem peccatorum confessionem exigere, sicut nec satisfactionem, sed tantùm vitæ prioris detestationem & mutationem ac fidem: à relapsis verò post baptismum non tantùm detestationem admissorum peccatorum, sed etiam actionem pœnitentiæ quam satisfactionem vocamus, exigēdam, ac proinde etiam apertam & nudam peccatorum confessionem, quæ satisfactionis magna pars est, & sine qua actio pœnitentiæ ritè præscribi non posset. Non enim conueniebat vt tanta cum facilitate & impunitate peccatores post baptismum reciperentur, quanta ad baptismum admittebantur, sed tum pro exigentia diuinæ iustitiæ, tum pro vitiorum repressione conueniebat relapsis pœnitentibus actionem pœnitentiæ pro qualitate delictorum præscribi. Hunc morem ab Apostolis edocta Ecclesia, diligenter ab initio, vt ex patribus patet, semper seruauit, & ex parte etiam nunc seruat: quo tēpore etsi vt in cæteris, ita & in actione pœnitentiæ, disciplina Ecclesiastica refrixit & emarcuit, ita vt nulla propemodum confitentibus pœnitentia imponatur, siue pastorum negligentia, siue propter fidelium infirmitatem, tamen confessio nihilominus necessaria est & vtilis ob alias etiā multas causas, nempe vt per eam humilientur superba hominum corda, vitiorumque inuerecundus progressus reprimatur, & doceatur

ceatur quorūdam insipientia insulsissima. Cæterùm hic obseruandum quanta sit potestas collata hoc loco sacerdotibus, cùm eis iam collatum est quod verè solius Dei est. Itaque D. Chrysostomus libr. de digni. sacer. 3. eam potestatem extollit sic scribens: Etenim qui terram incolunt atque in ea versantur, iis commissum est vt ea quæ in cœlis sunt dispensent, iis datum est vt potestatem habeant, quam Deus Optimus neque angelis, neq; archangelis daram esse voluit. Neque enim ad illos dictū est: Quæcunque alligaueris in terra, erunt alligata & in cœlo: & quæcunque solueris in terra, erunt soluta & in cœlo. Habent quidem & terrestres principes vincula potestatem, verùm corporum solùm. Id autem quod dico, sacerdotum vinculum ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos vsque peruadit, vsque adeo vt quæcunque inferne sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne ita habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cælestium potestatem illis à Deo concessam? Quorumcunque enim, ait, peccata remiseritis, remissa sunt. Quænam, obsecro, potestas hac vna maior esse queat? Pater omnifariam filio potestatem dedit, cœterùm video ipsam eandem omnifariam potestatem à filio illis traditam. Nam quasi iam in cælum translati, ac supra humanam naturam positi, atque à nostris affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt. Ex post pauca: Corporis, inquit, leprā purgare, seu, vt verius dicam, haud purgare quidē, sed purgatos probare, id eorum sacerdotibus solis licebat: neque nescis quanta cum ambitione, quanto cum studio ac concertatione sacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At verò nostris sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Hæc ille, ostendens his verbis eleganter sacerdotum noui testamenti potestatem maiorem esse potestate & sacerdotum legalium, & seculorum principum & angelorum cælestium. Quæri antē hic potest quomodo vera sit hæc sententia in sacerdotibus, quibus in ordinatione ab episcopo eisdem verbis dicitur: Quorum remiseritis, &c. cùm tamen verè non

remittant, nisi præterea etiam illis tradatur potestas iurisdictionis. An ergo hæc verba non eodem sensu eis dicuntur quo dicta sunt Apostolis, quibus post hæc verba absolutè cõpetebat potestas quosuis absoluendi, an verò restrictius sunt accipienda cùm ab episcopo eis dicuntur, quàm quo dicta fuerunt à Christo Apostolis. Dicendum, Christũ ante hæc verba præmisisse: Sicut misit me viuens pater, & ego mitto vos: quibus verbis cõstituuntur legati ad omnes gentes, daturq; eis potestas iurisdictionis in omnes, vnde cùm sequitur: Quorum remiseritis: sensus est, inter eos ad quos vos mitto quorum remiseritis, &c. Sacerdotibus autem non dicuntur ea verba: & ego mitto vos: vnde quæ sequuntur, etsi eodem sensu ad eos pertineant quoad Apostolos, tamẽ eorum verborum virtute non possunt absoluere, nisi cùm missi fuerint, hoc est, aliquibus Christi ouibus præfecti.

Thomas autem vnus ex duodecim qui, &c.] Aliam iam occasionem alterius apparitionis Christi pergit commemorare Euangelista Ioannes, quæ non parum ad confirmationem & consolationem pertinet fidelium, Deo ad salutem nostram mirabiliter negotium disponente. Plus enim nobis infidelitas Thomæ ad fidem, quàm fides credentium discipulorum profuit, quia dum ille ad fidem palpando reducitur, mens nostra omni dubitatione postposita in fide solidatur. Itaque cum ex Apostolorum numero per aliquam occasionẽ abesset Thomas, (qui Græco nomine idem significante quod nostrè Hebræum Thomas, dicebatur Didymus, hoc est Latinè, geminus) quando se Dominus primùm Apostolis videndum exhibuit: cæteri discipuli gaudio gestientes renunciant illi iam rediisse quod vidissent Dominum. Ille autem, vt & aliàs, ita & modò suam tarditatẽ declarauit reprehensibilem, & nomini suo correspondentem.

Eccle. 19 Quemadmodũ enim vulgi more ac temerè credere, leuitatis est, iuxta illud: Qui citò credit, leuis est mente: ita nimis curiosè indagare, & fide digni nolle acquiescere, crassæ mentis est. Fide digni enim erãt cõdiscipuli, tũ ob eorum numerũ, tum quòd rem de qua testimonium perhibebant, variis modis se compertam habere narrabãt (nam verisimile est eos non simpliciter dixisse se vi-

disse Dominum, sed etiam manus eius perforatas & latus apertum vidisse, & experros ipsum mãducasse) tum quòd eorũ syncerita ipsi perspecta esset & cognita. Tã multis tamen talibusq; testibus non credidit, sed suspicans illos ludificatos aliquo phantasmate fuisse, negauit se creditorum, nisi oculis suis & Dominum & vestigia clauorum, quæ se illi vidisse commemorabant, ipse quoque videret, neq; hic substitit curiositas, sed & mittere quærit digitum in loca clauorum, & manum totam in latus, ne fortè phantasma esset. Cùm enim à cõdiscipulis audisset quòd manus & latus eis ostendisset Dominus, tãgere etiam hæc voluit, tactum aspectu fide dignorem reputans. Itaq; Dominus ne vnius cõsidem salutem negligẽs, cuius incredulitas etsi ob dictas causas reprehensibilis erat, tamen non ex malitia profecta erat sicut Pharisæorũ, sed ex imbecillitate humana: post octo dies cum rursum præsente etiam Thoma cõgregati essent simul discipuli, venit vt suorũ vulnerum ostẽsione, vulnus infidelitatis in Thoma sanaret. Non autem statim ei apparuit postquã prædicta requisiuit, sed post dies octo, tũ vt interea à condiscipulis instructus, facilius ad fidem posset induci: tum vt magis Domini patesceret clementia, qui talem in discipulo tãto tempore pertulit incredulitatem, quæ quo maior erat & diuturnior, eo magis subitò in magnã morata fidem, resurrectionis in nobis cõfirmat credulitatem. Decorata item hac ratione est prima dies sabbathorũ, quę à resurrectione Christi sanam accipiens celebritatem & nomẽclaturam, Dominica dies vocari cœpta est, & instituta ab Apostolis. Venit ergo Iesus, sed planè vt prius, ianuis clausis sciliicet, & stans in medio, ac pro more pacem eis imprecãs, eadem scilicet omnia faciẽs quæ absente Thoma fecerat, deinde insinuãs ob quam causam venisset maximè, ac Thomæ declarans nihil sibi latere, sed quod præsens fuerat & audierat quæcunque ille prius dixisset, anticipat eius sermonem, eisdem iam vtens verbis quibus ille prius, suus fuerat. Videre enim ille voluit fixurã clauorum in manibus, mittere digitum in locum clauorum, & manum in vulnus lateris. Dicit ergo ei Iesus: Infer digitum tuum huc, in vestigia clauorum scilicet, & vide manus

meas,

meas,& affer manum tuã,mittẽs eam in latus meum,& noli fieri incredulus, sed fidelis. Hic iã credi potest Thomam etsi à Domino admonitum vt id faceret quod desiderauerat, à contrectando tamen ipsum & loca vulnerum abstinuisse,quòd agnita Domini facies & vox ei satisfacerent, & præ reuerẽtia non auderet illum tãgere,quia Dominus postea tantùm dicit: Quia vidisti me Thoma,credidisti:nec dicit:Quia vidisti & tetigisti. Certè in hac sentẽtia est Euthymius. Sic enim scribit: Videns in manibus eius vestigium clauorum, & latus ipsius apertum, continuò credidit,non expectans dum contrectasset. Potest tamen in verbo, Videndi, intelligi hic etiam comprehendi tactus, quia, vt hic annotauit Diuus Augustinus, generalis quo dãmodo est sensus visus, & per quatuor etiam alios seu sus nominatus, vt cùm dicitur: Audi & vide quàm bene sonet, &c. quomodo videre accipitur pro cognoscere. Cæterùm siue Thomas tantum viderit Dominum, siue etiam contrectauerit, mirabile certè est quòd mox tantam fidem conceperit, quantam protestatus est dicens: Dominus meus & Deus meus. Quemadmodum enim ad credendum fuerat difficilior, ita nemo clarius diuinitatem eius professus est. Duo autem profitetur, quorum alterum ex aspectu & contactu intellexit, alterum ex eius omnipotentia & omni scientia. Ex aspectu enim & contractu agnouit illum qui præsens erat, esse Dominũ illum suum quem prius secutus fuerat, quem appellare solitus fuerat Dominũ & magistrum: ex potentia verò, in resurgendo & ingressu per ianuas clausas declarata: ex cognitione item occultorum, agnouit Dominum illum suũ etiam esse Deum suum. Hãc autẽ eius confessionem Dominus non reprehendit nec reiecit, sed amplexus est & laudauit. vnde certum est argumẽtum Iesum Deum esse, idque verum, quemadmodum ostendit Diuus Cyrillus ex adiecto hic articulo, ὁ θεός μου. Porro quanquam magnifica esset fides & confessio Thomæ, non tamen ipsum ob eam beatificat, sicut olim Petrum beatum pronunciauit, profitentem ipsum esse Christum filium Dei viui. Ob rarditatem enim fidei & experimẽtum sensuũ non ita modò beatificari dignus fuit: sed in compa

comparatione eius magis beatificantur, qui sine experientia sensuum crediderunt ac credunt, idque ad maiorem posterorum confirmationem & consolationem. Non enim ignorauit Dominus facilè futuros nõnullos qui resurrectionem mortuorum non fatererentur, quique videre se velle dicerent, palparéq; nõ aliter quam Thomas, recteq; se ita facere contenderent, quoniam discipulum saluatoris imitarẽtur. Et rursum nouit quosdam se iudicaturos infœlices, quòd non fuerint illis temporibus quibus Dominum in carne miracula facientem videre potuissent. His ergo omnibus occurrit dicens: *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt.*] Non quidem Thomam à beatitudine excidere volens, sed beatiorem fidem pronuncians eorũ qui non viderunt. Contra quod tamen obnici posset quod Matt. 13. & Lucę 10. beatos dicit oculos Apostolorum præ oculis Prophetarum, quòd videre eis datum sit quæ illi desiderauerunt videre, nec viderunt tamen. Sed dicendum, Apostolos qui Christum in carne viderunt, aliqua in parte beatiores fuisse fidelibus qui ante & post eos fuerunt, alia verò ratione hos illis beatiores esse. Beatiores enim fuerunt Apostoli, quod eis datum fuit videre in carne illum quẽ iusti omnes videre optauerunt. Cùm enim illum coram videre magnum fuerit donum eis quibus id fuit datum fœliciores hac ratione fuerunt illis quibus nõ fuit datum. Qui verò Christum non viderunt, & tamen in eum crediderunt, beatiores Apostolis fuerũt ratione fidei, quæ cæteris paribus magis fuit, & est in illis apud Deum meritoria & grata. De beatissime autẽ quæ est ratione fidei hic loquitur Dominus, quasi dicat: Tu quidem Thoma quia vidisti me, credidisti in me. At fides quæ sic nata est, non ita magnopere laudanda, nec multum beatos facit homines. Beati magis illi qui cùm non viderint me, crediderunt tamen in me, quia eorum fides magis est apud patrem meritoria, & maius est Dei donum. His autem verbis secundũ Theophylactũ & Euthymium beatiores Thomas significauit Dominus discipulos illos, qui antequã videbant Dominum, crediderunt eum resurrexisse, de quorum numero fuerunt qui discipulis duobus redeũtibus

tibus ex Emaus dixerunt: Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Possunt quoque intelligi hac sententia beatificati Patriarchæ, Prophetæ, & iusti quique veteris testamenti. Omnium tamen maximè hanc sententiam verisimile est dixisse Dominum propter posteros qui in ipsum crediturí erant. Quanquam enim Dominus præteriti temporis verbis vius sit, bene tamen hæc sententia illos post futuros includit, quia beatitudo hęc ad eos nõ potest pertinere, nisi cùm iam de eis dici potest: non viderunt & crediderunt. Præteriti etiam temporis vsus est verbis secundum Augustinum, tanquam ille qui id quod erat futurum in sua nouerat prædestinatione iam factum.

Multa quidē & alia signa fecit Iesus in conſ. Ioannem Chrysostomus existimat Euangelistam Ioannem de illis tantum locutum signis & indiciis quæ post resurrectionem facta: eo quòd adniciatur: in conspectu discipulorum suorum. Nam post resurrectionem tantum discipulis se exhibuit. Verùm magis est verisimile sermonem esse communem, & de his quæ ante resurrectionē, & de his quæ post eam facta sunt. Omnino enim apparet hæc Ioannem subiecisse tanquam finem descripti à se Euangelij, postea verò etiam addidisse quæ vltimo sui Euāgelij habētur capite, quod inter multa à se & ab aliis prætermissa, ea memoriæ posteæ occurrerent, iudicaretq; operæpretium ea posteritati literis tradere, non tantùm ob confirmandam fidem resurrectionis Christi, sed multo magis ob historiam quæ est de Petro, de quo conueniebat omnes scire ouium Christi generalem curam ei commissam esse iuxta promissionem illi olim factā apud Matthæum capite 16. quæ non, nisi hac subsequenti narratione Ioannis, cognosceretur impleta fuisse, dicit autem Euangelista, quæ non sunt scripta in libro hoc, aut, vt est Græcis, ἐν βιβλίῳ hoc est, in libello, quod quædam alia signa descripta essent ab aliis Euangelistis, quædam verò etiam ab omnibus prætermissa. Post hanc vltimam protestationem subiungit & causam quare hæc scripserit, non scilicet ob ambitionem & magistri gloriam tantùm, sed vt, inquit, credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, ad quod credendum præcedēria

sufficere possunt. Et vt sciant lectores, ipsum hanc ab eis desiderare fidem, non propter proprium commodum aut gloriam, subiecit: Et vt credentes vitam habeatis in nomine eius, hoc est, per nomen eius.

DOMINICA II. POST PASCHA.

EVANGELIVM.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum pastor bonus. Ioan. 10. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me pater, & ego cognosco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, vt vocem meam audiāt, & fiet vnum ouile & vnus pastor.*

NOn sine causa paschalibus gaudiis annexitur concio Domini de pastoribus & ouibus. Quandoquidem festis, in quibus hucusque fuimus occupati, per septuagesimam & festa paschalia passionis Christi & nostrarum calamitatum commemorationibus, redeunt intermissa forensium causarum negotia, coniugiorum, & familiarum rerum cõtractus. Idcirco communis doctrina proponitur, in qua fides simul & mores mirificè reformantur, instituuntorq; hoc est, instruitur magistratus Ecclesiasticus, deinde ciuilis, postremò christiani omnes, vt suum quisque locũ in Ecclesia tueatur. Primũ enim proponitur vtriq; magistratui Christus, cuius exēplo lati discant inuigilare diligentius, ne, vt fit, post acceptam culparum indulgẽciam, ad vomitum redeant, contineant oues intra sua septa, & arceant furum, ac prædonum latrocinia. Qui vtinam hæc D. Bernardi verba, sæpius secum ipsi perpenderent. Si boni prælati estis, gaudete, quia merces vestra copiosa est in cælis. Sin mercenarij, metuite, quia discrimina vos manent super terrã. Quod si fures & latrones, cõtremiscite, quia hinc

discedeu

discedentes, maligni spiritus, arreptos, in tartara dabunt
Ierem. 23 præcipites. Magistratui deinde politico, pastor proponi-
Ezec. 34 tur Christus, de quo dñs apud Ieremiam, & Ezechielem
conqueritur, vbi è regione mercenariorũ & malorũ pa-
storũ, verus pastor Christus promittitur. Iudicibus etiã
dogma misericordiæ datur, habet namq; dominica ista
nomen à misericordia Dñi, cuius plena est terra, quem-
admodũ in sacro Missæ officio, hodierno die cantamus.
Meminerint itaq; summum ius, summam quandoque
esse iniuriam, non obliuiscantur se quoq; homines esse,
ne in criminibus aliorum nimis efferuescant, neue pri-
uatis studiis tantum tribuant, vt Reipub. commodis de-
rogetur. Omnes deniq; Christiani agnoscãt se oues, re-
uersosq; ab errore, hoc sacro tempore, ad Episcopum &
pastorem animarum suarum, caueant ad pristina redire
vitia, veteres repetere fraudes, & impostũras. Recogitẽt
sedulò in voce boni pastoris, quos labores, quantas so-
licitudines, quot tormenta atque dispendia, nostri cau-
sa, pertulerit Christus, ne sese vltro in illa discrimina
scientes, volentesq; præcipitent, vnde nos ille, vitæ suæ,
rerumq; omnium tuarum periculo, subtraxit. Hæc sunt
auditores amicissimi, quibus cum omnes, tum vel ma-
ximè prælati sese occupare debebant, in suis illis consi-
storiis, consiliis, capitulis, synodis, & visitationibus, quò
simul & mercenariorum ambitiosis cupiditatibus, la-
tronum pestiferis impostũris, & infernalis, hæreticique
lupi feralibus odiis obsistatur, simul vt bonæ oues pin-
guescant, &, quæ necdum in ouile peruenerunt, aut ab
eo recesserunt, reuocentur. Quemadmodum latius au-
dituri sumus, vbi singula ex Euangelio exactius reuol-
uemus.

EGo sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat.] Pa-
storem se esse, & asserit & ostendit, nec pastorem
tantùm, sed bonum pastorem, ad differentiam mercena-
riorum, qui & ipsi pastores dicuntur, sed non sunt bo-
ni pastores, à quibus iam se separat, sicut mox suprà se-
parauit à furibus & latronibus. Sicut ergo suprà exẽplo
vulgari parabolicè significauit indicia pastoris mystici,
& eorũ qui in ouili Dei fures sunt & latrones, sic nunc
ostensu

ostensurus se non tantũ pastorẽ esse, sed bonum etiam
esse pastorẽ, exẽplo vtitur vulgari, quod continet diuer-
sas conditiones pastoris boni, & mercenarij: quo exẽplo
indicat parabolicè quomodo in rebus diuinis pastor bo-
nus à mercenario pastore possit dignosci. Primùm ergo
oportet exemplum hoc vulgare ad literam explicare, vt
sic melius intelligamus quomodo applicandũ sit intẽ-
tioni Domini. Bonus, inquit, ouium pastor, cùm opus
est, etiam animam suam dat, hoc est, vitam suam expo-
nit periculo, & se occidi patitur pro ouibus suis saluan-
dis pugnans pro eis contra irruentes latrones & lupos:
quemadmodum patuit in Dauide, qui pro seruando gre-
ge suo oppositus se leoni & vrso, & de ipso rediit victor, pri- 1. Reg. 17
mi Regum decimoseptimo. Mercenarius autem, qui sci
licet mercede conductus pascit alienas oues, &, hoc est,
iam coniunctio, &, ponitur hic expositiuè) qui non est
talis ouium pastor vt eius sint propriæ oues, quanquam
bona fide rebus tranquillis gregem procuret, tamen si
ingruat vitæ periculum, hoc est, si viderit lupum venien-
tem, magis pro se quàm pro ouibus solicitus, mox relin-
quit oues, ac fuga vitæ suæ consulit. Vnde fit vt ouibus
interimibus defensore destitutis, lupus oues rapiat & di-
spergat. Causa autem quare mercenarius fugiat, est,
quia mercenarius est, hoc est, quia sui compendij gratia
gregem pascendũ suscepit, nec pertinet ad eum de oui-
bus, pro, nec est illi cura de ouib⁹. Græcè enim est, οὐ γὰρ ἔστιν αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων, hoc est, ergo non pertinet ad
eum de ouibus: quod nos dicimus nostra lingua: Er
nimpt sich jrer nit an. Quoniam ergo mercenarius suum
tantùm quærit commodum, nec ex animo afficitur gre-
gi alieno, hinc vbi periculum perdendæ vitæ aut alterius
incommodi imminet, proditis & desertis ouibus fugit.
Hæc est exempli ad literam explanatio, quod quatenus
ad alteram eius partem, de pastore scilicet bono, perti-
net. Dominus postea sibi accommodat, dum hinc osten-
dit se esse bonum pastorem, quia animam suam daturus
erat pro ouibus suis. Altera verò parte, quæ est de mer-
cenario, verisimile est eum notasse Scribas, Pharisæos &
sacerdotes, qui auaritiæ dediti, gregem Dei non tan-
quam suum, sed tanquam alienum pascebant, commo-

di tantùm sui & lucri gratia, detractantes venire in periculum pro salute ouium, vt pro illis sese opponerent omnibus illis qui quoquo modo oues perdere studerẽt, siue mala doctrina, siue alia ratione. Et simul hac parabola docere voluit dominus quibus indiciis verus euãgelicus pastor à mercenario possit discerni, sicut prius docuit quibus indiciis fur dignoscatur à pastore. Non enim eidem sunt fur vel latro in ouili Domini, & mercenarius. Nam fures quidem & latrones, sunt hæretici & pseudoprophetæ, & quotquot mala aut vana docent. Mercenarij verò veritatem rectè docent, & in rebus tranquillis gregem Domini rectè gubernare videntur, & ingressi fiunt per ostium, quia legitimè secũdum canonum constitutiones pastoralem curam susceperunt, sic vt ab hominibus non possint redargui, & vocem eorum audiunt oues quas ad pascua frequenter educunt, & nihil à vero pastore differre videntur, nisi cum periculis ingruentibus declarant se proprij commodi rationem habere, non salutis ouium. Et quidem Pharisæi ac Scribæ fures esse notabãtur, quatenus populum à Christo auocabant: mercenarij, quatenus quæ legis sunt docebant, sed proprium commodum magis quàm Dei quærentes gloriam. De qualibus mercenariis pastoribus loquitur Dominus apud Ezechielem: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, nõne greges à pastoribus pascuntur? &c. Quis autẽ verè sit mercenarius censendus, paucis verbis bene expressit Augustinus: Sunt, inquit, quidam Ecclesiæ præpositi, de quibus Paulus Apostolos dicit: Sua quærentes non quæ Iesu Christi. Quid est, sua quærentes? Non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda sectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes. Hæc quando amantur à præposito, & propter hęc seruitur Deo, quisquis est talis, mercenarius est, inter filios se non computet. Hæc ille. Fugit autem mercenarius, & dimittit oues aduenientę lupo, non solùm quando corporaliter oues relinquit, sed etiam quando per timorem alicuius periculi silet, nec se lupo opponit. Lupus est, qui vel praua doctrina oues corrumpere studet, vel malis exemplis eas quantum in se corrumpit, vel sæuitia & persecutione insurgit contra oues. Vnde, inquit Augustinus, si qui ob crimen excommunicandus est, non excommunicetur, quia times quod inimicus factus nocebit cùm potuerit, & ob id taces, non increpas, lupum venientem vidisti, & fugisti, corpore stetisti, animo fugisti. Porro quomodo fugere aliquando pastori liceat, dictum est circa illud Matthæi 10. Cùm vos persequentur in vna ciuitate, fugite in aliam: & alioqui in hac parabola satis indicatur mercenarij esse, si quis fuga sua sibi consulat, oues autem lupo expositas relinquat: non autem si sine aliquo ouium suarum periculo quis fugiat eum qui non oues, sed pastorem tantùm persequitur. Cæterum circa prædictam parabolam duplex decurrit difficultas. Primùm enim ex ea videtur consequi, omnes Ecclesiasticos pastores præter solum Christum esse mercenarios, quia significatur illum esse mercenarium, cuius nõ sunt oues propriæ. Nullius autem pastoris præterquam Christi, electi sunt oues propriæ, cum Petro dictum sit: Pasce oues meas, non tuas. Deinde in parabola significatur, mercenario fugiente oues rapi à lupo, cùm Dominus dicat postea: nemo rapiet oues meas de manu mea. Adhæc dicendum, in parabolis multa dicta & quæ magis exemplo vnde parabola desumitur conueniant, quàm ipsi rei ob quam parabola assùmitur, vnde non oportet in accommodatione omnia rebus per parabolã significatis sic studere adaptare, quomodo illa in exemplo inueniuntur. Et tamen etiam illa quæ de mercenario & ouibus sunt obiecta, aliquo modo in re à Domino penitissimùm significata ostendere licet. Nam etsi cuiuslibet pastoris oues, sint Christi oues, vt ob id propriè Christus sit earum dicendus verus pastor, tamen quatenus quidam individua charitate Christo coniuncti cum illo sunt effecti, & membra illius facti, ita vt dicere possint cum Paulo: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus: eatenus & ipsi veri sunt pastores, & oues eis commissæ, propriæ eorum sunt oues, quas pascunt non tanquam alienas, sed tanquam suas, animam etiam pro earum salute obire parati. Quod verò ad oues attinet, quas parabola significat rapi à lupo, dicendum mercenario fugiente fieri frequenter, vt verè

Ezec. 34.

Matt. 10.

Ioan. 20.

Galat. 2.

Dei oues ad tẽpus à lupo rapiantur, & in errores pertrahantur, ac deinde vt multi, qui videbãtur esse Dei oues, perpetuo in errore detineantur. Postremùm etiam veræ Dei oues à lupo rapiuntur & dispergũtur, dũ destitutæ patrono, variis externis malis afficiuntur. Vnde Dominus eõqueritur de ouibus suis à pastoribus derelictis quod sint factæ in deuorationẽ omnium bestiarũ agri. Proinde istud non est contrarium ei quod postea dicit Dominus, ueminem oues suas, hoc est, electos, rapturũ de manu eius. Quod ergo attinet ad exemplum vnde petita est de pastore, ouibus & mercenariis parabola, ita in rebus mundanis esse constat, vt quisquis in caulas ouium intrat, non per ostium sed aliunde irrumpens, vtpote per fenestram, aut macetiam diruptam, is non pastor sit, sed fur & latro. Fur quidẽ, qui furripit fraude alienum: latro, quia vi oues rapit, raptasque dilaniat & occidit. Qui verò per ostium intrat in ouile, is ex hoc ipso cognoscitur esse pastor, cui paterfamilias oues suas concredidit. Huic ostiarius, hoc est, vel ipse paterfamilias, vel is cui ille totius suę domus custodiam & omnes claues tradidit, ingrediendi faciat facultatem, aperiendo ei ostium. Nec ostiarius tantùm illum agnoscit, sed & oues vocem eius audiunt, hoc est, agnoscunt, cùm ad latronis & furis vocem incognitam expauescant. Vt autẽ ipse ingressus ad oues mox ad vocem suam agnoscitur ab eis, ita & ipse vicissim eas agnoscit, adeo vt nominatim etiam singulas vocare norit, atque sic sigillatim vocatas educit è caulis non ad lanienam, sed ad salutaria pascua, illęque vocatæ parent vocanti voce amica notaque. Cùm autem iam eductę è septis quibus continebantur, prodierint in liberos campos, non ipse dominus remanens permittit vagari quocunque, sed ne quidaberrent, aut ab occurrente lupo imperarentur & dispergantur, antecedit totum suum gregem, vt suo ducatu viam illis commonstret, & à noxiis præmuniat bestiis. Præcedit aũt eas non murus, sed subinde voce sua prouocans ad sequendum, & ab errore reuocans, ne sinenens in via diutius hærere. Itaque illæ, quoniam agnoscunt sui pastoris vocem ad quam se dirigunt, antecedentem pastorẽ promptè sequuntur. Eum verò qui non

est ipsarum proprius pastor, sed alieni gregis pastor fortè est, non sequuntur, licet præcedentẽ & vocantem, sed abhorrent & refugiunt ab eo tanquam ignoto. Hæc est ipsius exempli breuis & clara explanatio, in quo Dominus non ad omnium quidem pastorum morem, sed ad quendam morem, qui suo maximè proposito deseruiebat respexit, illum scilicet morem, secundum quem in quibusdam regionibus pastores ouium greges præcedunt, quem morem fortè tunc Iudæa habuit, vt eum habet Campania in Brabantia, cùm in multis locis ecõtrarió pastores gregem suum sequantur, propellẽtes magis quam inuitantes. Cæterùm in applicatione huius parabolæ ad propositum Domini, negotium aliquãdiu exhibet nomen ostij, quòd non satis appareat quid per illud sit intelligendum. Nam coactius videtur, nec sequenti explanationi Domini conueniens, quòd diuus Chrysostomus per ostium scripturas intelligit, vt is dicatur intrare per ostiũ, qui scripturis instructus ad oues Dei pascendas secundum scripturas accedit. Et quo minus per ostium videatur intelligi posse ipse Christus (quomodo intelligit Augustinus, eo quòd postea dicat Dominus: Ego sum ostium) obstat illud, quod Dominus dicens: Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium: etiam se velit significare pastorem esse ouium. Durum autem est vt dicamus Christum intrare per seipsum. Quod si non dixisset postea Dominus: Ego sum ostium: nulla esset in hac locutione difficultas. Intelligeretur enim illum intrare per ostiũ, qui iusta via ad oues accedit, hoc est, qui à Deo vocatus & missus, ac recta intentione, hoc est, ad Dei gloriam & ouium salutem accedit, & pascendi munus suscipit. Et contrà, illum non intrare per ostium sed aliunde, qui non iusta via ad eas accedit, vtpotè nõ missus à Deo, nec illius gloriam ac ouium salutem intendens, sed vel suam gloriam, vel proprium commodum. Et certè nõ obstãte eo quod postea Dominus se ostium vocat, sic hoc loco rectè intellexerimus. Nam quare & quomodo se ostium dicat, & quomodo illud huic loco conueniat, postea dicemus. Itaque per ostium rectè accipimus iustitiam vel ipsum Deum. Nam & iustitia & ipse Deus, ostium est oues custodiens, & per quod ad

pascendas oues sit accedendum. Iam ostiarius vel intelligẽdus est ipse Deus, aut vt distinctam habeamus personam ab ostio & pastore, ipse spiritus sanctus, quomodo intelligunt Augustinus & Theophylactus. Ipse enim spiritus sanctus est cui à Deo patre totius suæ Ecclesiæ cura comissa est, qui suis donis hominem instruens, & omnem veritatem edocens, sic demum aperit ei ostium, hoc est, dat ei iusta ratione ad pascẽdas Dei oues accedere. Sicut ergo in ipso exemplo alius est paterfamilias, qui est ouium dominus: alius pastor, qui à patrefamilias præficitur ouibus: alius ostiarius, qui cognoscens pastorem, liberum dat ei ad oues aditum: ita in re per exemplum significata, Deus pater velut ouium dominus est intelligendus: filius, pastor: spiritus sanctus, ostiarius, sic tamen vt per hæc non intelligamus vnum alio maiorem vel minorem. Porro per oues parabolicè significantur electi & prædestinati à Deo, vt & in aliis plerisque locis scripturæ. Ouile, est ipsa ouium congregatio & multitudo, certo aliquo loco sub vno pastore degẽs. Applicatio ergo exempli hæc est. Qui ad Dei populum veluti illum pasturus & recturus sese ingerit, nõ accedens iusta & recta via, neque per Deum illuc accedens, sed vel per humanæ cupiditatem gloriæ, vel per spem commodi temporalis, illicito modo accedẽs, is fur est & latro. Fur quidem, quia alienum sibi vsurpat. Latro, quia animas hominum impijs & falsis suis doctrinis crudeliter occidit. Qui autem recta via ad Dei populum regendum & pascendum accedit, videlicet à Deo ad hoc missus, & recta intentione id suscipiens, is solus verè est pastor ouium. Huic spiritus sanctus, cui velut ostiario cura ouilis Dominici commissa est, & sine cuius fauore nemo rectè potest suscipere administrationem populi Dei, veluti ostium aperit, cùm docendo eum, & suis donis instruendo, dat ad populum Dei pascendum liberum aditum. Quo accedente, mox electi quique & prædestinati vocem eius diuinam, qua quæ Dei sunt inclamat, audiunt & agnoscunt, vnde & credunt ei atque obtemperant, cùm vocem alienorum, sarum scilicet & latronum, qui praua, vanitates & errores suggerunt, horreant & abominentur. Ipse autem verus pastor

pastor proprias oues vocat nominatim, quia sigillatim singulorum curam gerens, ad bonum exhortatur singulos, idque blanda amicaque voce, qua singulos compellans educit eos ad pascua, dum prouocat vt depositis erroribus, omnique pristino torpore, in quo nox & tenebræ eos continuerunt, ad scripturarum & veritatis intelligentiam accingantur, qua mentes eorum saluberrimè pascantur & pinguescant. Ad quæ pascua dum prouocat, nequaquam ipse domi otiosus desidet, sed ante eos vadit, exemplo sanctæ conuersationis eis prælucent, ac viam qua illis eundem sit commonstrans, & simul solicitus vt eos ab omnibus lupis & noxiorum incursu præseruet. Sic autem exemplo prælucens ante eos vadit, vt tamen interim etiam subinde sua voce illos excitet, & ad sequelam inuitet, ne quid errent aut alicubi hæreant: & illi promptè illum sequuntur, quod vocem eius agnoscant, ament, & approbent, & peruenturi proinde per eum & ad veritatis cognitionem in hac vita, & post eam ad vbertima regni cœlorum pascua. At quoniam non agnoscunt nec approbant vocem alienorum qui errores, mundana aut vana docent, hinc tales non sequuntur, sed abhorrentes eorum vocem fugiunt ab eis, veluti sibi malè à talibus metuentes, qui tamen etiam suos habent greges, hoc est, sectatores, verùm nõ oues Dei, sed hircos, & sues. Hac ergo parabola dum ostendit Dominus discrimen furis & pastoris, & indicat officia veri pastoris, taxauit Pharisæos & Scribas, tanquam non ingressos per hostium ad pascendum populum Dei: taxauit & illos qui ante ipsum sese pro magnis populo Dei obtruserant, quales erant Iudas Galilonites & Theudas, de quibus actuum quinto. Se verò significauit longè ab illis esse diuersum, verum esse pastorem qui per ostium sit ingressus, cui proinde quotquot essent ad vitam præordinati, qui verè oues erant, doli expertes, simplices & innoxij, Christi vocẽ agnoscẽtes, prõptè obedirent, Pharisæis & mundana doctrinis derelictis, qui tamen & ipsi suos habebant sectatores, sed sues & hircos. Proinde intelligerent quomodo fieret vt tam multi è vulgo Christo adhærerent, nulli autem aut admodum pauci ex principibus. Porrò dubitari hic potest,

quomodo dicatur in parabolo, oues pastoris vocem audiue, & fugere vocem alienorum, cùm multi electi, longo tempore veritatem non velint agnoscere, sed errores plerunque sectentur, vt paret in Paulo & Augustino: sicut cõtra qui non sunt electi, aliquando ad tempus veritatem recipiunt, & verum pastorem sequũtur, sicut patet de Iuda. Et rursum quidã post receptam veritatem in errores prolabuntur, audientes vocem alienorum, ac deinde ab errore resipiscentes, ad veritatem redeunt. Quam quæstionem tractans prolixè & pulchrè diuus Augustinus, primùm dicit quosdam sic ad eam respondere, quòd oues, cùm oues sunt, audiunt vocem veri pastoris, & fugiunt vocem alienorum. Quod si prius non audierũt, non tum erant oues sed lupi: aut si quando postea nolint audire, iam tum desinunt esse oues, facti è ouibus lupi. Verum hanc responsionem non putat sufficientem esse, quòd in scripturis legatur de ouibus errantibus: quæ cùm errant, audiunt alieni vocem, & tamen sunt oues. Proinde eò deducit disputationem, vt dicat intelligẽdum esse omnes oues Dei, hoc est, electos, saltem tandem aliquando audire veri pastoris vocem, eisque solas veri pastoris vocem vsque in finem audire. Sicut enim in rebus mundanis vsuenire videmus, vt quandoq; ouis aliqua è suo grege & à suo pastore aberrãs alteri gregi sub alieno pastore iũgatur, ex cuius consuetudine, prioris gregis pastoris consortium obliuiscitur, vt proprij pastoris non agnoscat amplius vocem, quo tamen suam ouem requirente, & ad priorem gregẽ reducente, mox fit vt proprij pastoris vocem & prioris gregis consortium agnoscere incipiat ouis errabunda: ita etiam inter oues Dei, quædam ad tempus alienum pastorem sequuntur, sed ferè cum renisu aliquo mentis, nec sic vt se penitus illi dedant & addicant, quæ cùm à suo pastore requiruntur, qui nullam suarum ouium finit perire, mox ita audita eius voce rapiuntur, vt se penitus illi addicant. Cæterùm aduertendum prædictam parabolam dictam à Domino potissimùm contra eos, qui cùm se populi Dei doctores exhibeant & profiteantur, aliena tamen à diuina tradunt doctrina: vnde & ex ipsa Domini præcipua intentione quadrat contra omnes

omnes hæreticos, ad ostendendum eos non intrare per ostium in ouile ouium, ac proinde fures esse & latrones. Et tamen per quandam accommodationem hæc parabola etiam à plerisque intelligitur dicta, ad notandum eos qui administrationẽ Dominici gregis suscipiunt per aliquam dignitatem ecclesiasticã, non legitima via, sed derepta & inconcessa obtentam, etiamsi in illa existens non malè prædicando doceat, vt qui vel honorũ humanorum vel pecuniarum cupidus aspirat ad præsidentiã cuiusdã dominici, eoque aut vi aut armis curat seipsum intrudi in sedem pastoralem, aut Simoniaca labe, pactóque præmio laborat ad ouium dominicarum regimẽ assumendum, non attendens verbum Pauli ad Hebræos scribentis: Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sed inter hos & illos, de quibus primo loco dictum est, ea est differentia, quòd hi etsi male arte & intentione pastoralem curam susceperint, à veris ouibus Christi audiri possint & debeant, quòd quæ Christi sunt doceant: illi verò, quòd sua doceant, non sint audiendi. Et tamen etiam istis parabola hæc suo modo conuenit. Nam quisquis illicito modo pastoralẽ curam susceperit, fur est & latro, quia nõ quærit ouũ Christi salutẽ, sed proprium duntaxat commodum, sinens vt ex plurimum, commissum sibi gregem dissipari, fame cõsumi, atque in præcipitia vitiorum prolabi. Qui verò debita ratione assumitur ad gregis Christi moderationem, canonica scilicet electione, ad quam nec ambitione, nec auri cupiditate anhelauit, is pastor est ouũ, quoniam non suam ipsius, sed ouium perquirit vtilitatem, ab eis sæuam luporum arcens rabiem, & quicquid ipsarum efficit saluti. Huic ostiarius aperit, quoniam Deus illi præstat ingressum in gregis sui directionem, & autor est promotionis eius ad culmen regiminis: cùm contrà de aliis, ambitione, fauore humano aut precio ad fastigium Ecclesiasticæ dignitatis eleuatis, dicat Dominus per prophetam: Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui, id est, non approbaui. Non enim ipsis Deus ianuam aperit, sed ambitio, cupiditas, aut alia tetra animi labes ingressum præbet. Huiusmodi boni pastoris & vocẽ lubenter subditi

Hebr. 5.

Osee 8.

audiunt, & opera bona quibus eis prælucet, studiosè imitantur: cùm contrà eius quem intelligunt malis artibus in ouile Domini intrasse, nec tam gratam habent etiam ad bonum adhortationem, nec vitam ac mores (qui plerunq; improbi sunt & corrupti) trahunt in imitationem. Vide latius in 7. lib. Cyrilli super Ioãnem addito per Cliehtoueum. Notandum autem in prædicta parabola quinq; notari quæ sunt vero pastori necessaria, & tria quæ sunt veratũ ouium indicia. Pastori enim necessaria sunt imprimis, vt intret per ostium. Deinde quoniã sine spiritus gratia & ope intrare & pascere non potest, vt ostiarius ei apetiat. Dehinc tertiò, vt cùm iam ingressu est, nõ sit mutus apud oues, sed vocet eas, idq; nominatim, hoc est, vt & diligenter studeat singulorum mores cognoscere, & illis cognitis singulos studeat cõpellere & admonere prout cuiq; opus est, vt adimpleat illud Sapientis: Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges cõsidera. Quarto loco necesse est, vt oues suas educat voce sua, ab ignorantia & erroribus ad cognitionem veritatis, à torpore ad bonorum operum solicitudinem, à terrenarum rerum amore ad cœlestium spem & desiderium. Quintò requiritur post hæc omnia, vt & ipse ante oues suas præeat, suo exemplo prouocãs ad pabula regni cœlestis, ac solicitus ne quid suo gregi noxium occurrat. Sextò boni pastoris conditio est, vt non suum quærat ex ouibus commodum, sed ouium salutem: deinde, vt adeo eam quærat, vt etiam propter eam paratus sit animam suam dare. Ezech. 34. Ouibus autem necessarium est primum, vt veri & boni pastoris vocẽ audiant lubenter. Deinde vt euocãti obtẽperent, ac præeuntem sequantur, nam alioqui nihil profuerit audiuisse. Postremùm, vt alienum non solùm non audiant nec sequantur, sed etiam ab eo fugiant, obturantes aures suas diabolo, hæreticis, & omnibus praua gerentibus. Quæ tria si absint ouibus, nec eis quicquam defuerit eorum quæ ad salutem eis sunt necessaria.

Proverb. 27.

Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, &c.] Cum prius se pastorem bonum asseruisset, & ad id probãdum parabolã adduxisset, boni pastoris & mercenarij discrimen continentem: nunc idem illud repetit, vt ex prædictis parabolis se verum & bonũ esse pastorem declararet. Cùm enim suprà duas præmiserit parabolas, quarũ priore pastor dignoscitur à fure, posteriore verò bonus pastor à mercenario, ex vtraque parabola se Dominus ostendit & pastorem esse, & pastorem bonum. Nam ex priore parabola demonstrat se pastorem esse, cùm dicit: cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. In illa enim dictũ erat de pastore: proprias oues vocat nomina tim, & oues vocẽ eius audiũt & cognoscunt. Ex secũda verò parabola, ostẽdit se esse bonum pastorem, cùm dicit: & animam meam pono pro ouibus meis. Nam in secunda dictum erat: Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Porrò illud quod inter duas has partes interpositum est, nempe: sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem: non est vt noua sententia à superioribus separandum, sed sic cum illis iungendum, vt altera collationis pars intelligatur præcessisse, & sit sensus: Sic cognosco oues meas, & vicissim illæ me cognoscũt, sicut nouit me pater, & vicissim ego cognosco patrẽ. Theophylactus tamen post Chrysostomum intelligit illud: Sicut nouit me pater, & ext. nouam esse sentẽtiam & absolutam, & alteram collationis partem esse: & ego cognosco patrem: vt sit sensus: Sicut nouit me pater, ita & ego cognosco patrem: vt significetur filij & patris cognitio esse æqualis. Quod ideo hic additum vult, ne putaremus cognitionem qua oues Christum agnoscũt, æqualem esse cognitioni qua ille oues cognoscit, quia diuersa: cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Verùm ptior distinctio & intelligentia aptior est. Et alibi enim Dominus apud Ioannẽ suum cum electis commercium comparat suo cum patre consortio, vt Ioan. 6. Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Et: Sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnũ sint. In quibus tamen collationibus intelligendum est, semper similitudinem esse ex parte & non per omnia æqualiter, quomodo & in præsenti loco. Non enim tam perfectè nos nouimus Christum quàm ipse patrem: sed sicut est inter patrem & filium mutua cognitio, ita & inter Christum pastorem & oues eius: & qualis est inter patrem & filium cognitio, talis & inter Christum pasto-

Ioan. 6.

Ioan. 17.

rem & oues eius. Cognoscit enim pater filium, quia illum pro naturali suo filio amplectitur, & omnia eius intimè cognoscit, curat & approbat: sic & Christus oues suas cognoscit, quia & cognoscit ab æterno qui sint à
1.Tim.2. patre prædestinati, iuxta illod Pauli: Nouit Dominus qui sunt sui: & eosdem amando solicitè curat quæ ad salutem eorum pertinent. Cognoscit filius patrem, quia illum pro patre suo agnoscit, & omnia sua se ab illo accepisse & habere agnoscit. Sic & oues Christum pastorem agnoscunt, quia agnoscunt illum vnum datum esse hominibus pastorem, per quem solum sit spes salutis, & rursum omnia sua ad illum tanquam boni omnis autorem referunt, omnia illi accepta ferentes. Itaque per hanc similitudinem significatur, non vulgarem esse cognitionem qua ipse Christus cognoscit oues suas, & vicissim cognoscitur ab eis, nec talem esse qualis est qua omnia vt Deus cognoscit, & qua etiam dæmones ipsum cognoscunt, sed cognitionem affectiuam, quæ amorem in se includit. Sicut autem Dominus hac similitudine conditionem pastoris in prima parabola indicatã ostendit non simpliciter sed excellenter sibi competere: ita & conditionem boni pastoris in secunda parabola indicatam, excellenter sibi conuenire ostendit, cùm dicit: Et animam meã pono pro ouibus meis. Plus enim est ponere animam, quàm dare animam, quia, vt patet ex sequenti declaratione Domini, nemo proprie ponere dicendus est animam suam, nisi qui eam habet in sua potestate & manu. Solus ergo Christus potuit ponere, hoc est, deponere animam suam, quia sicut ille seipsum vltrò tradidit manibus persequentium, à quibus iam captus, seipsum si voluisset liberare potuisset: ita cùm voluit, spiritum suum emisit, potestatem habẽs illum vel emittendi prius vel retinendi diutius. Alij verò qui seipsos aliis occidendos etiam sponte tradunt, aut qui sese ipsi interficiunt, non ponunt animas suas, sed tollit eas ab illis gladius. Nam etsi in eorum sit potestate effugere gladium & mortem, non tamen est in eorum potestate immisso gladio animam retinere. De hac positione antæ
Isaiæ 53. Christi vaticinatus est Isaias, dicens: Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longinquum. Et rursum:

rursum: Fortium diuidet spolia pro eo quòd tradidit in mortem animam suam. Vbi Hebræa habent, eo quòd effudit in mortem animam suam.

Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas, &c.] Ne quæ de ouibus suis dixerat, tanrùm illis conuenire putarentur qui tum in illum crediderunt, qui soli illum vere agnoscebant, ideo falsam hanc opinionem eximens subiecit: & alias oues habeo: loquens de prædestinatis inter gentes, quos & oues vocat, & se habere dicit, quia secundum patris prædestinationem oues erant, eosque habebat. Sic & postea electi inter gentes, filij Dei vocantur, cùm dicit Ioannes Christum non tan- Io.
tum moriturum pro gente, sed etiam vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum. Has autem oues dicit non esse ex hoc ouili, quia non erant ex congregatione fidelium qui erant apud Iudæos. Et illas, inquit, oportet secundum patris præscriptum, me, per Apostolos scilicet meos, adducere ad consortium fidelium, ad veritatem & vnitatem fidei. Græcè tamen pro adducere est ἀγαγεῖν, quod Chrysostomus & Theophylactus interpretantur congregare, vt significetur illas oues dispersas esse, & pastore carere. Et fiet, ex duobus scilicet populis, Iudaico & gentili, vnum ouile, vel, vt est Græcè, vnus grex, fietque simul omnium vnus pastor: cùm modò non sit vnus omnium pastor, quandiu illæ adhuc dispersæ suo carent pastore, aut alienos sequuntur pastores aut potius dissipatores. De hoc pastore vno & ouium dispersarum collectione Isa. 40. Ierc. 23. Ezc. 34. & aliis plerisque prophetarum locis.

DOMINICA III. POST PASCHA.

EVANGELIVM.

IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Modicum & iam Io.
non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me quia vado ad patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem. Quid est hoc quod dicit nobis? Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, & quia vado ad patrem? Dicebant ergo: quid est hoc, quod dicit modicum? Nescimus

mus quid loquitur. Cognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicū & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me: Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiā habet, quia venit hora eius. Cùm autem peperit puerum, iam nō meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nūc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrū, & gaudium vestrū nemo tollet à vobis.

IPsa die paschatis dilecti in Christo, variis multisque modis docti sumus, quo pacto Leo de tribu Iuda mortem & tartarea regna deuicerit. Sequenti deinde dominica, fructus nobis Ecclesia proposuit, qui ex ista resurrectione prodierunt, qui sunt pax, gaudium, spiritus sanctus, peccatorum remissio, &cæt. Vt autem nullus sibi falsa persuasione imponeret, satis esse, harum rerum nudam habere fidem & notitiam, successit in secunda post festum paschæ dominica, admonitio admodum necessaria, de imitando Christi exemplo, ad quod se primùm rectores vtriusque Reipublicæ, deinde cæteri quoque Christianorum greges, necessariò component. In hac verò tertia dominica, vt nihil omittatur eorum, quæ ad perfectum Christianismum pertinere videntur, docemur cum Christo, æquo animo quæ aduersa incidunt, tolerare. Nam quoniam crucem & afflictiones exhorrent, & fugiunt homines, ideirco multis hac in re opus est exhortationibus, vt crucis vtilitas ipsis persuadeatur, deinde non paucas adhibere oportet consolationes, vt fulciantur ne succumbant, aut abiecta cruce resiliant. Id quod insigniter hodierno Euāgelio præstatur. Nam prædicit suis Dominus, quod in mundo, & à filiis huius seculi nihil expectent aliud, quàm tristitiam, & materiam ploratus ac fletus. Præsentis itaque doctrinæ scopus in consolatione consistit: Est autem Christo longè alia consolandi methodus, quàm sit mundo. Hic enim dum leuare vult aliquem suo dolore, retinet quicquid est triste, & sola iucunda commemorat, quæ res non raro plurimum obest tristitia

tia aut ægritudine laborantibus, quod in morbis acutis fit manifestissimum, dum enim nolunt infirmis mortis mentionem ingerere, ne terreantur, fit vt tam officiosa cura, perniciem pro solatio inducant. CHRISTVS autem in sua consolatione, ita orationem temperat, vt tædiosa & insuauia, quæ modis omnibus exectabantur, & fugiebant Apostoli, primùm produceret, & ea deinde lenti consolatione mitigaret. Ingratus ipsis fuit suus ab eis discessus, quem figuratè ideirco proposuit, vt ansam percunctandi præberet, quemadmodum & in cæteris scripturæ locis obscurioribus, spiritum sanctum fecisse, animaduertimus, quo simul nobis & inertiam executetes, & occasionem inuestigandi, pulsandi, & petendi præberet. Hoc est quod ait.

MOdicum & iam non videbitis me, & iterum modicum.] Post consolatoriam spiritus promissionem hoc eodem capite, ex quo præsens Euangelium desumptum est, factam, rursum sermonem ingerit de suo discessu, aliamque consolationis rationem adfert, promittendo eis suum ad ipsos reditum. Identidem enim Dominus modo inculcauit eis de suo discessu, quamuis hinc sciret animos eorum dolore repleri, quo eos ad ferendum fortiter suum discessum assuefaceret. Qui enim audiendo id animo assiduè volutabant, rem ipsam postmodum æquiore animo laturos credibile erat. Addit tamen etiam semper aliquam consolationis rationem, easdem consolandi rationes frequenter repetendo, vt eorum mitigaret dolorem, & spem roboraret. Cæterùm dictio modicum, bis hic posita dupliciter intelligitur. Sunt enim qui intelligunt significari tempus quo futurum est quod sequitur, non videbitis, & videbitis, vt sit sensus: modicum tempus erit quo non videbitis me, triduum scilicet illud quo iacebo in sepulchro, & iterum erit modicum tempus quo videbitis me, 40. scilicet dies qui erūt inter resurrectionem & ascensionem. Cui intelligentiæ bene cōuenit quod pro ratione subiicitur: quia vado ad patrem. Ideo enim non dico, sed modico tempore eū Apostoli post resurrectionem erāt visuri, quia iturus erat ad patrem. Sunt qui aliter

liter intelligunt significari tempus post quod futurũ est quod sequitur, non videbitis & videbitis, vt sit sensus: Modicum tẽpus est, post quod non videbitis me, & post illud modicum tempus, erit rursum modicum tempus post quod videbitis me, hoc est, post breue tempus non videbitis me, & iterum post breue tẽpus videbitis me. Breue enim restabat tẽpus ante mortẽ ipsius, per quam subtrahendus erat ab oculis eorum reconditus in sepulchro: sed rursum breue erat tẽpus, triduum scilicet, post quod per resurrectionem eis erat reddendus. Atque in hunc modum accipiendum esse hũc locum, patet ex eo quod in hunc sensum superius aliquoties posita est dictio, modicum, vt eùm dixit: Adhuc modicũ, & mundus me iam non videt. Non enim significatur mundum modico tempore nõ visurum illum, sed quod post modicũ tempus non sit illum visurus amplius. Huic tamen intelligentiæ in præsenti loco obstare videtur quod sequitur pro ratione subiunctum: quia vado ad patrem. Non enim conuenienter videtur dici: Ideo me post modicum rursum videbitis, quia vado ad patrem, cuius abitus ad patrem potius sit causa cur illum non sint visuri. Sed dicendum, partem hanc: quia ad patrem vado, referendam esse ad vtrumque præcedens: modicum & non videbitis, & iterum modicum & videbitis me. In abitu enim ad patrem includitur & mysterium mortis & mysterium resurrectionis, quia ire ad patrem, erat per mortem transire ad immortalitatem. Quia ergo Christus tunc sic abibat ad patrem, ideo post modicum illum non erant visuri, quia instabat eius mors: & rursum post modicum erant visuri, quia à morte instabat ipsius resurrectio. Itaq; instare iam & adesse tempus significat Dominus, quo implebitur quod supra aliquoties dixit apertè apud Matthæum & Lucam, de sua morte & secutura mox resurrectione, sed obscurius modo, locutus est, tũ vt mœstos satis discipulos minus cõsternaret: tũ vt eos præ mœstitia silentes ad interrogandum prouocaret. Sciẽdum tamen, quòd totus hic locus ab isto, Modicum & non videbitis me, vsque ad illud: Et in illo die me non interrogabitis quicquam: dupliciter tractetur à D. Augustino, & ab aliis. Altero modo, vt tempus quo Christus

Christus dicit non videndum, & quo suos dicit contristandos, mundum autem gauisurum, intelligatur tẽpus passionis, mortis, & sepulturæ illius: tempus verò quo se dicit rursum videndum, & suorum tristitiam cõuertendam in gaudium sempiternum, intelligatur tempus à resurrectione ipsius. Secundum quam intelligẽtiam totus huius loci locus proprie & solùm pertinet ad Apostolos, sicut & alia pleraq; quæ in hoc dicuntur sermone. Altero modo, vt tempus luctus intelligatur totum tẽpus præsentis seculi: tempus verò gaudij, tempus futuri seculi, in quo ab oculis iustorũ qui in hoc nunc lugent seculo & affligũtur, Deus omnẽ absterget lachrymam. Secundum quã intelligentiã totus hic locus non ad Apostolos tantum, sed ad vniuersos pertinet fideles. Existimat autem D. Augustinus hanc posteriorẽ tractationem esse magis germanam & verbis Domini magis conuenientem, tum quia in fine dicitur: In illo die me non interrogabitis quicquam: quod nõ videtur quadrare in tempus resurrectionis, quia in illo leguntur Apostoli quædam interrogasse Dominum: tum quia hæc in principio dicitur, Modicum & iam non videbitis me: vbi, iam, idem est quod amplius. vnde significatur Christum non amplius videndum ab Apostolis, quod maximè impletum erit per ipsius ascensionem de qua subiicitur: quia vado ad patrem: quam partem proinde vult tantum referendam esse ad illud: Modicum & iam non videbitis me, non autem ad illud quod proximè præcedit: & iterum modicum, & videbitis me. Eundo enim ad patrem factum erat Dominus, vt eum amplius non viderent in terris Apostoli. Itaque hunc intelligit præsentis loci sensum: Post modicum tempus, illud scilicet quod restat vsque ad meam ascensionem, non videbitis me amplius in terris, quia post modicum tempus ego vado ad patrem, & è terris ascendam in cœlos. Iterum tamẽ post modicum videbitis me, quando scilicet in fine seculi venturus ad iudicium omnibus me videndum exhibebo, & quando vnicuique fidelium à morte apparebo: vt secundum illud modicum intelligatur totum præsentis vitæ vel seculi spacium, quòd coram DEO & in comparatione æternitatis minimum est. Verùm sicut coactè illa

ratio: quia vado ad patrem: tantum refertur ad illud, modicum & non videbitis me, & non etiam ad illud, quod tamen immediatè præcedit, & iterum modicum & videbitis me, ita etiam per modicum & iterum modicum, magis est probabile Dominum significasse breue illud tempus, quod ante suam iam superesset mortem, & tantum breue illud tempus quod à morte restabat vsq; ad resurrectionem, ac similiter magis est probabile, sequentia magis intelligenda de tristitia Apostolorum ad mortem sui Domini, & eorundem lætitia ob illius resurrectionem. Dicit enim: Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Itaque prior totius huius loci tractatio simplicior est, & præcipuè aut primæ intentioni Domini conuenientior. Ita tamen Dominus in sequentibus suum temperauit sermonem, vt quòd dixit pro mitigatione præsentis ob suam mortem tristitiæ in Apostolis, etiam ipsis omnibúsque fidelibus valeret pro mitigatione malorum omnium & afflictionum quæ in hac vita eraut perpessuri, quorum malorum principium quoddam fuit, planctus ille & dolor quem Apostoli de Domini sui crucifixione & morte conceperunt: sicut gaudij sempiterni, quod in cœlis manet iustos post huius mundi afflictiones, initium quoddam & typus fuit Apostolorum gaudium de Christi resurrectione conceptum: quare etiam posteriot illa totius huius loci tractatio non est aliena ab intentione Domini, sed per accommodationem intentioni ipsius conuenientem etiam illa hic rectè adhibetur ad fidelium ædificationem & instructionem. Non obstat etiam quod dicitur, Iam, plius non videbitis me, quia dictio, Iam, hoc loco non est in Græcis, sicut nec apud nos, cùm in sequentibus bis hæc Christi verba repetuntur, semel in persona Apostolorum, & secundò in persona Christi. Tantum est, modicum, & non videbitis me: & omnino verisimile est dictionem, Iam, hoc loco asseriptam ex illo quod paulò ante præcessit. De iustitia verò, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. Omnibus tamen maturius perpensis, visa est mihi postea explicatio D. Augustini esse probabilior, eo quòd cum in hoc sermone a-

lias Dominus dicit se non videndũ, significet eam absentiam quæ post ascensionem futura erat: & cum se videndum rursum dicit, eam visionem significet quæ in fine seculi futura est.

Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem: Quid est hoc quod dicit, &c.] Cùm superius Dominus aliquando mortem suam & resurrectionẽ Apostolis apertè & sine omni parabola prædixisset, illi teste Luca nihil eorũ intellexerunt, mirum itaq; esse nondebet, eos etiam modo non intellexisse hæc quæ de instante sua morte & resurrectione dixit parabolicè. Cæterum peculiaris etiam ratio cur hæc Domini verba non intellexerunt, fuit, vel quia non putauerũt tam vicinũ esse tempus abitus Domini, vnde Euãgelista dicit peculiariter hoc eos torsisse, quod Dominus dixit modicum: vel etiam quia verbis Domini contrarietas quædam videbatur inesse, eo quod post modicum se diceret non videndum, & videndum, & quia se dicit videndum & tamen abire ad patrem, quasi dicerent, inquit Chrysostomus, Si te videbimus, quomodo abis? si autem abis, quomodo te videbimus? Porrò vt eos Apostolorum arguit rudiratẽ, quòd ex his quæ frequenter Dominus eis dixerat de morte sua & resurrectione, non intellexerint præsentem sermonem, sed tolerandam planè ruditatem, pro illo tempore quo eos mœstitia tota occupauit, & rerum inopinatarum immanifestatio, necessariam attulit verborum obscuritatem: ita mutua illorum de intelligentia sermonis inquisitio declarat quantum in eis fuerit discendi studium, quantiq; apud eos pia, reuerentia erga Dominum fuerit etiam non intellectus sermo. Non enim desponderit animum, non admonem, sed nec eundem veluti otiosum aut intellectũ præterant, verũm credẽtes grande aliquod subesse mysterium, & ignorantiam suam confiteri non erubescentes, quæ discendi auiditate inter se conferunt, disquirũt, disputant, quod sanè ingenuorum discipulorum est indicium. Contrà verò præ ignauia quidam verbum audita & superbia ea quæ nesciũt se scire simulãt, ne ignari videantur, in quos dictum est illud Satyricum: Turpe est,

nescisse fateri. Sunt insuper qui quicquid non intelligũt aut quicquid eorum non respondet opinionibus, fortiter mox reiiciunt & irrident, quemadmodum sæpe Iudæi verba Domini audientes, vt illi qui dixerunt in Capernaum: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? At hi omnes vt ab ingenio discipulorum longe absunt, ita procul sunt à cœlestis sapientiæ participatione.

Cognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare, & dixit] Cùm ex discipulorum inter se collatione, sed magis suo spiritu cognosceret Dominus quod cuperent eum interrogare, suo more interrogationem quam reuerentia aut verecundia retrahebat, præuenit præoccupando. Adest ad docendũ promptus pastor & magister opportunus. De sapientia enim dictum est: Præoccupat eos qui se concupiscunt, vt prior se illis ostendat. Non tamè explicauit eorum, de quibus dubitabant discipuli, verborum intellectum, sed etiam hic suo more nouam subintulit adiectionem, qua quod dixit firmius asseueraret, & ex qua intelligendum reliquit quod dixit: non videbitis & videbitis. Nam quod dixit: modicum & iterum modicum: nunc non explicat, quòd res ipsa mox esset illa declaratura, cùm post aliquot horas ab illis esset separandus & occidendus, quando videntes implerum quod dixit: modicum & non videbitis me: expectare etiam meritò debebant implendum quod sequitur: & iterum modicum & videbitis me. Nouit magister quæ & quantum discipulis commodè traderet, nec iam ei adeo fuit curæ vt quæcunq; diceret intelligerent, quàm vt præsentem eorum tristitiam & crucis scandalum imminueret. *Amen amen, inquit, dico vobis, &c.*] quasi dicat: Quod dixi verissimum est, & ex his quæ modo dicam vtcunq; intelligere potestis: Ecce iam adest tempus quo plorabitis & flebitis, ob adeptam scilicet hanc meam vobiscum consuetudinem, & crucis ignominiam mihi irrogatam. Contrà mundus ille captò & occiso tanquam victor, suiq; voti compos effectus, gaudebit, gestiet, & exultabit, sed breui commutabuntur rerum vices, vestra enim tristitia vertetur in gaudium, cùm me videbitis à morte redituum, & contra mundi gaudium vertetur in mœrorẽ. Discruciabit enim eum

Sapiēt. 5.

eum, & conturbabit mea resurrectio, sicuti vos gaudio afficiet. Aperte autem tantùm dicit tristitiam discipulorum vertendam in gaudium, non autem mũdi gaudium vertendum in tristitiam, quia illud dicere sufficiebat ad consolationem discipulorum, ob quam hæc dicuntur. Implicitè tamen etiam significat mũdi gaudium immutandum. Si enim discipulis plorantibus mũdus erat gauditurus, & id quod discipulis fuit mœroris causa, mundo fuerat causa lætitiæ, necessariò etiam eorum discipulorum mœrore mutato in gaudium, mundi gaudium in mœrorem erat vertendũ. Cæterùm, vt prius cœpimus dicere, sic Dominus hunc suum temperauit sermonem, vt per eum non tantum Apostoli mœrorem instantem ipsis tunc mœrorem, sed & ipsi & fidelium ecclesia econtra omnes præsentis vitæ afflictiones & angustias. Itaq; hac sententia totum Ecclesiæ & omnium iustorũ statum pulchrè delineauit Christus sapientia patris, nempe quòd eorum sit vt mundanis hominibus gaudentibus de eorum oppressione, ac de bonis præsentis vitæ, ipsi lugeant, afflictiones ferant, seipsi voluptatibus præsentibus subtrahant, hoc ipso se consolantes, quòd eorum tristitia mox sit vertenda in gaudium, quod non solum sit post hanc vitam, quando tamen id fit certissimè & perfectissimè, sed etiam frequenter in hac vita, in qua subinde Deus iustis concedit ab impiorum oppressione refrigerium, quemadmodũ Ecclesiæ suæ frequenter post grauissimas tyrannorum & hæreticorum persecutiones, concessit tranquillam pacem, cum summo Ecclesiæ gaudio, summoq; impiorum mœrore. Hoc facit quod dicitur: Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Et Isaias: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. Et: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Psal. 29. Isaiæ. 54. Matt. 5.

Mulier cum parit, tristitiã habet, quia venit hora eius, &c.] Prædictũ gaudij post mœrorem successum declarat per vulgatæ ac certissimum exemplum, quod tamen non simpliciter ad hoc valet, vt promissum successum gaudij post mœrorem ostendat & credibiliorem faciat, sed eundem ob alia optimè deseruit proposito. Et primùm ad

designandum illud, quòd quemadmodum mulieris iam parientis magnus quidem, sed brevis est dolor, quæque mox convertitur & in maximam lætitiam, & in solidam atque diuturnam: ita etiam Apostolorum animi gravissimo dolore ob Domini sui mortem detinendi erant, sed dolore brevi, & qui & in summâ & in perpetuam mutandus esset lætitiam. Ob magnitudinem enim doloris in parturientibus, sæpissimè etiam prophetæ huiusmodi vtuntur similitudine, vehementem alicuius dolorem vel afflictionem significare volentes, vt cum dicitur: Ibi dolores vt parturientis, &: Torsiones & dolores tenebunt eos, quasi parturiens dolebunt. Itidem aliis locis scripturæ. Breuitatem autem doloris in parturientibus indicat Dominus, cùm dicit: tristitiã habet, quoniã venit hora eius, vt scilicet pariat. Similiter magnitudinem gaudij, quod in eis succedit gravissimo dolori, indicat cum dicit: Iam non meminit præssuræ. Magnam enim oportet esse voluptatem, quæ tantum & tam recentem dolorem non solum mitiget, & tollat, sed etiam subitò eius tollat memoriam. Notat autem Augustinus dictum, eum peperit puerum, quòd maior sit lætitia ex nato masculo quàm fœmella, sed Græcis est τὸ ἄρσεν. quod vtrique sexui est commune, sicut & Latinis frequenter nomen, puer. Secundò, & ob id similitudo illa proposito conuenit, vt indicat Diuus Chrysostomus, quod sicut illud ipsum quod est in parturiente doloris causa, adfert succedêtis lætitiæ materiam: ita res illa vnde dolorẽ conceptori erant Apostoli, causa erat futura eius vnde postea erant gauisuri. Mors enim Christi causa fuit resurrectionis eius, sicut partus causa est eius qui in lucem editur hominis. Iam & ideo illud exemplũ huic loco optimè quadrat, quòd Christus per mortem quasi per quẽdam vterum genitus, & doloris doloribus mortis, natus sit nouus homo in mũdum, propter quod & primogenitus dicitur ex mortuis, & in resurrectione interpretatur Paulus impletũ illud Psalmi: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Actuum 13. Significatur ergo mœrorem Apostolorũ fore veluti de doloribus partus nouæ prolis, eorumq; lætitiam fore de nouæ nouæ humanis generatione & natiuitate: ideoq; notat Diuus Chrysostomus

Psal. 48. Isaiæ 13.

Coloss. 1.

Psal. 2.

sostomus dictũ esse potius, quia natus est homo in mũdũ, quàm quia natus est sibi filius, quòd sic magis conueniret significando mysterio. Certè ob prædictas rationes primitiua Ecclesia ex Apostolorum potissimum collecta collegio, Apocalyp. 12. etiam vocatur mulier, quæ in vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret, & peperit filium masculum, qui raptus est ad Deum, & ad thronum eius. Illo enim loco partus filij masculi, qui procul dubio est Christus, magis videtur referendus ad resurrectionem Christi, quàm ad natiuitatem eius ex vtero virginis Mariæ, quia cum dolore & cruciatu suo & fidelium Apostolorum peruenit Christus ad resurrectionem, & post eam generationem mox raptus est ad Deum. Applicat autem Dominus dictum exemplum suo proposito simpliciter dicens: Et vos igitur nunc quidem ob meum abitum & passionem, tristitiam habetis, verùm rursum ego vos mox videbo resuscitatus, & tum mœrore omni pulso, gaudebit cor vestrum in me & de me, nec gaudebit momentaneo & brui gaudio, sed perpetuo. Non enim, vt modò, vestrum in me gaudium tunc tolletur, sed gaudium id, quod nemo tollet à vobis, quòd certò eritis persuasi me semper in bonum vestrũ viuere, Christus enim resurgens à mortuis, Rom. 6. iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Atq; hæc quidem literalis est huius loci tractatio. Cæterùm quatenus hic locus per accommodationẽ etiam ad vniuersos extenditur iustos & totam fidelium Ecclesiam, possũ etiam huic loco conuenit exemplum parturiẽtis mulieris. Singuli enim iusti & tota fidelium Ecclesia, similes sunt mulieri parturienti. In præsenti enim seculo tempus est partus bonorum operum, tempus est vt Ecclesia multos Deo filios progignat. Cui partui dum intendunt iusti, graues patiuntur à carne & à mundo dolores & afflictiones, verùm non solùm post dolores istos momentaneos, sed etiam per illos, succedet in vita æterna gaudium & maximum & sempiternum, quo vnusquisque se gaudebit per illos dolores natum in regnum cœlorum, aut etiam alios per ipsum natos in nouum illum mundum. Nec enim, inquit Beda, nouum debet videri, si natus dicatur qui ex hac vita migrauerit. Sicut

enim consuetè nasci dicitur, cùm quis de vtero matris procedens in hanc lucem ingreditur, & particeps fit huius vitæ: ita potest natus appellari, qui solutus à vinculis carnis ad lucem æternam sublimatur, & cœlestis fit particeps vitæ, vnde sanctorum solennia non funebria, sed natalitia vocantur. Est autem sanctorum gaudium simile gaudio puerperæ, quæ non meminit amplius præsurræ, quia nihil in eis remanet mœrotis præsentis & malorum: qui ad cœlestem transferuntur fœlicitatem, non eos contristat maiorum memoria, sed inde potius voluptatem concipiunt. Et illis ergo omnibus nunc dicitur: Vos quidem nunc tristamini, quoniam ablatus est à vobis sponsus, & ab illo in doloribus & laboribus multis derelicti. Iterum autem videbo vos in nouissimo die, & tunc ex contemplatione præsentiæ meæ gaudebit cor
Psal. 15. vestrum in æternum. Adimplebis, inquit Psalmista, me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsq; in finem. Dicit autem potius: iterum videbo vos: quàm, iterum videbitis me: vt à suiipsius exhibitione & manifestatione intelligeretur pendere quòd eum rursum fideles essent vsuri. Neq; enim Apostoli post resurrectionem Christum potuissent videre, nisi se illis videndum exhibuisset: ac similiter est de iustis respectu futuræ visionis Christi. Iam & alia ratione illud, videbo vos, Christi insinuat benignitatem, ne putari posset ipsum iam ad sublimiorem translatum conditionem, dedignaturum aspicere suos, quemadmodum ferè in hominibus accidere solet. Reliquum est vt hinc discamus, tempus præsentis vitæ esse tempus luctus, sed luctum hunc momentaneum esse, & fortiter nobis tolerandum, si confidetemus gaudium vitæ futuræ, quod proculdubio æternum & maximum obtinget lugentibus in præsenti seculo, quemadmodum id infinitæ docent scripturæ.

DOMINICA IIII. POST FESTVM PASCHAE.

EVANGELIVM.

Ioan. 16. IN illo tempore: dixit Iesus discipulis suis: Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me: quò vadis? Sed quia locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem

autem dico vobis, expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum vobis. Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De iustitia verò, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. De iudicio autem, quia princeps mundi huius iam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nō potestis portare modò. Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcùque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.

AVdiuimus dominica elapsa, amicissimi, quo modo vnumquemlibet Christianū ad saluatoris sui exemplum sese componere deceat patientia & tolerantia in aduersis. Neque enim satisfactum fuerit vocationi nostræ, si Christum tantū intueamur, vt donum nobis gratuitò à patre concessum, sed necesse quoq; fuerit, ipsum recipere vt exemplum vitæ, hoc est, documentum, normamq; viuendi. Sic namq; oportet Christum per fidem habitare in cordibus nostris, vt forma veteris Adæ exclusa, nouum hominem induamus, qui secūdum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Quia quos *Eph. 3. 4.* præscivit, & prædestinauit, &c. sed sequitur, conformes fieri imaginis filij sui. Cæterùm quoniam ista doctrina, carni & veteri homini non solum molesta, verumetiam impossibilis videri solet, congruentissimo ordine in Ecclesia Dei sancitum est, vt præsens Euangelium antecedens subsequeretur, in quo de spiritu sancto est facta promissio, vt qui facultatem se non habere sequendi Christum queruntur, hinc discerēt, vnde vires illas possint, & debeant mutuari. Itaq;, si dura tibi videtur Christiani conditio, en, Christus promittit spiritum sanctum, cuius officium esse docet, primum nos nobis ipsis quales simus, argumentatione prodere. Deinde, omnem quoq; veritatem nobis patefacere, quomodo Christi incorpurari atque conformari debeamus. Tertiò, in pressuris, & afflictionibus tam interno solatio, per arcanam inspirationem, quod filij Dei simus, spiritui nostro testificando, quàm externo verbo, multitarie nos confirmando

firmando: Vnde & paracleti nomine designatur. Et hæc de ratione dispositionis doctrinæ Ecclesiasticæ, dicta sufficiant, nunc Dominum ipsum audiamus.

ET nunc vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis. Graeca non habent, Et nunc, sed νῦν δὲ, id est, nunc autem, quomodo legit & diuus Augustinus. Adhuc enim pendet hæc pars cum præcedenti narratione ex capite decimosexto Ioānis, & ratio indicatur quare quod ab initio non dixit, modò eis dixerit. Sensus ergo est: Ab initio vobis hæc non dixi, quia vobiscum eram, Nunc autem vado ad eum qui misit me, atq; ob id illa vobis modò opportunè & necessariò dixi. Cùm autem prædiceret suī abitus & malorum quæ post illum erant obuentura, videret Dominus suorum animos nimia repleros mœstitia, ad consolationem conuertitur, in qua reliqua ferè sermonis pars consistit. Cæterùm dubium est quomodo dicat: Nemo ex vobis interrogat me quo vadis: cùm paulò antè Petrus interrogarit: Domine quo vadis? & Thomas idem scire desiderans dixerit: Domine nescimus quo vadis, & quomodo possumus viā scire? Proto de D. Augustinus illud referendum putat ad tempus ascensionis Christi, vt sit sensus: Vado ad eum qui misit, ad quem cùm abiero, tum demum nemo vestrum me interrogabit sicut modò, quò vadam. Ipsi enim vestris contemplabimini oculis quo vadam. Verùm quoniam hæc coactior videtur intelligētia, aliter dicendum Dominum amicorum more his verbis mœstos Apostolos prouocare ad familiares interrogationes, notās eos quod præanimia mœstitia iam cessaret penitus ab huiusmodi interrogationibus, quales deberēt esse inter amicos maximè iam ab inuicem separandos, ex quibus interrogationibus vtilitatē aliquam percipere possent, & mœrore suo liberari. Cum enim cœpissent interrogare quò iret, nec adhuc satis illud ab eo didicisset, debuisse meritò eam repetisse interrogationē, ac de futuro statu solicitius interrogasse: verū quo minus illud aliaq; iam interrogarent, obstitit cordis mœstitudo, omnem interrogationis & discendi diligentiam reprimens. Sensus itaq; est: Auditis me dicentem de abitu, eumq; solicitè

amicus amicum soleat de multis interrogare abeuntē, vos iam mecū nulla misceris colloquia, nihilq; rogaris, ne hoc quidē quod in principio rogare cœpistis, & necdum didicistis, ūcpe quò vadam. Tacetis, irrequieto tamen animo intus labōrātes, vosq; macerantes. Quia enim hæc locutus sum vobis de meo abitu & malis post illū superuenturis, tristitia ita impleuit & penitus occupauit cor vestrū, vt non liceat quicquā interrogare. Verum quo mœstitiam hāc deponatis, audite, ego qui ipsa sum veritas, quiq; fallere nequeo, veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego abeam à vobis, & vadā ad eum qui misit me. Si enim non abiero, paracletus ille, de quo jam aliquoties dixi, & per quem multa vobis promā, non veniet ad vos. Si autem abiero ad patrem, mittam eum à patre ad vos. Bene autem Dominus hæc verba fic temperauit, vt per ea & spiritum significaret se non esse inferiorem, & se nō esse inferiorem illo, ac proinde illum filiū esse æqualem. Cùm enim expedire dicit vt abeat, quo possint accipere paracletum, significatur satis excellentia spiritus, quemadmodum contra Macedonianos hic annotauit D. Chrysostomus. Si enim spiritus erat inferior filio & minor, quomodo expediebat vt filio abeunte acciperent spiritum? Ne tamen ex his verbis putaretur paracletus filio maior, dicit non iam patrem missurum illum, sed se: Mittam, inquit, eum ad vos. Ex his autem iam tractatis Christi verbis tria notanda sunt aliter discenda. Primùm, anxietatem & tristitiam cordis impedire frequenter ne quæramus ea discere quæ scire saluti nostræ expediat, atque ob id pulso procul huiusmodi mœrore, grauiter inquirendum in scripturis quò Dominus abierit, & qua ratione illum eo loqui possimus. Tristitiam, inquit Sapiens, longè expelle à te. Multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in illa. Secundò discendum, nos nobisipsis & proximis quos diligimus non ea debere præstare quæ sunt suauia, & humanæ grata voluntati, sed ea potius quæ sunt saluti magis conducibilia, quemadmodum Christus nō tacuit suis de suo abitu, quamuis hinc scirent illos contristādos, nec suam illis præsentiam corporalem vtili summè ab eis cupitam concessit, quòd illis non expediret. *Eccle. 30.*

pediret. Postremò discendum, spiritus non esse capaces qui adhuc carnalibus & terrenis rebus mente inhærét. Si enim Apostolis obstitit carnalis Christi præsentia, quo minus spiritum possent accipere, cùm illum tamen spirituali prosequerentur amore, quanto magis non possunt accipere spiritum qui adhuc carnalia sapiũt, & toti illis inhærent, aut qui carnali adhuc cognationũ affectu detinentur? Vnde Paulus: Nos, inquit, ex hoc neminẽ nouimus secundum carnem. Et si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.

Et cùm venerit ille, arguet mundũ de peccatis, & de iustitia, &c.] Ne dicant se malle ipsius præsentiã, quam spiritus pro ipso aduentũ, ostendit ipsius paracleti officiũ & fructum. Cęterũ obscurus admodũ est hic locus, quo dicitur de tribus spiritũ redarguturum mundum, ita vt propter obscuritatẽ ipsius variè admodũ à diuersis tractetur interpretibus, & vix quisquã satisfaciat studioso lectori. Obscuritas autẽ, vnde enarrationũ varietas potissimum nascitur, in duobus maximè cõsistit. Obscurum enim est quomodo de spiritu dicitur quòd arguet mundum de iustitia, cùm de iustitia nemo sit arguendus, sed tantũ de iniustitia. Obscurum item de qua aut de cuius iustitia hic sit sermo. Nã id ex subiuncta ratione non itacognosci facilè potest. Itaq; quod ad priorẽ obscuritatis pertinet rationẽ, sciendũ verbũ arguet, dupliciter posse hic accipi, videlicet aut pro corripere, cõfutare & redarguere, quod ferè verbũ illud apud nos significat, aut pro certis argumentis demõstrare & conuincere. Nã & hoc significat Græca dictio ἐλέγχω, vnde ἔλεγχος, argumẽtum & indicium, sicut & arguere Latinis significat ostendere & probare. Et quidem si priori modo accipiatur, tunc in ablatiuis, peccato, iustitia & iudicio, subaudiendi sunt adiectiua diuersa, hoc modo: arguet mũdum de peccato admisso, & de iustitia spreta vel neglecta, & de iudicio item spreto vel neglecto. Aut, quod eodem redit, illud: de peccato, de iustitia, & de iudicio: sic est accipiendum: arguet & corripiet mundum ratione peccati, & rationeiustitię, & iudicij, quòd scilicet peccatum admiserint, iustitiam verò & iudiciũ non sint amplexati. Sic enim explicatur præpositio, de, apud Nomiũ. Aut denique, quemadmodum intelligit D. Augustinus, dictum est, arguet mũdum de iustitia & de iudicio: pro eo quod est, redarguet & condemnabit mundum per iustitiam aliorum, & per iudiciũ diaboli. Si verò verbũ, arguet, posteriori modo accipiatur, sensus erit facilis, certissimis argumentis cum ipsius mundi reprehẽsione conuincet eũ de tribus illis, peccato, iustitia, & iudicio. Quod verò ad secũdam obscuritatis pertinet rationem, sciendum D. Augustinũ, similiter & Cyrillum, intelligere Dominum hic loqui de iustitia credentium, quę opponitur peccato non credentium. De hac autem iustitia accipiendum hunc locum colligit Augustinus ex subiuncta ratione, eo quòd sermone conuerso ad Apostolos dicatur: quia ad patrem vado, & iam non videbitis me: non autem, & iãm non videbitis me. Hinc enim colligit Dominum loqui de iustitia Apostolorum, quæ est per fidem, consistens in eo quod credant in eum qui iam abiit & nonvidetur. Fidelium enim beatitudo & iustitia in eo cõsistit, quòd credant in eum quem nonvident, iuxta illud: Beati qui non viderunt & crediderunt. Est ergo sensus secundum Augustinum: spiritus redarguet mundum de suo peccato, de iustitia verò fidelium credentium in me, hoc est, per illorum iustitiam comparatam cum mundi peccato redarguet mundum. Ipsa enim, inquit, fidelium comparatio, infidelium est vituperatio, nimirum quòd eam non sint imitati, sed spreuerint eam & riserint. Sic & redarguet mundũ de iudicio & condemnatione diaboli, quia per suam condemnationem confutabit mundum, & reprehensibilẽ ostendet, vt qui adhuc condemnato adhæreat, per eius condemnationem & mundi demonstrata est condemnatio, quia si Deus peccantibus angelis non pepercit, multo minus mundo parcet, sed vnà ipsum eũ suo principe condemnationi inuoluet. Ad quem ferè modum hanc tertiam partem intelligit etiam Cyrillus, vt iustitia intelligit spiritum redarguturum mundum de iustitia fidelium, quia credentes in Christum, vtvere iustificatos defendet, eósq; non iure, peccati crimine à mundo accusari ostendet, hoc est, quia redarguet mundum tanquam iniustè accusantem fideles. Verum præterquã quòd hæ interpretationes satis sint durę, etiam aliis de causis

2. Cor. 5.

Ioan. 20.

causis magis videtur secundum Chrysostomum & alios Dominum hic loqui de sua iustitia, quæ declarãda erat per ipsius ad patrem abitum. Secundum quam intelligẽtiam, vt probè abstrusum huius loci assequamur sensum, animaduertendum triplicem hanc spiritus redarguationem conuenientissimum habere ordinem, & omnia summatim continere quæ Euangelica cõprehendit prædicatio. Primum enim horum trium de quibus mundus dicitur arguendus, conuenit hominibus, secundũ Christo: tertium diabolo. Et peccato quidem coniungitur iustitia, tanquam contrarium per quod alterum contrarium erat manifestandum. Vbi enim est alicuius peccatum, ibi oportet alterius sit iustitia, per quam illius peccatum redarguatur & conuincatur. Iustitiæ verò cõiungitur iudicium, tanquam quod illi est connexum, iustitiamq; declaret. Ex iustitia enim nascitur iudicium, iudiciumq; iustitiam declarat, vnde hæc duo in scripturis frequentissimè coniunguntur. Vt ergo ostendatur mundum peccare non credendo in Christũ, oportet ostẽdere ipsius Christi iustitiam. Hęc autem declarata est per hoc quòd ad Deum abierit, atq; apud illum semper permaneat, hoc enim secundũ Chrysostomum significatur per illud: & iam non videbitis me. Quamdiu enim in carnis infirmitate mundus Christum vidit, habebat nonnihil quod suæ posset prætexere incredulitati: at cùm illũ resurrexisse, atq; in cœlos ascendisse, ibiq; semper permanere vidĕrit, nihil erat incredulis reliquũ excusationis. Neq; verò Christi in cœlos ascensus tantùm declarauit ipsum in se esse iustum, sed sic ei competere iustitiam, vt per eum solum iustificari possint homines, eo quod primus & solus ex hominibus potuerit ascendere ad Deũ, ac proinde eo ascensu cõuincuntur peccare quotquot non credunt in eum. Huiusmodi autem iustitiam Christi secutum est iudicium & condemnatio diaboli, per quam etiam illa Christi declarata est iustitia: vode bene tertio loco dicitur mundum arguendũ de iudicio, id est, condemnatione diaboli. Et omnino apparet hic subindicari veluti processum quendam iudiciarĩ à diabolo institutum contra humanum genus. Ille enim propter peccatum iure quodam vindicabat sibi in humanum genus dominiũ & mortis imperium. At Christus pro humano genere interueniens per absolutam suam iustitiam, dum mortem sibi à diabolo iniustè inflictam patientiæ tulit, promeruit pro se & omnibus eius iustitiam per fidem acceptantibus & imitantibus, sententiam vt diabolus condemnaretur, & sua potestate exueretur, ita tamen, vt qui Christo credere recusarent, maneret sub peccato, & tum ob priora sua peccata, tum maximè quia non credunt in eum per quem solũ à peccato liberari poterant, maneãt sub ira Dei & diaboli potestate. Dicit ergo Dominus: Cũ venerit paracletus, ipse per vos arguet, hoc est, reprehẽdet, vel potius certis argumentis conuincet mundum de peccato, & de iustitia quos peccato opponitur, & per oppositionem manifestat illud: & de iudicio quod effectus est iustitiæ, & per effectum illam manifestat. De peccato quidẽ illum arguet, quia non crediderunt in me, vel, vt habent melius Græca, quia non credunt in me, quomodo & Augustinũ legisse patet ex eius commentariis. Non enim significare voluit Dominus mundum arguendum propterea quòd non credidisset in illum cum in mundo carne præsens esset, sed magis quod non crederet in illũ iam in cœlos sublatum. De iustitia verò illum conuincet, propterea quia ego iam vado ad patrem, & posthac non videbitis me, ac si hac scilicet in qua modò me videtis, carnis infirmitate & contemptu. Hinc enim declarabitur mihi vnicè competere iustitiam, ac proinde peccare eos qui non credunt in me. De iudicio autem profluente ex ipsa iustitia mundum etiam conuincet, quia declarabit principem huius mundi iudicatũ esse & condemnatum, cuius condemnationis declaratione, conuincet etiã mundum & de suo peccato, & de mea iustitia. Hæc est autẽ summa Euangelicæ prædicationis, docere eos peccare qui non credunt in Christum, atq; vt id ostendatur, docere Christum esse iustitiam, ac diabolum per ipsum iam esse condemnatum, hoc est, suo in homines dominio privatum iusto quodam iudicio. Arguit autem mundum quæ doctorum prædicationem, ad quam eos accendit, potenti quadam energia auditorũ mentes per eos perstringens,

stringens, partim per suam in hominibus efficacem operationem. Per hoc enim quod spiritus post Christi ascensionem fidelibus tam mirabiliter & efficaciter datus est, quodq; per eum fideles tam mirabilia iunt operati, morbos dæmonesq; pellentes, ac totum mundum à paterna religione ad Christi fidem trahentes, declaratum est mundo ipsa re, & peccatum non credentium in Christum, & iustitia Christi, & iudicium cõdemnatoq; diaboli. Porro de peccato infidelitatis peculiariter dicit Dominus mundum arguẽdum, cùm de aliis etiam peccatis per spiritum esset arguendus, tum quòd proposito conueniebat vt de illo peccato faceret mentionem, quia spiritum dicit venturum ad testimonium de se perhibẽdum: tum quia hoc peccatum est, quo manente alia omnia detinentur, & quo discedente cætera remittuntur, vt hic doctè admonuit D. Augustinus.

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare, &c.] Cũ de subtilioribus quibusdã fidei mysteriis in his quę mox præcedunt disserere cœpisset, sciretq; Apostolos pro illo tempore non esse capaces longioris de illis sermonis, aut apertæ eorum explicationis, sermonem amputans omnium cognitionem eis promittit per aduentum promissi spiritus: quare cùm superius apertum effectum spiritus respectu mundi, nunc etiam eiusdem effectum respectu Apostolorum & omnium fidelium aperit, etiam ipsis aduentum illius vtilem fore ostendens. Adhuc multa, inquit, habeo, hoc est, possem vobis dicere, tamen ab his dicendis abstineo, non quòd eorũ communicationem vobis inuideam, sed quia non potestis ea modò portare, id est, quia nunc non estis eorum capaces. Verbum enim habeo, accipi hic debet positũ pro possum, phrasi Græca, qua verbum ἔχω, id est, habeo, cum infinitiuo constructum significat, posse. Alioqui si Christus habebat adhuc multa dicere, debuisset illa vtiq; dixisse, quare non rectè videtur Erasmus vertisse Græca, Adhuc multa habeo quę vobis dicam. Cęterum hæc (teste Augustino, hac Domini sententia abusi sunt ad erroneæ suæ doctrinæ commendationem. Cùm enim quidã, quales erant Gnostici, multa docerent à fide catholica aliena, & abominabilia, quædã quæ catholicorum

aures ferre non poterant, dicebant illa sua dogmata esse ea de quibus hic Dominus dixit: Adhuc multa habeo vobis, &c. Itaq; quò suos August. munitet contra hæreticos hac sententia abutentes, tribus sermonibus hanc tractat sententiam, docens imprimis non esse curiosè inquirendum quę sint illa quæ tunc Apostoli portare nequiuerunt, quòd id non sit in scripturis expositũ: deinde non posse conuenienter dici ea tunc non potuisse portare Apostolos quæ de inuisibilibus & altissimis rebus inueniuntur in Apostolicis literis scriptis postea, eo quòd Apostoli non minus illa tunc ferre potuissent, quia ea modò multi ferunt, qui tamen ea non intelligũt. Intelligit enim D. Aug. portare aut ferre non aliud esse, idem esse quod æquo animo nõ habere, quare putat inter ea quæ Apostoli tunc nequiuerant portare aut ferre, maximè ẽnsenda ea quæ Christus dicere potuisset Apostolis de rebus cœlestibus, eo modo quo ea dicit Angelis quę semper vident faciem patris. Ea enim sic dicta non potuissent Apostoli tunc pro mortali ferre infirmitate. Verùm cùm dicit Dominus: nõ potestis portare modò: nõ videtur sensus esse: non potestis ea ferre & tolerare: sed potius non estis eorum capaces, hoc est, non potestis ea nunc intelligere aut cum fructu audire, quia, vt Paulus dicit de quibusdam, imbecilles estis ad audiendum. Itaq; multa hæc de quib. dicit Dominus: Adhuc multa hab. &c. rectè intelliguntur ea quæ per aduentum spiritus sancti didicerũt apertè & clarè de mysteris christianæ fidei. Apertę enim & claræ explicationis horum non erant tũc capaces Apostoli. Nõ ergo multa hæc diuersa quædam erãt ab his quę hactenus ipsos Dominus prætio, sicut cum Paulus dicit Corinth. Nõ potuit vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: Tanquam parulis lac vobis potum dedi, non escam, Sapientiam autem loquimur inter perfectos: non vult significare se alia docere perfectos quàm imperfectos, cùm vtrisque eandem prædicaret fidem, sed quòd suæ prædicationis & fidei mysteria perfectius aperiret perfectioribus, sermonemq; suum aptaret audientiũ capacitati. Inter multa autem hæc quæ tunc non poterant portare Apostoli,

Heb. 5.

1. Cor. 3.

etiam illa censeri possunt, quæ ad curam pastoralem, & regimen, ac dispositionem Ecclesiæ pertinebant. Hæc enim vt per aduentū spiritus didicerunt, ita tunc non poterant intelligere, cum nec statū Ecclesiæ & regni Christi tunc possent intelligere. Potuimus tamen de his multis loquitur Dominus, quibus potuisset tunc prolixius mysteria fidei Christianæ eis apertè explicuisse, quorum perfectiorem cognitionem suis Paulus precari solitus fuit, vt patet ad Ephes. 3. & ad Colos. 1. Hæc ergo spiritum eos docturum promittit, dicens: Cùm autem venerit, &c. In qua sententia distinctiunculâ faciendam post pronomē, ille, patet ex Græcis, quia apud eos ἐκεῖνος. i. spiritus, est genitri generis, cū demōstrationum ὁ ἐκεῖνος. i. ille, sit masculini, quòd proinde non refertur ad spiritū, sed ad nomen paracleti, & est sensus: Cùm autē venerit ille de quo dixi paracletus, spiritus scilicet veritatis. Dum spiritum eum vocat, innuit ipsos per illum fore spirituales, & proinde etiā capaces eorum quæ tunc non poterāt portare: cum veritatis dicit spiritum, credibile magis facit quòd sequitur: docebit vos omnem veritatem. pro quo Græca habent, ducet vos in omnem veritatē. Sed & Augustin. testatur quosdam libros habere: deducet vos in omni veritate. Cui simile est illud Psalmi: Deduc me Do-
Psal. 53 mine in via tua, & ingrediar in veritate tua. Interpres autem sensum secutus est non verba, quando quidem non est aliud hoc loco spiritum deducere in quam veritate cum docere veritatem. Quem enim ille suo docet
Ioan. 6. afflatu, eum & facit veritatem amplecti. Omnis enim, inquit Dominus, qui audiuit & didicit à patre, venit ad me. Est autem hic sermo non de quauis veritate, vt non de arithmetica aut geometrica, sed de veritate fidei, atq; ea in cuius cognitione hominum salus consistit. Quæ lem veritatem omnem fideles spiritus, isque solus, cognoscere facit, ex parte quidem in hac vita, perfectè autem in futura.

Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, &c.] His probat Dominus spiritum docturum veritatem, & nullam falsitatem vel errorem. Dispensatorius est autem hic de spiritu sermo, similis illi quo frequenter Dominus apud Ioannem suum cum patre in omnibus

bus consensum significauit. Loquitur enim hic Dominus de spiritu tanquam nuntio aliquo & legato, cuius fides in eo cōsistit, vt nihil ex sese dicat, sed tantum quę ei commissa sunt. Vt autem hæc dispēsatiuè sunt dicta, ita nobis cauēdum est ne ex his verbis spiritū putemus minorem & inferiorē patre vel filio, sed reiectis à nostro intellectu his quæ videntur in istis verbis sonare minoritatē, omnia dignè Spiritu sancto sunt accipienda. Itaq; dicitur non locuturus à semetipso, quia ab eo à quo est patre & filio sicut habet suum esse, ita & quæcunq; loquitur & inspirat hominibus. Sic & dicitur locuturus quæ audiet, non quod quædā de nouo discet quæ prius ignorauit, sed quia est locuturus quę à patre & filio accepit enunciāda, & intelliget patrem & filium velle. Et quidē ab æterno omnia spiritus a patre & filio accepit, audiuit & intellexit, dicitur tamē per futurum tempus, auditurus, eo quòd de eo sit sermo tāquam nuntio, cuius est ea loqui quæ tum audit à mittente eū ab eo mittitur. Itaq; his locutionibus sic significatur spiritum nō esse, nec quicquam habere à seipso, vt nec etiā significetur eiusdem omnimoda vnitas & consensus cum eo à quo est, quodq; non separata quędam sit natura ab eo à quo est. Si enim esset separata natura, posset quædam loqui à semetipso, posset loqui etiam quæ non audiuit. Ex his autem de spiritu locutionibus patet iam, quòd cum similia de seipso supra Dominus dixit, nēpe quòd à semetipso non loqueretur, sed ea quæ audiret, quæq; pater ei manifestauit & dixit, non solùm illa intelligenda sunt ipsi competere secundum assumptam naturam, sed etiam secundum diuinam. Non enim ratione alicuius assumptæ naturæ hęc modo tribuuntur spiritui sancto. Cæterùm ad maiorem etiam Apostolorum consolationem pertinuit eis etiam futurorum per spiritum præcognitionem, quodque per ipsum non tantùm docti, sed & prophetæ constituerentur. Et quæ ventura, inquit, sunt annunciabit vobis. Non dicit & omnia futura sed indefinitè quæ vētura sunt, quia non omnia futura eis prænunciantur, sed quædā, quæ scilicet eos præscire vel ipsis vel etiam nobis expediebat. Donum prophetiæ multis datū in primitiua Ecclesia, patet ex priore ad Corinth.

Epistola,& ad Eph.4. De Agabo & aliis prophetis futura prædicentibus legitur in Actis. Petrus fatum sibi incumbens præuidit,2.epist.cap. 1. Paulus præuidit futura,Actuum 20.1.Tim.4.2. Tim.3.Act. 21.Apocalypsis Ioannis tota est futurorum vaticinium. Ne tamen conqueramur in nobis non impleri quod hic dicit Dominus:& quæ ventura sunt annunciabit vobis: etiam nobis quæ ventura sunt annunciat, dum æternorum bonorum fidem & spem nobis suggerit, quæ nequaquam sine ipso credere & sperare possemus.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit.] Hic iam tertius insinuatur fructus ex aduentu spiritus proueniens,& ad ipsum Christū pertinēs. Primus enim pertinuit ad mundum,secūdus ad Apostolos,tertius ad Christum. Ille,inquit,me clarificabit,hoc est,clarum & gloriosum efficiet. Et quidē variis modis spiritus Christum clarum fecit,nimirū testimonium de ipso in mentibus Apostolorum perhibendo,& per eos longe lateq; nomen Christi prædicando, ac opera admiranda in eis, & per eos ad gloriam Christi faciendo, atque ex omnibus gentibus pleroſque ad fidem Christi trahendo: verum peculiaris quædam ratio & modus clarificandi hic designatur, cum subditur: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. De meo accipiet, hoc est, ex mea scientia & sensu accipiet,& à me audiet quod vobis annunciabit. Hinc ergo Christus erat clarificandus, quòd quæ spiritus erat locuturus,à filio erat accepturus,& tāquam spiritus Christi erat suggesturus. Per hoc enim quòd spiritus omnem docens veritatem discipulos, declarauit se omnia nosse,etiam CHRISTI declarauit omni scientiam,ex qua accepit quæcunque nouit. Vnde colligere licet quàm opportunè & necessariò Dominus nunc dicit hac ratione spiritum se clarificaturum. Quia enim dixit spiritum docturum eos omnem veritatem quam ipse eos non docuerat, videri posset spiritum in scientia & potentia perfectiorem esse ipso: & Christi proinde gloriam obscuraturum: huic ergo occurrens cogitationi dicit tantum abesse vt per illum sit obscurandus, vt etiam sit glorificandus, idque ob id quia spiritus accepturus esset ab ipso quæcunq; docturus esset fide-

les. Sic autē intelligendū est quod dicitur: De meo accipietquomodo illud quod mox est dictum, quæcunque audiet,ab eo scilicet qui mittet eum loquetur. Cęterum pronomen,meum,hic non accipitur possessiuè, eo scilicet modo quo dicimus:hic ager est meus:sed essentialiter,quomodo dicimus,anima mea, essentia mea,natura mea. Hoc enim modo Dominus dicit, de meo, hoc est, de essentia mea,aut quod proposito cōuenit,de scientia mea. Dicit autem potius de meo quàm de me vel à me, ne sibi vindicaret primam spiritus originem quæ conuenit patri, à quo filius habet quod ab ipso accipiat & spiritus quæcunq; habet. Neq; enim cōueniebat vt nūc diceret à me accipiet:cùm toties in superioribus dixerit se non loqui à seipso. Verba,inquit,quę ego lōquor vobis,à meipso non loquor. Certè ob iam dictam causam Dominum dixisse,de meo accipiet potius quàm de me, patet ex eo quod subiicit ad declarationem huius. Ne enim illud videretur contrarium illi quod toties dixit se non loqui à seipso,declarans quomodo verum sit:de meo accipiet: Omnia, inquit, quæcunque habet pater, mea sunt,propterea dixi,&c. significans patri competere primò spiritus originem,per illum verò eandem competere sibi, quòd ab eo accepisset quæcūq; ille haberet. Ex hoc ergo loco dupliciter probatur efficacissimè spiritū etiā procedere essentialiter à filio vel ex filio nempe tum ex eo quod dicit dominus: De meo accipiet tum ex illo quod dicit: Omnia quæcunque habet pater, mea sunt. Vnde & Cyrillus hoc loco apertè idem confitetur sic scribens: Alio quodam modo seipsum eis pollicetur veritatis spiritum, id est, suum missurus. Non enim est alienus à substantia filij spiritus, sed ex ea naturaliter procedit, &c. Et Dydimus item tractans doctè & prolixè hunc locum lib.2. de spiritu sancto sic habet: De spiritu veritatis qui à patre mittatur & sit paracletus saluator, qui & veritas, ait, non enim loquetur à semetipso, hoc est, non sine me,& sine meo & patris arbitrio, quia inseparabilis est à mea & patris voluntate, quia non ex se est,sed ex patre & me est: hoc enim ipsum quod subsistit & loquitur,à patre & me illi est. Idē post aliqua interposita tractans eam sententiā: Omnia quæ habet pa-

ter, mea sunt: duo docet, nempe quomodo intelligēdum hic sit patrem habere aliqua, & quomodo ex ea sententia nō sequatur filium etiam habere paternitatem, & esse patrem, quemadmodum hinc colligebant Sabelliani. Deinde, inquit, interpretationem inferēs quomodo dixisset, de meo accipiet, protinus subiecit: Omnia quæ habet pater, &c. quodammodo loquens: Licet à patre procedat spiritus veritatis, & det Deus spiritum sanctū pertentibus se, tamen quia omnia quæ habet pater mea sunt, & ipse spiritus patris meus est de meo accipiet. Cauue autem cum ista dicuntur, ne in graue labaris intelligentiæ vitiū, & putes rem aliquam esse & possessionem quæ à patre habeatur ac filio. Verùm quæ habet pater iuxta substantiam, id est, æternitatem, immutabilitatem, incorruptionem, immutabilem bonitatem de se & in se subsistentem, hæc eadem habet & filius. Et quæcunque sunt filij, hæc eadem & pater habet. Procul hinc absint Dialecticorum tendiculæ, & sophismata à veritate pellantur, quæ occasionem impietatis ex pia prædicatione capientia dicent: Ergo & pater, est filius, & filius pater. Si enim dixisset, omnia quæcunque habet Deus, mea sunt, haberet impietas occasionem confingendi, & vetisimile videretur esse mendacium. Cùm verò dixerit: omnia quæ habet pater mea sunt: patris nomine se filium declarauit, paternitatem qui filius erat non vsurpauit.

DOMINICA V. POST PASCHA.

EVANGELIVM.

Ioan. 16. IN illo tempore: dixit Iesus discipulis suis: *Amen amen dico vobis si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo: petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora, cum iam non in proverbiis loquar vobis sed palam de patre meo annunciabo vobis. In illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis. Ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia à Deo exiui. Exiui à patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palam loqueris & proverbium nullum dicis. Nunc scimus,*

nisi, quia scis omnia, & non est opus tibi, vt quis te interroget, in hoc credimus, quia à Deo existi.

PEruenimus ad finem prope quadraginta dierū, quibus Dominus se à sua resurrectione discipulis viuū in terris manifestauit. Vtilem nunc ergo doctrinam Ecclesia demonstrat, qua instruimur, quibus rebus pascha hæc gaudia etiam præterlapso paschatis tempore, retinere queamus. Hoc autem oratione posse confici, præsens tradit Euangelium. Petite inquit, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum, atq; continuum. Deinde, quoniam ex longæua consuetudine factum est, ab annis nempe centenis supra millenos, quum Mamercus in Gallijs, & Gregorius centum annis postea, in Italia, litanias, id est supplicationes instituisset: ille, ob frequentes terræ motus, & ferarum intolerabiles ac horrendas incursiones, à quibus ne in ciuitatibus quidem fuerunt homines tuti: iste verò propter pestilentias contagiosissimas Italiam deuastantes. A quibus tandem in vniuersam Ecclesiam mos inoleuit, vt hebdomada hęc nomen haberet à precibus & cruce, totaq; feria processionibus & orationibus sit destinata. Hodierno itaque die, quid quæso aptius, & magis ad rem potuisset proponi, quàm Domini de orando doctrina, in qua oratio simul & præcipitur simul, & amplissima promissione munitur, quo perspicuum foret, quali fundamento nisa mater Ecclesia, suas instituerit processiones & preces. Quibus si vaquam in Ecclesia Dei, ob ferarum immanitatem opus habemus, iisdem quantopere deplorato hoc nostro tempore, indigeamus, quis adeo cæcutiens est, vt nō videat? Quādo iupi rapaces, & immanes vulpeculæ demoliuntur vineam Domini, & transcendunt ciuitatum muros, vt pertubent & dissipent habitantes in eis. Quando itē quod Iudæis comminatur Dominus, nobis aperte euenire: Mittam, inquit, vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos. Quando vnquam maiore cum sæuitia & totius Ecclesiæ detrimento, multarumq; animarum interitu, lupi, vulpes & basiliſci Catholicorum cœtibus sese immiscuerunt, quam infelicissimo hoc nostro æuo? Si igitur sancti ecclesiæ

Cant. 2. Nehe. 4. Hier. 8. & 12. Ezech. 5. 34.

patres ad preces confugiendum esse rati sunt, quando corporibus tantum detrimenti quidpiã inferebatur, ane nunc multo magis spiritu alia precum remedia adhibenda nobis erunt, quãdo lupi & sæuissimæ feræ, impia & hæretica doctrina hominum animabus necem sempiternam adferunt? Quo item tempore, vti lupus ouem a grege secernere, accipiter ab agmine volantiũ columbam separare tentat, ita & dæmon perspicies sibi aduersus omnes, satis non esse virium, circumuenire singulorum solitudinem quærit, vt ex communi omnium societate, & ex ouili Christi euocatos facilius in nassam pertrahat, naturam imitatus hyenæ, quæ animal ferum atque crudele, sermonem humanum accuratissimè imitatur, pastorumq; nomina addiscit, vt eos foris ex stabulis euocatos, dilanier. Cuius quidem animalis natura, non minus quàm apri, lupi, aut vulpeculæ, hæreticorum nobis conditionẽ describit. Præterquam enim inaudita astutia, euocare pastores à gregibus nouit, instabilitatem etiã hæreticorũ designat. Hierogly phici siquidẽ, instabilem quempiam, neq; eodem persistentem statu, volentes designare, hyænam depingunt, hæc enim, nonnunquam mas est, nonnũquam fœmina. Quondam ob terræ motum, quo ciuitatum turres vel mœnia concutiebantur, oratione opus fuit, lamne grauiore de causa diligentissimè orandum erit, quãdo non mœnia, non turres, sed nationes amplissimæ, regna, & florentissima imperia hæresum, & peregrinarum sententiarum doctrina, vsq; adeo commouentur & concutiuntur, vt tam exterorum bellorum, quàm internorum & domesticorum motuum, nullus sit finis, funestæq; seditiones tam diu perdurent, vt multa hominum millia miserrimè pereant dissidiis & diuersitate religionum? Orandus est Deus, vt nostri tandem misereatur, & pacis vnitatisque spiritum nobis clementer eõcedat. Is autem, quonam modo impetrare à Deo patre debeat, hodiernum Euangelium subsequentibus verbis, aperte demonstrat.

Cyp. lib. 1. epist. 1.

Amen amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine, &c.] Sententia, quæ immediatè istud Euangelium decimo sexto capite Ioannis præcedit, nempe: *In illo die*

die me non interrogabitis quicquam, ad consolationem suorum Apostolorum promisit eis omnium post suum ascensum cognitionem: nunc verò etiam omnium quæ petent impetrationem, quod iam quatto in sermone apud Ioannem eis promittit, idẽtidem in narratione malorum quæ Apostolis erant obuentura, eadem inculcãs confirmandorum animorum gratia. Solita autem sua assueratione hanc promissionem suam cõfirmat, quòd vt maximè hęc promissio faciat ad fidelium consolationem, ita ægrè diffidentia humanæ mentis induci possit vt ei credat. Cæterum quoniam hæc Domini promissio videri posset in multis inefficax esse & inanis, eo quòd plerique multa petant patrem in nomine filij, nec tamen impetrent, primùm obseruãdum, quibus istud ille dictũ, Apostolis nimirum, & in illis his qui illis essent similes. De Apostolis autẽ postea dicit Dominus ideo eos à patre facilè quæ petẽt impetraturos, quia pater eos amaret, eo quòd ipsi filiũ amarent, & crederent in eum. Qui ergo hac in parte similes sunt Apostolis, ad eos hęc perfinet promissio, non autem ad eos qui Christum auersantur. Vnde propheta: *Voluntatem, inquit, timentiũ se faciet, & deprecationẽ eorum exaudiet.* Secundò obseruandum, quòd dicatur, *si petieritis.* Petere autem est desiderare, & desiderium actus est non oris, sed animi & voluntatis. Non orant ergo, nec petunt patrem qui ore tantùm preces pronunciant, & non etiam ex animo id quod ore petunt, desiderant, suum desiderium eleuatione animi in Deum & ardore declarando. Quales similes sunt his de quibus dicit Dominus apud Isaiam: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum lõgè est a me.* Obseruandum tertiò, quòd dicatur: *si petieritis in nomine meo.* Est autem petere in nomine Christi, vt Ambros. ait, si est, petere cum inuocatione nominis Christi, hoc est, potentiæ & meritorum eius, hoc est, postulare aliquid sibi concedi per ipsius potentiam aut propter ipsius merita. Et cùm Dominus dicit: *Si quid petieritis in nomine meo hoc faciam*, quod bis dixit in præcedenti apud Ioannem sermone, petere in nomine Christi, videtur esse postulare aliquid inuocando potentiã & virtutem ipsius, quia sequitur, *hoc faciam*: vt sic dictum sit:

Mat. 15. Isaiæ 29.

Psal. 53. 144.

si petieritis in nomine meo, quomodo prophetæ petiit
Psal. 53. in nomine Dei, dicens: Deus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua iudica me. Cùm verò dicit: si petieritis patrem in nomine meo dabit vobis, quod itidē bis dicit in hoc sermone, petere in nomine Christi videtur esse, postulare aliquid propter ipsius merita, vt hoc sit petere in nomine Christi, cùm dicimus cum prophetâ:
Psal. 131 Propter David seruum tuum, non auertas faciem Chri-
Psal. 83. sti tui. &: Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui. Quibus locis sancti patres intelligunt nos postulare, vt propter Christum & intuitu meritorum eius, pater nos exaudiat. quomodo & sanctus ille Franciscus, cùm sacra Eucharistia in tremendis illis mysteriis ministrabatur, dicere solitus erat: Domine Deus cœlestis pater, respice in hanc gloriosam Christi tui faciē & miserere mei. Sic enim qui regem aliquid orat in nomine alterius, precatur vt illius intuitu & propter illum sibi gratum, concedat quod petitur. Sciendum tamen quòd Ecclesia, nonum hoc loco precandi modum edocta nempe in nomine Christi, in suis ad patrem precationibus adiungit in fine: per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM filium tuum. Non dicit: propter Dominum, nostrum, sed per Dominum nostrum, idq; ob id rectè, ne intelligeremus Christum in his quæ à patre accipimus tantum concurrere tanquam eum qui meruit, sed etiam tanquam eum per quem omnia patet præstat, sicut per eum fecit & secula, & omnia quæ sunt in mundo. Itaq; cùm certum satis sit ex hoc loco modū illum precandi sumpsisse Ecclesiam: patet etiam quid secundum Ecclesiæ intellectum sit, petere patrē in nomine Christi, nimirū postulare aliquid per illius merita, & per illius virtutem atq; potētiam patri æqualem, aut, vt vno dicam verbo, postulare aliquid per illum tanquam mediatorē inter Deum & homines. Mediator enim non est, nisi quatenus Deus simul & homo. Plus est ergo postulare per Christum, quā propter Christum, cùm propter, includatur in præpositione, per, nō autem econtra. Sed vt ad propositū redeamus, ideo aliqui Deum inuocantes nō exaudiuntur, quia non petūt in nomine Christi: quales sunt non solum Turcæ & Iudæi, sed eriā qui in suis

suis precationibus nituntur propriis meritis, & non potissimum atq; adeo solùm meritis Christi. Non tamē precāt hac in parte Ecclesia, dum propter sanctorū merita precatur exaudiri, quia illorū merita scit esse nulla, nisi propter merita Christi, scitq; eorū merita, Christi esse merita cuius sunt membra: proinde etiam tunc orat in nomine Christi, cùm propter sanctorum merita precatur exaudiri, & quæ propter illorum merita precatur, orat sibi concedi per Christum, declarans se Christi meritis potissimum niti, & sanctorum merita non esse efficacia nisi per Christum. Dicitur enim in canone: quorū meritis precibusq; concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio, per Christum Dominum nostrum. Quartò etiam illud dicendum pro absoluta huius promissionis veritate ostendenda, in hac promissione subaudiēdum aliquid quod in omnibus similibus sententiis esse intelligēdum, nempe si rectè & debitè petetis aliquid in nomine meo: sicut in sentētiis quibus aliquid promittitur facientibus quippiam, semper intelligitur, si modo id rectè fecerint. Vnde dicitur Sapientiæ 6. Sap. 6. 20. Qui custodierint iustitiam iustè, iustificabuntur: ita in sententiis quibus promittitur orantibus exaudition intelligendum, si rectè petant. Hanc enim conditio- Iacob. 4.
nem intelligendam insinuauit Iacobus, dicens: Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis. Iam non rectè petunt qui non pro magnitudine eius quem petunt, & rei quam petunt, ardenter, instanter & reuerenter petunt, quique non cum firma petunt fiducia. Non rectè petunt in nomine Christi, qui indigna petunt nomine Christi, qui præsentia bona aut malorum præsentium depulsionem precantur absolutè, & non sub conditione ordinis ad Dei gloriam aut propriam salutem, qui denique reliquum in Christum fidem non habent. Cùm enim Christus saluator mundi sit à Deo datus, non rectè à Deo in illius petitur nomine, quicquid contra rationem petitur salutis. Quemcunque nemo innocare possit nomen Domini, Rom. 10.
recte Paulo, nisi credat in illum, nemo etiam rectè potest petere in nomine Domini, nisi rectè credat in illum. Immò secundum Augustinum vtrique horum, qui scilicet aut petunt aliquid contra vel præter rationem salutis,

Iutis, aut nõ rectam habent in CHRISTVM fidem; absoluto non petunt in nomine Christi. Tractatu enim 73. circa illud: Quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam. Quodcunque, inquit, petimus aduersus vtilitatem salutis, non petimus in nomine saluatoris. Tractatu verò 102. circa sententiam præsentis loci: Qui, inquit, hoc sentit de Christo, quod non est de vnico Dei filio sentiendum, non petit in eius nomine, etiam si non taceat in eo literis ac syllabis Christum, quoniã in eius nomine petit, quem cogitat cùm petit. Idem Augustinus notat, quòd cùm dicitur: si quid petieritis: rectè intelligi possit, vt hoc quod ait, si quid, non quodlibet intelligatur, sed aliquid quod in beatæ vitæ comparatione non sit nihil. quæ tamen annotatio parum conuenit Græcæ lectioni, quæ non habet hoc loco, si quid petieritis: sed quæcũque petieritis. Iam & illud facit pro absolutã huius promissionis veritate ostẽdenda, quod Diuus Augustinus admonet illis verbis, dabit vobis, ea significata beneficia, quę ad eos qui petunt propriè pertinent. Nam alioquĩ sancti pro aliis orantes, siue amicis, siue inimicis, non semper exaudiuntur, quia illi indigni sunt qui accipiant quod eis sancti precantur. Exaudiuntur autem omnes sancti pro seipsis orantes, dum rectè quid sibi petunt in nomine Christi. Non est tamen verisimile Dominum hac sententia tantum voluisse significare eas iustorum exaudiendas preces, quibus sibiipsis aliquid precarentur, quia hanc generalẽ sententiam supra subiecit in confirmationem eius quod dixit, credentes in se etiam facturos ea opera quæ ipse faciebat, intelligẽs ad literã opera miraculorum, quæ vtiq; non sunt beneficia pertinentia ad eos qui ea operantur, sed potius ad alios pro quibus ea petunt à Deo. Proinde per illud quod ait, dabit vobis, simpliciter videtur significari Deum exauditurum eorum preces, siue quibus bene precantur sibi, siue quibus bene precantur aliis, quia & alicui pro alio licet roganti dicitur dare quod petit, dum precibus illius exaudit, & illius nomine alteri dat quod petitur. Quod autem iusti pro aliis orantes non semper illis impetrant quæ petunt, id nequaquam prouenit ex orationis inefficacia, sed ex incapacitate & indignitate eorum pro

pro quibus precantur. Quantum ergo est ex parte sua, Deus qui eorum orationem gratam habet & acceptat, paratúsque est, quantum in se est, dare quæ rogatur, dat sanctis quæ precantur pro aliis. Et alioqui eorum pro aliis oratio, ipsis est salutaris & efficax. Redit enim fructus orationis ipsorum in sinum ipsorum. Vnde Apostolus mandans, vt ingressi domum pacem illi precarentur: Et si, inquit, fuerit ibi filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur. Quibus verbis satis docet quomodo Deus iustorũ pro aliis preces semper exaudiat, & det eis quæ precãtur. Iam & alia ratione declarari potest nihil obstare huius promissionis veritati, quòd sancti pro aliis orantes nõ semper illis quæ petunt impetrẽt. Nã si sancti rectè orent, quæ aliis petunt nõ eis petũt concedi, nisi sub implicita vel explicita conditione, quatenus scilicet eorũ saluti expedit, aut diuinæ iustitiæ permittit. Magis obseruandũ aliud, quod etiam circa hęc verba, dabit vobis, admonet Diuus Augustinus: Accipit, inquit, quando debet accipere. Quædam enim non negantur, sed vt congruo tempore differũtur. Dat ergo semper iustis Deus quæ salubriter petunt, quamuis non semper det quando dari vellẽt. Ea hęc quidem dicta sufficiant, pro ostendenda generalis huius promissionis aut similium veritate. *Matt. 10*

Ipsum modo non petistis quicquam in nomine meo.] Ex his quæ circa præcedentem sententiam dixit Diuus Augustinus, notat hanc sententiam dupliciter posse intelligi. Primò, vt ideo dicãtur non petisse quicquam in nomine Christi, quia nomen illud hactenus non cognouerãt, sicut cognoscendũ erat. Altero modo, quia in comparatione rei quam petere debuissent, pro nihilo habendum erat quod petierant. Alioqui enim multa videntur eos petisse Apostoli etiam in nomine Christi, quia in eius nomine dæmonia ejecerant, & morbos curauerãt. Simplicius tamen fuerit intelligere Dominũ significasse absolutè Apostolos nihil eatenus petiisse patrem in nomine Christi. Etsi enim spiritus immundos ejecerant, & morbos curauerant in nomine Christi, non tamen in nomine Christi tunc patrem rogabant, quem hoc nouo petendi modo precari necdum edocti erant. Docuit enim

enim prius suos orare patrem, sed tunc eis non tradidit hunc orandi modum, qui tradendus ante illud tempus non fuerat, quando futurum mox erat vt nomen Christi, eiusque apud patrem vis fidelibus iam manifestaretur.

Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.] Diuus Augustinus illud: vt gaudium vestrum sit plenum: refert ad verbum, petite, & coniunctionem, vt, accipit exposuitque, vt significetur hac parte quid velit Dominus nobis esse petendum, & sit sensus: Hoc petite in nomine meo, vt gaudium vestrum sit plenum, hoc est, petite gaudij vestri plenitudinem, quæ contingat in vita futura. Hoc enim est quod ante omnia & maximè est petendum in nomine Christi, & propter quod omnia alia sunt petenda, quæ rectè in illius petuntur nomine. Verùm secundum alios rectius ea pars refertur ad verbum, accipietis, vt coniunctio, vt, finem denotet, & sit sensus: Petite deinceps patrē in nomine meo, & accipietis ab eo quod sic petitis, idq; propterea, vt gaudium illud vestrum quo in me & de me gaudere cœpistis, sit plenum & perfectum, dum per me omnium vestrorum vororum efficiemini compotes, dumque intelligetis omnipotentiam nominis mei, & proinde non vanam esse fidem & spem quam in me collocastis. Secundum hunc ergo intellectū plenitudo gaudij, de qua hic est sermo, non solum pertinet ad vitam futuram, in qua perfectissima erit gaudij plenitudo, quando tantum erit gaudium vt ei amplius non sit addendum: sed etiam & maximè ad vitam præsentem, in qua fidelium in Christo gaudium impletur & perficitur, dum per illum se vident à patre impetrare quæcunque petunt, intelliguntque suæ fidei veritatem atque spei certitudinem. Impletur & alia ratione gaudium fidelium in Christo, dum accipiunt quæ in illius petunt nomine, nimirum quia accipientes spiritum sanctum & eius dona, (hęc enim maximè in illius sunt petenda nomine) fortes efficiuntur contra vitia, & à conscientiæ accusatione liberantur, atque ob id spirituali replentur gaudio, quod fructus est spiritus. Hanc rationem indicat D. Cyrillus sic scribens: Orandum igitur est in nomine saluatoris, si exaudiri à patre volumus, vt accipientes

cipientes quæ petietimus, spiritali gratia repleti, & prudentiores per spiritum facti, aduersus sordidas pessimus voluptates militare, & ita amore virtutis in dies ardentiores & fortiores ad opera sanctificationis facti, tertio bonoris spe gaudeamus, & mœstitia conscientiæ criminum depulsa, gaudio Christi mentes nostras repleamus. Subiicit autem idē de nouo isto orationis modo, quod & ipsum hic annotare visum est. Hic, inquit, orandi modus per sese omnino fuit ignotus, cōstituitur autem modo à Christo, quando emendationis tēpora effulserunt, & omne nobis bonū per ipsum absolutè concessum est. Nam sicut nihil à lege consummatum fuit, sicut iustitia eius imperfecta: sic & orandi modus mancus in ea inueniebatur. Hæc ille explicans his verbis illud: Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo.

Hæc in proverbiis locutus sum vobis: Venit hora cum.] Quemadmodum in superiori apud Ioannem sermone, quem Dominus in domo habuit sedendo, cùm iam finem illi imponere vellet, sermonis obscuritatem mitigauit, promittendo eis omnium postea per spiritum sanctum cognitionem: ita & iam finem facturus huius sermonis, tollit ab Apostolis occasionem tristitiæ quam ex sermone poterant obscuritate concipere, significans præsenti tempori competere hanc obscuritatem, instare autem tempus quo omnia clarius sit illos docturus, maximè de patre, cuius ignorantia singulariter torquebat Apostolos, vt patuit in superioribus. Itaque cum in his quæ nunc præcedunt Apostolos Dominus consolatus sit, nouissimè patris promittendo ipsum omnia eis quæ in suo petierint nomine, concessurum: nunc alia ratione etiam de patris nomine eos cōsolatur, promittendo eis illius per Filium, sicut & ea quæ Græcis est παροιμία, non accipi hoc loco proprie, sicut nec Ioānis decimo, cùm dicitur: Hoc prouerbiū locutus est Iesus: quemadmodū ibi est annotatum, sed & à Diuo Basilio scribente in initiū Prouerbiorum, vbi sic habet Iano interprete: Prouerbium vox, apud Græcos parœmia, extra scripturæ vsum de sermonibus vulgatioribus vsurpatur, & de iis quę in vita plerunque dicuntur, amos enim apud externos via

nomi

nominatur. Vnde etiam parœmiam diffiniunt, verbum ad viam vulgi vsu tritum, & quod à paucis ad plura similia transfumi potest. Apud nos autẽ, parœmia est sermo vtilis: cum moderata obscuritate editus, multã quidem per se vtilitatem complectens, multam verò etiam in profundo intelligentiam occultans. Vnde etiam Dominus: Hęc, inquit, in parœmiis vobis dixi: venit tempus quando non amplius in parœmiis, sed liberè loquar vobis: tanquã parœmiacus sermo libetum & apertum dicendi modum non habet, sed obliquè suam sententiam actionibus manifestet. Hęc ille. Sic & Cyrillus: Prouerbium, inquit, modò occultiorem & adumbratũ sermonem appellauit, qui cum obscuritate tegatur, non facilè ab audientibus capitur. Sensus ergo est: Hæc pro vestro captu & temporis exigentia locutus nũc sum vobis obscurius, ac veluti per prouerbia, at ne vos contristet sermonis obscuritas, venit hora, id est, instat tempus, cum iam, id est, amplius non loquar vobis in prouerbiis, hoc est, obscuro sermone, sed palam, libere & manifestè annunciabo vobis de patre meo, cuius videndi & cognoscendi maximo tenemini desiderio. Hãc autem promissionem quanquam perfectissimè Christus in sanctis adimpleat in futura vita, in qua gloriam patris dat cõspicere facie, ad faciem, & euacuata ea cognitione quæ est ex parte, & per speculum in ænigmate, succedit perfecta & clara Dei cognitio: oportet tamen hoc loco intelligere à Christo impletam in præsenti seculo, partim quidem post resurrectionem, cùm aperiebat illis sensum vt intelligerent scripturas, & per quadraginta dies apparebat eis, & docebat de regno Dei, vt dicitur Actuum primo. perfectius verò post missionem spiritus sancti, per quem eos Christus perfectiori & clariori donauit patris rerũmque diuinarum cognitione. Sequitur etiam: In illo die in nomine meo petetis. Cœperunt autẽ Apostoli petere patrem in nomine Christi, post eius ascensionem & spiritus missionem. Dicit ergo: In illo die, id est, illo tempore, quo à me per spiritum meum perfectionem accipietis, tũc in nomine meo petetis patrem quòd modò non facitis, quod me non satis

cognoscatis nec patrem meum. Tunc etiam in nomine meo petetis, quia spiritus vobis suggeret orãdi modum & fiduciam.

Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis. Ipse enim pater amat vos, quia, &c.] Tertia iam ratione eos consolatur, occasione accepta à patre, estque hæc ratio omnium efficacissima. Quid enim magis consolari poterat Apostolos, quàm quòd intelligerent se adeo gratos patri, vt quasi intercessore opus apud illum non haberent, ille vltro & sponte omnia rogantibus præbiturus esset? Nõ negat autem se rogaturum patrem de, id est, pro Apostolis & fidelibus. Id enim contrarium esset multis scripturis, atq; ei quod in superiori dixit sermone: Ego rogabo patrem, & alium paracletũ dabit vobis: sed dicit se modo nõ dicere quod prius dixit: ego rogabo patrẽ: significans non opus esse vt sic dicat, quasi pater parum erga eos propẽsus esset, & hac de causa intercessore apud eũ indigerent quemadmodum in hominibus, tum demum intercessorem aliquem quærimus apud eum à quo quid obtinere contendimus, cùm illum aut nõbis offensum aut parum amicum putamus. Orat autẽ Christus etiam pro nobis in cęlis, nõ eo modo, quo in terris prostratus pro nobis, sed potissimum quia suum cor pus suaque vulnera pro nobis repræsentat in conspectu Dei, iuxta illud Diui Pauli in epistola ad Heb. Introiuit ipsum cælũ vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. *Hebr. 9.*
Item & Apostolus Ioannes dum postquã dixit: Aduocatum habemus in cęlis apud Deum patrem, Dominũ nostrum Iesum Christum: subiicit: & ipse est propitiatio *1. Ioan. 2*
pro peccatis nostris: significat ideo eum esse aduocatũ, quia ipse est ipsa propitiatio. Propitiatio autem est ratione suæ pro nobis incarnationis, & passionis, quam conspectui Dei semper exhibet iam in cælos translatus. Atque hanc eius pro nobis intercessionem necessariam nobis esse satis significat, dum docet in nomine suo petendum, atque patrem amare fideles non alia ratione, quàm quia ipsi filium amarent, & crederent in eum. Misericors ergo modo & intercessionis suæ necessitatem significans, & tamen ab ea aperte prædicanda abstinet ad maiorem suorum consolationem, & benignitatis paternę de-

clarationem. Quanquam, inquit verè dicere possem, rt aliquãdo dixi, quòd ego patrẽ pro vobis sum rogaturus, id tamen modò non dico, ne hinc putetis patrem vobis parum bene affectum. Ipse enim pater vltro & sponte amat vos, & proinde non poterit nõ vltro vobis tanquã amicis indulgere quæ petitis eum. Amat autẽ vos propter me quem vnicè amat, nimirum quia vos me amastis, & credidistis quòd à Deo exiuerim. Cæterùm quod dicit: pater amat vos, quia vos me amastis: nõ sic est accipiendum, quasi nostra dilectione præuenamus absolutè omnem patris erga nos dilectionem, eamq; promereamur primi. Id enim Pelagianæ est hæresis, sed quòd dilectio nostra rata facit patris erga nos dilectionem, quodque nostram dilectionem sequatur dilectio patris, quoad aliqua noua dilectionis indicia, vtpote ad exaudiendum semper nostras omnes preces. Aut dicit: pater amat vos quia vos me amastis, nimirum quia amat in vobis id quod in vobis fecit, qui nihil in homine amare potest nisi quod suum est. Sic enim hunc locum doctè tractat D. Augustinus: Amorẽ, inquit, nostrum pium quo colimus Deum, fecit Deus, & vidit quia bonum est, ideo quippe amauit ipse quod fecit. Sed in nobis nõ faceret quod amaret, nisi antequã id faceret, nos amaret. Obseruandum autem Dominum asserere patrẽ diligere nos non tantum ob fidem, sed etiam ob dilectionẽ conjunctã eos qui solam fidem sine charitate asserunt iustificare aut ad salutem sufficere. Cùm autem dixisset, credidistis, quia à Deo exiui: vt hanc ipsorum fidem confirmaret, & rectam approbaret, atq; ex ea fide eos etiam procueheret ad fidem eius quod toties affirmauit, se ire ad patrem, subiecit: Exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. In qua sententia, iterum, denotat alterum iter, non alteram mundi relictionem. Veluti, primum enim iter fuit exisse à patre, & venisse in mundum: secundum, exisse è mundo, & iuisse ad patrem, vnde in duplici hoc itinere ipsorum terminorum ordo est inuersus, quia primum incepit à patre, & terminabatur in mundum: secundum incepit à mundo, & terminabatur ad patrem, quare patet quòd sicut illi: veni in mundum: respõdet, relinquo mundum: ita

ita illi: exiui à patre: respondet, vado ad patrem: proinde illud, Exiui à patre: intelligendum est potissimum de exitu filij temporali, quo scilicet dicitur missus à patre ratione incarnationis, non autẽ de exitu eius æterno, quo ratione æternæ generationis exiuit filius à patre, quamquam huiusmodi exitus etiam hic satis includatur, quia in eo quod dicitur, ipsum cum veniret per assumptionẽ humanitatis in mundum, exiuisse à patre, includitur ipsum prius fuisse apud patrem, apud quem cum semper resederit, nec eum vnquam reliquerit, & eo ipso sit immortalis, non potest ab eo intelligi temporaliter exisse, nisi naturalem tuam ab eo accepisset originem, quemadmodum patet ex his quæ prius fuit dicta. 53

Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium Discipuli cùm prius abiecto animo obmutuissent, & inter sese anxiè disquisissent quid esset quod nobis dicere: modicum & non videbitis me, &c. nunc reliquis postremis illis Christi verbis, tum quòd illis aperiebatur iam significasse quomodo dixisset: videbitis & nõ videbitis, & vado patrem: tum quòd audirent bona nobis promitti, atque inter ea potissimum quòd pater nos amaret: audirent etiam se commendari ob receptam in Dominum fidem, prorumpunt in verba, sibique persuadent id, de quo prius inter se conquirebant iam satis intellexisse, cum tamen multum illis deesset veræ intelligentiæ. Dicunt ergo: Ecce quod in posterum te palam dicturum, & prouerbium facturum, id iam nunc præstas. Cùm enim prius dicere & ænigmatice: modicum & non videbitis me, &c. nunc manifestè loqueris, & nihil obtegis. Etiam dicta, Nunc ipsa re edocti scimus te scire omnia, etiam hominum arcanas cogitationes, nec opus est tibi vt quis te interroget de his quæ dicere à te voluerit, eò quòd absque omni facta interrogatione scias quæ à te quis dicere cupiat, præueniensq; dissoluas quod quæritur. Nam conquirentibus nobis, quid esset prouerbium illud: Modicum & non videbitis me, & cæteram non interrogatus interpretatus es ea, & quiescere fecisti mentem nostram, per hoc iam firmius certiusque credimus quod semper de te credimus, exisse te à Deo. Dei enim solius est, corda & cogitationes nosse mortalium. Ex qua

explanatione patet, Apostolos postquam dixissent, scis omnia, bene subiunxisse: & non est opus vbi vt quis te interroget: cùm videri posset dicendum, & non est opus tibi vt aliquem interroges. Ad hoc enim dicunt eum scire omnia, quia arcana hominũ nouit, & priusquam interrogaretur, interrogatoris nouit voluntatem, cùm nobis sit opus interrogari ab his quos docere aliquid voluimus, vt inquisitiones eorum quibus est respondendum nouerimus. Tibi ergo, inquiunt, non est opus vt quis te interroget ad hoc vt scias quid ille scire desideret, sicut hoc est opus aliis doctoribus. Tibi enim non est opus, sicut nobis est opus vt te interrogemus, quo quæ ignoramus & scamus à te qui omnia nosti.

DOMINICA POST ASCENSIONEM DOMINI.

EVANGELIVM.

Ioan. 15. & 16. *IN illo tẽpore, dixit Iesus discipulis suis. Cùm venerit paracletus, quem ego mittã vobis à patre spiritũ veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Hæc locutus sum vobis vt non scandalizemini. Abs|q; synagogis facient vos. Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequiũ se præstare Deo: et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem neque me. Sed hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.*

DVo dominũ ascendentẽ dedisse mãdata discipulis, ipso Ascensionis die, omnibus passim Christianis in catholica Ecclesia significatum fuit. Primum in Euangelio: Euntes in mundũ vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Alterum, in Epistola: Conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissum patris. Quibus nimirum mandatis, in spem meramque distrahebantur discipuli. Ad prædicandum etenim obligati, quid aliud euenturum sibi diuinarent, nisi consimilem, aut fortè Domini sui conditionem, peiorem. Quem cùm vidissent, ob prædicatum Euangelium, nil aliud à perfido mundo, quàm odium, insectationes, calumnias, ad denique mortem ignominiosissimam fetuisse, quæso, nonne poterant iusto metu perturbari? Vice versa, quod iussi essent ad vrbem regressi, se continere domi, quousque virtute imbuerentur ex alto (quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies) nonne multis & anxiis suspiriis, & indefessis precationibus aduentui ipsius præstolabantur, subinde postulantes, vt celerius hæc noua Spiritus sancti gratia donarentur. Itaque nulli dubium sit, toto tempore, quod inter ascensum Christi, & descensum Spiritus sancti percurrit optimos discipulos anhelos & anxios inter promissorum spem, metumque malorum immanium, hinc ablato suauissimo Domini conspectu, & inde nondum Spiritus sancti consolatione percepta, fuisse distractos. Et quoniam post ascensum Christi in cælum, nobis quoque nihil rerum superest expectandum in hoc seculo, præter reditum Domini nostri Iesu Christi, ad iudicium extremum, quid interea nobis sit agendum nusquam melius, quàm ex Apostolorum actis discere valeamus: Consulto S. Mater Ecclesia, talem Euangelij tractationem, in istam dominicam, quæ vesperi paraseeue futuram solennitatem antecedit, fidelibus proposuit, ex qua vtrumque simul conspiceremus. Cui adiuncta est, Epistola, quæ orationis præcepta continuat, vt quemadmodum in Euangelio Spiritus sanctus promittitur, & futuræ calamitates prædicantur, sic ex Epistola disceremus, & quibus mediis hunc impetrare, & adeptum quomodo retinere possemus. Liturgiam simili ab oratione auspicatur Ecclesia: Exaudi dominc vocem meam, qua clamaui ad te, &c. Quibus omnibus examen conditionem Apostolorum, qualiter hoc tempore affecti fuerint, exponere, ac veluti oculis subiicere ideirco contendit, vt tali exemplo admoniti, quid nos quoque hoc tempore conueniat agere, & nolla re nos magis quàm Spiritus sancti gratia indigere, exactè discere mur. Etenim quod de Apostolis scripturam commemorare comperimus, ad nostram doctrinam proficere debere, Paulus est testis. Nam cum natura simus om- Rom. 15.

nec Spiritu sancto priuati, quia nō habitat in nobis bonum, sed malum. Et nemo ad Christum pertinere potest
Rom. 7. exors spiritus, eodem Apostolo teste: Qui spiritū Chri-
Rom. 8. sti non habet, non est eius, sed nec quisquam hunc nisi è
Iacob. 4. superuis, ac à Patre luminum impetrare valeat, manife-
Luc. 11. stissimum sit, precationibus, iisque ardentibus, & indefessissimum fore. Huius nos admonere vult Ma-
ter Ecclesia, vt Apostolorum secuti vestigia, qui omnes
erant perseuerantes hoc tempore, vnanimiter in ora-
Act. 1. tione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratri-
bus eius precationibus ardentissimis & indefessis, Spi-
ritum sanctum imploremus. Deinde studeamus di-
gnum illi intra nos exornare cubiculum, quoniam in
malenoiam animam non introibit, nec habitat in cor-
Sap. 1. pore subdito peccatis. Atque hæc de institutо Eccle-
siæ dicta sufficiant, nunc ad Euangelium ipsum accin-
gamur.

Cum autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis.] Odio Iudæorum contra se oppenit testimonium spiritus de se, quo vltra testimonium doctrinæ suæ & operum magis adhuc declarandum erat illorum odium iniustum esse & irrationabile. Itaque sensus est: Illi quidem post auditam meam doctrinam & conspecta mea opera, me oderunt, & sibi videntur iustè ac meritò me odisse: at cùm venerit paracletus ille de quo vobis dixi, spiritus ille veritatis qui mentiri nequit, is abundè testificabitur de me, quis ego sim, & quàm iniquo odio me illi sint persecuti. Cæterùm dupliciter intelligi potest spiritus perhibuisse testimonium de Christo. Potest enim intelligi de testimonio spiritus in cordibus Apostolorū & omnium fidelium, docentis eos claritatem Christi. De quo testimonio etiam multi intelligunt, quod postea dicit Dominus: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Secundum quem intellectum prius dicitur de testimonio spiritus, & deinde subiicitur: Et vos testimonium perhibebitis, quia Apostoli accepto in cordibus suis testimonio spiritus de Christo, cœperunt & ipsi fiducialiter Christo viua voce testimonium perhibere. Potest etiam intelligi de testimonio spiritus

spiritus per opera miraculorum quæ in Apostolis & per Apostolos erat editurus ad gloriam nominis Christi. Illis enim operibus declarauit diuinam Christi excellentiam & claritatem. Testificabatur etiam spiritus per Apostolorum ora de Christo. Non enim ipsi erant qui loquebātur, sed spiritus patris qui erat in eis. At hoc testimonium viuæ vocis Dominus tribuit ipsis Apostolis, vt quod dicitur spiritus perhibiturus testimonium, videatur solùm intelligendum aut de testimonio eius interiori per afflatum, aut de testimonio eius exteriori per miraculorum operationem. Nō solùm, inquit ille, testimonium perhibebitis de me, quia ab initio prædicationis meæ & rerum à me gestarum mecum semper fuistis audientes quæcunq; docui, ac coram videntes quęcunque gessi, quare idonei eritis qui testificemini de me. Est autem Græcis pro, testimonium perhibebitis, verbum μαρτυρεῖτε, quod item ambiguū est, cùm possit esse & indicatiui modi & imperatiui, vt sit, testimonium perhibete, vel testimoniū perhibete, quod posterius secutus est interpres Cyrilli, & magis placet Caietano. Si autē verbum illud accipiatur vt sit indicatiui modi quemadmodum magis placet Erasmo, præsens pro futuro videtur positum: vnde bene vertit interpres, testimonium perhibetis, quomodo & Augustinus legit, quamuis antiqui quidam codices Latini habeant præsens, testimonium perhibetis: quod si pro futuro quis non putet accipiendum, sensus erit: Non solùm ille in posterū testificabitur de me quàm iniquè me oderunt, sed & vos nunc idem de me testari potestis, quia semper me cū estis. At magis conuenit tempus futurum sequentibus, in quibus prædicit suis quæ passuri essent ob testimonium nominis sui. Tales autem testes fuisse imprimis diligendos qui ab initio semper fuissent cum Christo, etiam Petrus dixit in electione Matthiæ: Oportet, inquit, ex his viris, *Act. 1.*
qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis, vsque in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Circa illa autem verba: Quem ego mittam

vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit: pri-
mùm notandum Christum paucis Trinitatis mysteri-
um complexum, dum spiritum dicit mittendum se mis-
surum, sed à patre. Deinde notandum, quemadmodum
superius est dictum, Christum iam dicere se missurum
spiritum, cùm prius patrem diceret missurum, vt hinc
intelligamus æqualem eius cum patre potestatem & au-
toritatem. Dicit se missurum illum à patre, tum quia spi-
ritus primò est & procedit à patre: tum quia ipse filius à
patre habet quòd spiritum mittat. Mitti autem dicitur
aliqua persona diuina, dum alicubi incipit esse nouo mo-
do quo ibi prius non erat. Sic filius Dei missus est in
mundum, cùm esset vbique, quia per assumptam huma-
nitatem cœpit nouo modo esse in mundo. Sic & spiritus
sanctus dicitur mitti, cùm alioqui sit vbique, quia per
suam gratiam & efficaciam nouo modo incipit esse in
hominibus. Duplex autem est in scripturis missio spiri-
tus sancti, visibilis scilicet & inuisibilis. De visibili, qua
scilicet sub signis quibusdã visibilibus, sicut in die Pen-
tecostes, spiritus datus est, intelligendum est quando
Dominus hic promittit patrem aut se missurum Aposto-
lis spiritum. De inuisibili loquitur Paulus cùm dicit: Mi-
sit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamãtem Ab- *Galat. 4.*
ba pater. Portrò paracletum vocat nunc tursum Domi-
nus spiritum veritatis, idque appositè, vt quia illum di-
cit perhibiturum testimonium, ostendat eum fide di-
gnum, ad quod etiam valet quod se dicit missurum il-
lum à patre, à quo scilicet omne bonum est, à quo nulla
falsitas & error nullus dimanare potest. Est autem Gre-
ca dictio τὸ παράκλητος, quam interpres vertit per accusa-
tiuum, spiritum, anceps ad accusatiuum vel nominatiuũ,
eo quòd sit neutri generis. Interpres intellexit esse ac-
cusatiuum, referens eam ad verbum, mittam, cùm ma-
gis conueniat nominatiuus casus, vt referatur ad nomi-
natiuum, paracletus. Interpretatur enim quis sit ille de
quo dixit paracletus, nempe spiritus veritatis. Cæterùm
quod sequitur: Qui à patre procedit: magnam præbuit
quibusdam contentionis occasionem. Huius enim oc-
casione ante concilium Florentinum Græci multis an-
nis alienati fuerunt à Latinis, asserentes malè Latinos in

in symbolo confiteri spiritum procedere à patre & fi-
lio, cùm hic tantùm dicatur, qui à patre procedit, nec
vsquam in scripturis legatur procedere spiritum etiam
à filio, ac ob id negantes spiritum procedere etiam à fi-
lio, aut saltem ita non esse dicendum asserentes, sed po-
tius spiritum procedere à patre per filium, quem locu-
tionis modum verisimile est eos desumpsisse ex hoc lo-
co, attentis quia hic Dominus dicit: ego mittam vobis
à patre. Illo enim significatur filium se habere tanquam
medium inter patrem & spiritum, & patrem mittere
spiritum per filium. Vnde Cyrillus in hunc scribens lo-
cum dicit spiritum procedere à patre per filium. Dispu-
tatio autem illa, quæ inter Græcos & Latinos horum
verborum occasione nata est de spiritus prædestione,
præsupponit locum hunc intelligendum de æterna spi-
ritus ex patre processione, hoc est, eius ex patre origine
ab æterno. At si rectè perpenderimus, videbitur magis
hic locus simpliciter accipiendus de temporali spiritus
ad creaturas processione, hoc est, de eius missione. Sicut
enim nunc Dominus dicit spiritum procedere à patre,
ita supra cap. 8. de se dixit: Ego ex Deo processi. Id autẽ
magis de processione Christi temporali quàm æterna
accipiendum patet ex sequentibus. Nam veluti exponc-
re volens quid sit quod dicit, processi, subiicit: Et veni, &
declarans quod dixit: ego ex Deo processi & veni: sub-
dit, Neque enim à meipso veni, sed ille me misit. Sic & *Ioan. 6.*
capite Ioannis 6. cùm dicitur: Exiui à patre & veni in
mundum, iterum relinquo mundum & vado ad patrem:
magis intelligendum de exitu temporali illud. Exiui à
patre declarat illud quod sequitur, vado ad patrẽ, à quo
scilicet exiui veniendo in mundum. Ita & in proposito
videtur simpliciter locus hic intelligendus de temporali
spiritus processione, quia illud: qui à patre procedit: ad-
uerbium videtur ad declarandum illud quod dixit se mis-
surum illum à patre, quasi diceret: Ideo illum dico me
missurum à patre, quia ipse à patre procedit & datur ho-
minibus. Id enim multum facit ad commendationem
testimonij quod dicit spiritum perhibiturũ. Certè Non-
nus in sua paraphrasi declarat se sic intellexisse. Habet
enim sic: Postquam verò aduenies spiritus meri, ab in-

telligenti patre demissus venerit, quem spiritum à patre ad vos ipse mitto, me apud vitos multum prædicauerit, &c. Sed & Bedam sic intellexisse apertius est ex his quæ scribit in homilia super hoc Euangelium: Cùm inquit, eiusdem spiritus gratia datur hominibus, profectò mittitur spiritus à patre, mittitur & à filio: procedit à patre, procedit & à filio, quia eius missio ipsa est processio, qua ex patre procedit & filio. Hæc ille. Huic intelligentiæ cõuenit quod non dicatur ἐκ τοῦ πατρός, id est, ex patre, sed παρὰ τοῦ πατρός id est, à patre procedit tanquam à mittente scilicet is qui mittitur. Quòd si autem locus hic de processione spiritus temporali sit accipiendus, certum est non excludi processionẽ spiritus à filio, quia tantum dicitur, qui à patre procedit. Nam cùm illa processio nõ sit aliud quàm missio passiua, sicut spiritus mittitur à filio, ita & ab illo procedit. Antiquissimi tamẽ patres hoc intellexerunt significatam æternam spiritus ex patris natura processionem, sicut & filij æternam ex patris natura processionẽ illis locis quibus de se dicit: Ex Deo processi, & exiui à patre. Nec id absque ratione. Siquidẽ in eo quod spiritus aut filius à patre dicitur procedere temporaliter, includitur eum etiã procedere ab æterno ex patris natura. Cùm enim filius & spiritus sanctus vnius eiusdemq; sint cum patre naturæ, & proinde per omnia sint illi æquales, si quando his duabus personis diuinis aliquid tribuitur respectu patris, quod minoritatem quandam à patre videtur significare, vt cùm dicuntur mitti & procedere à patre, loqui ex patre & quæ ab illo audierunt, didicerunt, & acceperunt, non possunt hæc illis personis respectu patris alia ratione intelligi, attribui, nisi ratione originis secundum quam sunt ab illo, & habent ab illo quæcunq; habent. Ex quo iam etiã consequitur, spiritum sicut ex patris substantia procedit ab æterno, ita & à filio procedere, cùm ab eo mitta tur, & proinde etiam procedat temporaliter. Secundum quam rationẽ efficacissimè probatur spiritum ab æterno procedere, & suũ esse habere à filio, ex eo quod postea
Ioan. 16. dicit Dominus: Ille me clarificabit quia de meo accipiet & annũciabit vobis. Sicut enim Christus secundũ suam diuinitatem non alia ratione à patre dicitur accepisse quæ

quæ mundo annunciauit & locutus est, quàm propter originem quam habet à patre: ita non potest intelligi alia ratione spiritum accipere à filio quod hominibus annunciat, quàm quia ab illo habet suam naturam & essentiam, & proinde ex illius substantia procedit ab æterno, cùm non sit aliud essentialiter ab aliquo procedere, quàm ab eo suum esse accipere. Secundum hanc rationem Augustinus in variis locis etiam ex illo probat spiritum procedere essentialiter à filio, quod post
Ioan. 20. resurrectionem suam Dominus discipulis suis insufflãdo dixit: Accipite spiritum sanctum. Idem Augustinus & ex illo probat, quòd in scripturis spiritus sanctus dicatur spiritus filij, sicut spiritus patris: Misit, inquit Paulus,
Galat. 4. spiritum filij sui in corda vestra. Si enim est spiritus filij sicut patris, spiratur ergo, & proinde procedit à filio, sicut à patre, quanquam hos Augustini & Latinorum ex scripturis collectiones rideat Theophylactus vtpote Græcus, scribens in tertium caput Ioannis, sed inefficaciter eas soluens. Spiritum autem procedere substantialiter etiam ex filio non solùm ex prædictis scripturis, sed etiam necessariis probari potest rationibus. Et primum ex eo quòd (vt ait Boetius in libro de Trinitate) excepta relationibus oppositis, omnia quæ de vna dicuntur persona, dicuntur etiam de aliis. Cùm ergo spiratio actiua non opponatur filiationi, sed tantùm spirationi passiuæ, quæ conuenit spiritui sancto, consequens est quòd sicut illa conuenit patri, ita & filio conueniat. Hac sanè argumentatione postea Dominus ostendit spiritum dixerit de spiritu: ille de meo accipiet. Omnia, inquit, quæcunque habet pater mea sunt, propterea dixit, de meo accipiet, & annunciabit vobis. Deinde si spiritus non procederet à filio, non distingueretur personaliter ab illo. Solæ enim relationes oppositæ personalem facerent in diuinitate distinctionem, oportet ergo filium & spiritum sanctum habere relationes inter se oppositas. At in diuinis non possunt esse aliæ relationes oppositæ quam relationes originis, vt ostenditur in theologia specialitas. Consequitur ergo spiritum habere suam originem à filio, & proinde procedere ab illo, quia oppositæ relationes originis attenduntur secũdum hoc quod

vnum

vnum est alterius principium. Vnde etiam ipsi Græci ipsum spiritum in sua origine aliquem ordinem ad filiũ habere intellexerunt, dicentes ipsum esse & procedere à patre per filium. Quæ tamen ipsorum locutio, si modò catholicè intelligatur, idem includit & significat quod Latini apertius asserunt spiritum procedere à patre & filio. Non enim potest aliter intelligi spiritum procedere per filium à patre, quàm quomodo dictum est omnia facta per filium, aut patrem fecisse seculа per filium. Verùm, vt dictum est circa illud Ioannis: Omnia per ipsum facta sunt: per filium dicitur omnia fecisse pater, quia omnia pater sic fecit communiter cum filio, vt tamen virtutem efficiendi sicut & essentiam filius acceperit à patre. Præpositio enim, per, tribuitur filio tãtum ob originem quam habet à patre, ratione cuius se habet veluti medium quoddam inter patrem & creaturas. Ita ergo & in proposito spiritus nõ potest dici procedere à patre per filium, nisi quia à patre communiter procedit & filio, sic tamen vt filius à patre acceperit vt à se procedat subsũtialiter spiritus sanctus. Rationes autem ob quas Græci dicere noluerunt spiritum procedere à patre & filio, & à Latinis hoc asserentibus se se separauerunt, potissimæ fuerũt, vt ex actis concilij Florentini patet, istæ: Quia existimabant huiusmodi locutione introduci duo principia spiritus sancti, patrẽ scilicet & filium. Deinde quia etiamsi verũ esset q; spiritus procederet à filio, putabãt tamẽ illud saltẽ symbolo apponendũ esse nequaquam, tũ quod in scripturis sacris illud nõ legeretur, tũ quod in symbolo Nicæno & Constãtinopolitano tantũ diceretur spiritum à patre procedere, & in cõcilio vniuersali tertio, Ephesino scilicet, statutũ esset sub anathematis reatu, vt nulli de Trinitatis fide aliud docere quàm in illo symbolo continebatur, aut illi aliquid addere liceret, vndè Latinos arguebant anathematis reos, quòd in symbolo illo addidissent, filioque. Verùm cùm Latini in dicto concilio Florentino declararent se non asserere spiritum procedere ex patre & filio tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex vno principio, sicut tota Trinitas vnum est omnium creaturarum principium, ostẽderentque tum ex scripturis, tum ex patribus nõ solùm Latinis

Latinis, sed etiam Græcis, verum esse quod spiritus procedat à filio, illamque additionem, ex filioque, non tam dicendam additionem quàm declarationem & expositionem eius quod includebatur in eo quod à patre dicitur spiritus procedere, atque huiusmodi additionem fuisse ab ipsis necessitate quadam, causa scilicet tollendi cuiusdam schismatis, ostenderẽt etiam Romano Pontifici licere ob causas quædam declarationis gratia addere symbolo fidei, tum demum post longam contentionem Græci in concordiam redière cum Latinis, tanquam nihil peccantibus contra decretum cõcilij Ephesini, nec aliud asserentibus dicendo spiritum procedere à patre & filio, quàm ipsi asserebant dicendo spiritum procedere à patre per filium. Ex his autem patet duplicem ex scripturis colligi in diuinis processionem essentialem. Alteram, qua filius procedit à patre, quę insinuatur illo Ioannis 8. Ego ex Deo processi. Alterã qua spiritus procedit à patre & filio, quæ insinuatur hoc loco etiam dicitur: Qui à patre procedit. Et filij quidẽ processio ex scripturis cognoscitur habere speciale nomen vt dicatur generatio. De ea enim dicitur. Ex vtero ante lucifer genui te. Spiritus sancti verò processio ex patre & filio non habet in scripturis speciale nomẽ, nisi quòd ex ipso nomine spiritus, dici possit spiratio. Nõ enim illa processio, quamuis sit ex substãtia patris & filij, dici potest generatio, quia sic in diuinis personis duo essent filij, & spiritus duorum esset filius, quod est absurdissimum, cùm filius duorum non sit, nisi patris & matris. Quis igitur quis quærat quis sit eius processionis modus & qualitas, audiat Gregorium illum Nazianzenum libro quinto de theologia sic respondentẽ curiosæ huiusmodi quæstioni: Quin, inquit, tu mihi rationem ingeniti patris explicas, & ego veridim tibi & filij generationem velut naturæ eius interpres, expediam, & spiritus processionem aperiam, vt ambo insaniamus Dei secreta rimando. Hæc ille, significans non vltra in huiusmodi rerum inuestigatione progrediendum quàm ex scripturis datur intelligi. Ex doctrina tamen Augustini, aliorumque patrum intellectus humanus vtcunq; adduci potest ad aliqualem cognitionem duplicis illius

in diuinitate processionis, & rationem percipere quare altera rectè dicatur generatio, altera verò non, quamuis vtraque sit ex substantia, quemadmodum subtiliter deducit diuus Thomas in prima parte Summæ quæst. 27. Cùm enim modus diuinarum processionum in se non possit à nobis cognosci, oportet vt ad eorum aliqualem cognitionem manuducamur, là similitudine quarundam in creatutis processionum. Id autem nō potest fieri commodiùs quàm à processionibus quibusdam quę reperiuntur in creatura intellectuali, tum quòd hæc sit creata ad imaginem & similitudinem Dei, atque ob id in se habeat vestigium quoddā Trinitatis diuinæ & processionum earundem: tum quòd processio in diuinis non potest attēdi secundū aliquam processionem in creaturis quæ tendit in aliquod extrinsecū, sed secundum talē quæ manet in ipso agente, eo quòd filius & spiritus ex patre non procedant extrinsecè, sed maneant in eo, qui eos producit patre. Huiusmodi autem processio immanens reperitur in creatura intellectuali, & reperitur in ea duplex secundum duplicem eius actionem, intellectus scilicet & voluntatis. Ex mente enim procedit impressis intelligentia & rei conceptio quæ est velut verbum mentale, & rursum ex ea simul & ex intelligentia atque rei conceptione procedit rei alicuius amor. Secundum processionem ergo conceptus & intelligentiæ ex mente consideranda est à nobis processio filij à patre, cuius filius est λόγος & verbum: secundùm processionem verò amoris ex mente & ex intelligentia, consideranda est processio spiritus à patre & filio. Inter processionem autem intelligentiæ & processionem amoris à mente hoc interest, quod in illa attendatur similitudo, in hac verò non. Producit enim mens in se alicuius rei conceptum tanquam illius rei similitudinem, vnde huius ratione res concepta dicitur esse in mente concipiente, amorem verò non producit in se tanquam similitudinē rei amatæ, sed tanquam inclinationem in rem amatam, vnde huius ratione mens dicitur esse in re amata. Cùm ergo generatio propriè dicta consistat in similitudine genitii cum generante, illa in diuinis processio quæ attenditur secundum processionem cōceptus à mente, dicitur

eirur generatio: illa verò quę attenditur secundum processionem amoris à mente, non dicitur generatio, sed spiratio, eò quòd amor veluti spiretur à mēte, propterea quòd illo moueamur & impellamur ad aliquid faciendum. Et hæc quidem de æterna in diuinis processione, occasione illius quod hic Dominus dicit spiritum veritatis procedere à patre. Cæterùm contra id quod suprà diximus ex eo quod spiritus mittitur à filio, & procedit ab illo temporaliter, colligi & sequi eundem etiam procedere à filio æternaliter, obiici potest quod Isaiæ 48. Christus se dicat etiam missum à spiritu Dei, à quo certū est tamen ipsum non procedere æternaliter. Et nunc, inquit, Dominus Deus misit me, & spiritus eius. At facilis rita est ex Hieronymo solutio. Is enim in Commentariis super Isaiam tractans hæc verba, intelligit Christum hic se dicere missum à spiritu, iuxta fragilitatem carnis assumptę. Secundum humanam enim Christi naturam certum est ipsum à spiritu fuisse missum ad prædicandum & docendum, iuxta illud Isaiæ: Spiritus Domini super me, eo quod vnxit me, ad euangelizandum pauperibus misit me. Secundùm Augustinum tamen potest etiam intelligi Christus missus à spiritu sancto secundum suam diuinitatem, secundum quam dicitur missus ratione assumptæ humanitatis, si modò consideretur non ipsa quæ dicitur mitti persona, sed ipse effectus, ratione cuius dicitur mitti. Hac enim consideratione Augustinus non tantùm spiritum dicit misisse Christum, sed etiam Christum misisse seipsum, & spiritum misisse seipsum, quia scilicet tota Trinitas causa est eius effectus, ratione cuius aliqua persona dicitur mitti. Vera ratio eſt in eo quod aliquis dicitur mitti ab alio, propriè non solùm significetur missionem illam esse à mittēte, sed etiam ipsum missum procedere à mittente, non satis propriè dicitur Christus secundùm suam diuinitatem mittere à spiritu, aut Christum vel spiritum mittere seipsum. Sed tempus postulat vt ad Euangelicorum verborum redeamus expositionem.

Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque.] D Augustinus & Euthymius pronomen, hæc, referunt ad id quod proximè prędcedit de spiritus aduētu & testimonio,

Universidad de Deusto Biblioteca

monio, per quem & Apostoli confirmati testimonium Christo erant perhibituri, vt sit sensus: Dixi vobis spiritum venturum, & testimonium de me in vobis & per vos perhibiturum, vt cùm videritis malos persequentes vos & iniuria afficientes, non offendamini, sed cognoscentes quod paracletus vobis auxilietur, bono sitis animo, ac viriliter agatis. Sic enim ferè habet Euthymius. In quem sensum & Augustinus se hũc locum accepisse declarat, cùm sic scribit: Meritò promisso spiritu sancto, quo in eis operante fierent testes eius, subiunxit: Hæc locutus sum vobis vt non scandalizemini. Cùm enim Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis, fit pax multa diligentibus legẽ dei, vt non sit illis scandalum. Hęc ille. Et sanè cum hæc pars Euãgelij legitur in officio Ecclesiastico Dominicæ ante Pentecosten, videtur pronomen demonstratiuum, hæc, referendũ ad id quod mox præcedit de aduentu & testimonio spiritus, quia nihil aliud in Euangelio quod tunc legitur præcedit ante pronomen, hæc. Magis tamen hoc uoco pronomen istud videtur referendũ ad ea quæ ptius dicta sunt de odiis & persecutionibus propter nomen Christi perferendis, vt intelligatur hic Dominus reddere causam quare tam tristia eis prædixerit. Ne enim videretur Dominus delectari in eorũ mœrore, dum tam varia eis prædicit quæ mœrorem adferebant: Hęc, inquit, de odio mundi & persecutionibus vobis imminentibus locutus sum vobis, non vt ingerã vobis timorem aut augeam vestram tristitiam, sed vt non scãdalizemini & offendamini cũ hæc vobis occurrerint mala. Scandalizaremini enim faciè in me, & à fide in me propter illa excidere possetis, si nõ antè à me hęc vobis prædicta fuissent, propter inopinatũ eorum occursum, & quia existimare possetis mihi hæc nõ fuisse præcognita, aut me tantùm ad gratiam locutũ, & læta tantùm, tristibus occultatis, vanè promisisse. Nũc verò horũ prędictio muniet vos ne scãdalizemini illis obuentibus, tum quia à vobis erunt præuisa & præmeditata minus enim lædunt mala præuisarum quia agnoscentem in omnibus verbis fidem, omniumq; rerum præcognitionem. Secũdum hunc sensum, cùm in Euangelio

lio prædictæ Dominicę legitur ista pars, pronomen, hęc, quæ non habet aliquid præcedẽs ad quod referatur, referẽdum est ad ea quæ sequuntur de obuenturis persecutionibus, quemadmodum facit Venerabilis Beda in homilia illius Euangelij: quomodo etiam videtur intellexisse quisquis in nostris libris sic distinxit hunc Christi sermonem, vt ab hac sententia: Hæc locutus sum vobis, nouum exorsus sit caput. Cùm autem in præcedentibus Dominus in genere dixisset suos odia & persecutiones passuros, nunc species quasdam persecutionum explicat, easque duplices iuxta duplex malorum genus. Est enim malum calumniæ & ignominiæ, est & malum pœnæ atque supplicij. Ad calumniæ atque ignominiæ malum pertinet, quod primo loco dicitur: Absque synagogis facient vos: pro quo Augustinus clarius legit: Extra synagogas facient vos. Est autem Græcis pro absque synagogis, vel extra synagogas, vnica dictio ἀποσυνάγωγος apoſynagogos, hoc est, alienos à synagoga aut excommunicatos: quæ dictio & suprà bis à Ioanne est posita, capite scilicet 9. vbi legimus. Iam enim conspiraue- *Ioan. 9. & 12.*
rant Iudæi, vt si quis eum cõfiteretur esse Christum, extra synagogam fieret, & capite vndecimo, vbi legimus. Propter Pharisæos non confitebantur, vt de synagoga non eicerentur. Hanc autem de synagoga eiectionem ad summam pertinuisse apud Iudæos ignominiam, patet ex eo quod ibi subiicitur: Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm Dei. Sensus ergo nostræ lectionis est: Absque synagogis facient vos, hoc est, excludent vos à suis synagogis, interdicent vobis suis synagogis, vsque excommunicabunt.

Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur, &c.] Obscuritatem aliquam adfert coniunctio aduersatiua, sed. Ea enim videtur hic significari Dominum subiicere aliquam consolationem contra prædictam eiectionem à synagogis, cùm hæc sententia nullã significare videatur consolationem, sed potius exaggeratiua sit obuentorum malorum, planeque significet tribulationem venturam super tribulationem. Proinde D. Augustinus videns non esse dictum, Et venit hora: verùm, sed venit hora: illudque sonare quasi aliquid boni post prædicta

mala hic promiiteretur, vim aduersatiuæ coniunctionis sic explicat: Extra synagogas facient vos, sed polite solitudinem formidare: separati quippe à congregatione eorum, tam multos in nomine meo congregabitis, vt illi metuentes ne tẽplum quod erat apud eos, & omnia legis vetetis sacramenta deserantur, interficiant vos, sic fundentes sanguinem vestrum, vt Deo se præstare arbitrentur obsequium. Intelligit ergo per aduersatiuam coniunctionem, sed, ad Apostolorum consolationem signi cati, eos ejectos à Iudæis tam multos Christo acquisituros, vt Iudæi sint ad ipsorum cædem prouocandi. Sine li modo, sed minus coactè, Beda in homilia huius Euangelij, intelligit hic positam aduersatiuam coniunctionem, sed. Habet enim sic: Prædictis ergo pressuris aduersantium, repentè quasi consolans discipulos, adiunxit: Sed venit hora vt omnis, &c. Ac si apertè dicat: Bella quidem tribulationum à contribulibus vestris estis passuri, sed eo tolerabilius hæc suspicite, quo non tam odio vestri quàm diuinę legis æmulatione vobis ingerentur. Hæc ille. Verùm quoniam coactè secundum vtramque prædictam rationem hæc sententia intelligitur subiuncta ad consolationem & mitigationem prædicti mali ejectionis è synagoga, cùm planè ad exaggerationem malorum videatur potius dicta, ideò sciendum quòd per coniunctione, sed, Græca dictio ἀλλὰ etiam verũ potest pro imo aut quinetiam. Nam & hoc inter alia significat illa Græca coniunctio, quo modo sensus erit conuenientissimus, nimirum iste: Excludent vos à synagogis suis, imò, quod amplius est, venit hora, id est, instat iam tempus, vt omnis qui interficit vos, arbitretur se Deo obsequium, hoc est, cultum præstare, aut sacrificium offerre. Est enim Græcis λατρείαν προσφέρειν, quod potest esse, sacrificium offerre. In hũc modũ Cyrillus declarat se accepisse coniunctionem ἀλλὰ. Habet enim sic interpretatio: Sed non hæc, inquit, aduersus vos solum modo facient, verumetiam ad tantum atrocitatis prorumpent vt sacrificij vim in cæde vestra positam putent. In nostra ergo lectione coniunctio, sed, accipienda est pro imo, vel pro, sed &. Dupliciter autem Dominus hac sententia exaggerat vim persecutionis. Primùm, quia non solùm synagoga eiiciendos, sed etiam interficiendos ipsos significat. Secundò, quia ipsorum cædem homines non solùm non erãt reputaturi iniustam esse, sed etiam gratissimam Deo. Loquitur autem, sicut & in præcedentibus, de persecutione fidelibus inferenda à Iudæis. In hos tamen competit eiicere synagoga. Hi & cultũ se Deo vero præstare putabãt occidendo Christianos, quemadmodum patuit in his qui Stephanũ occiderũt, & in ipso Paulo cũ adhuc esset persecutor. De se enim dicit quod esset supra modum persequebatur Ecclesiam Dei, abundantius æmulator existeret paternarum traditionum. Gal. 1. Rom. 9.

Idem de Iudæis dicit: Testimonium illis perhibeo quod æmulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam. Hac æmulatione quidam contra Paulum armati conscenderunt vt iurauerint se non comesturos, neque bibituros, priusquam eum interemissent, vt scribitur Actorum 23. Leuita qui idololatras occiderãt dixit Moyses: Consecrastis hodie manus vestras Domino, vnusquisq; in filio & in fratre suo, vt detur vobis benedictio. Exod. 32

Vbi Chaldæus paraphrastes habet: Obtulistis oblationes vestras hodie coram Domino. Idem Moyses præcipit pseudoprophetas occidi sine omni misericordia. His ergo & similibus scripturę locis moti Iudęi existimauerunt se occidendo Christum & christianos, rem facere Deo gratam, ac veluti sacrificium illi offerre, qua sua immedicabili cęcitate etiamnum audent dicere, se nulla a- Deut. 13. re culpa in horrendum hoc & perpetuum exilium esse missos, nisi quòd non omnes Christi discipulos occidebant, antequam eius Euangelium in vniuerso mũdo prędicarent. Simili vesania etiam nostris temporibus hæretici, & maximè Anabaptistę persequendo Ecclesiam, diripiendo eius bona, occidendo eius fideles, existimarunt se cultum Deo exhibere gratissimũ. Cęterũ quemadmodum maximũ ignominiæ malum significatur prędicti sententia, cùm dicitur: absque synagogis facient vos, ita hac sententia significatur maximum supplicij & ignominiæ malum, proinde sub his duabus persecutionis speciebus omnia alia mala comprehẽduntur. Ne autem Apostolos contristaret quod eorum cędes reputanda esset cultus Dei & sacrificium, sed intelligerent illam suo-

rum persecutorum existimationem esse erroneam, bene subiecit Dominus: Et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me. Patrem autem eos dicit nō nosse, non solùm quia non nouerunt Deum sub nomine patris, sed etiam quia Dei non habuerunt rectam notitiam. Dei enim ignorantiam Dominus frequenter notatur in Iudæis, qua quoniam caruerunt, nec ipsum Christum agnoscere potuerunt: vnde bene postquam dixit non nouerunt patrem: subiecit, neque me.

Sunt quædam hic omissa quæ in fine inuenies.

IN FESTO PENTECOSTES.

EVANGELIVM.

Ioan. 14. *IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonē quem audistis non est meus, sed eius qui misit me patris. Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis non quomodo mundus dat ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis, vado & venio ad vos: Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrē, quia pater maior me est. Et nūc dixi vobis priusquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed vt cognoscat mundus, quia ego diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.*

PRæcedētibus aliquot dominicis, multas de aduentu spiritus sancti promissiones audiuimus, nunc autem illius, quod fœlix faustumque sit, veritissimam exhibitionem percepimus. In cuius rei fidem, Lucas tempus, locum, personas, & id genus circumstantias, ad rerum gestarum astruendam veritatem necessarias, luculenta descriptione nobis in epistola & hodierna diei historia proseq̄utus est. Mirū sanè, & à condito mūdo, inauditū spectaculum, omnibusq; mortalibus adeo necessarium, vt melius fuerit, nūquam editos, quàm ab aduentu spiritus sancti, adeoq; spiritus efficacia permāsisse alienos: & quoniam hoc die, quæ post Domini resurrectionem fuit quinquagesima, istud eximium & ineffabile Deus Opti. Maxim. mundo contulit beneficium, estq̄ue non modò hęc dies, verum etiam tota septimana spiritui sancto dedicata, expropter operæpretium fuit, de hodiernæ festi. *Prouer 8* tatis lætitia, quæda proponere, antequam ad plenioré Euangelij explicationē perueniamus. Quod quidē dum fieri, merito hāc Sapientis exclamationem proponam. O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum, audite, quoniam de rebus magnis loquar, & aperiantur labia mea, vt recta prædicent. Venerandum hoc Pente- *Exod. 34 Deut. 16.* costes festum, Hebræi, hebdomadarum festiuitatē nuncupant, quod peculiari oblatione eum in finem instituta, gerebatur. Græci à quinquaginta diebus, pentecosten quam dictionem imitantes Germani, *Pinxsten*, sicuti & *Arschen*, à Paschate, nominant. Hi potissimum dies, singulari veneratione à Iudæis, vt puta, quib° ipsis salus & redemptio obuenerat, obseruabantur. Quemadmodū *Exod. 12 19. et 34* festum Paschæ festo, memoriam redemptionis Patrum ex durissima Ægypti captiuitate celebrabant, ita sacro hoc festo, eius recordabantur diei, qua ipsis legem in monte Synai Deus Optim. Maxim. exhibuerat & maxima dein *Act. 20.* celebritate idem hoc festum, in Apostolica Ecclesia, celebratum fuit. Nam Ephesum transnauigauit Paulus, ne *1. Cor. 16* qua mora illi fieret in Asia, vt, si possibile esset, Pentecostes festum celebraret Hierosolymis. Ita alibi, Permansit Ephesi, neque inde discedam ante Pentecostē. Veruntamen aduentum tam veteris, quam nouæ legis Pentecostes festum, hunc ferè in modum Diuus Augustinus *D. Augu. li. quæst. noui & veteris te stamenti, li. 32. cō tra Faus tum. cheum.* disserit: Quinquagesimo die, ab occiso agno Paschali, acceperunt Iudæi legem scriptā digito Dei: Nos autem per occisum agnum immaculatū, ipsum accepimus spiritum & digitum dei, digitus enim dei spiritus sanctus dicitur. Illi in monte Synai tabulas acceperūt lapideas. nos autem quia verbum dei ex Hierusalem exibit, ex *sti* Mari eluuate sancta, legem accepimus, nō in tabulis lapideis

D. Chry. hom. de spiritu sanc. Esa. 2 Exod. 19. exaratam, sed internam sancti spiritus efficaciam, qua ex cordibus nostris, viuas efficit tabulas, quæ in se salutarem illam fiduciam descriptam continent, quæ facit corda nostra clamare, Abba pater. Epistola enim sumus non atramento scripta, sed spiritu Dei viui in tabulis cordis carnalibus. Lex vetus in densissima nube non sine tonitru ac fulgure, tubarum clangore, fumo & igne dabatur Iudæis, ita vt mons Sinai, aspectu esset terribilis, adeo, vt dicerent filij Israel Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Deus, ne moriamur. Exod. 20 Ad Ga. 5 Nos autem in Pentecostes festo, spiritum pacis internæ consolationis, charitatis & gaudij, accipimus. Eia igitur charissimi, peragamus præsentem hanc diem cum gaudio, quod institutio & fructus, tantæ festiuitatis requirit. Si etenim in testamēto veteri voluit & præcepit Dominus, vt epularentur filij & filiæ, serui & ancillæ, Leuitæ, aduenæ, pupilli & viduæ, quanto iustiore de causa, nos Christiani, quorum gaudium non consistit in cibo & potu, sed in interna cōscientiæ tranquillitate, & pace, gaudebimus in Domino, propterea quod in afflictionibus huius seculi consolator, omnis veritatis doctor, veræque iustitiæ administrator aduenerit, qui corda fidelium implens, in nouam transtulit creaturam, atque in omnem induxit veritatem, vt tutò atq; intrepidè illam vniuerso terrarum orbi, inuulgarint. Itaque verè inquit Exod. 16 Rom. 14.

D. Amb. serm. 62. Diuus Ambrosius, Christus Iustitiæ flos in hoc festo ruit, cum resurrexit è tumulo. In Pentecostes autē festo fructus suauissimos, præstantissimosq; nempe sancti spiritus dona produxit. Hinc bene Diuus Chrysostomus, D. Chrysost. sermone de spiritu sancto. libertatis & remissionis peccatorū suppeditatricem diē, Pentecosten nuncupauit. In qua fides nostra erigitur, nempe, Christum aduocatum & mediatorem nostrum ad dexteram patris modo sedere in cœlestibus, qui promissum misit spiritum sanctum. Id autem quanam ratione acciderit, D. Lucas hodierna lectione accurate explicat, nos autem, pro more & consuetudine nostra, hodierni Euangelij enarrationem suscipiamus.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.] id est, opere adimplebit. Probatio enim dilectionis, exhibitio est operis

operis. Et quia is qui me diligit, sermonē meum obseruabit, ideo vicissim pater meus diliget eum, & in signum apud eum habitationem faciemus. Quibus Dominus significat talem fore sui manifestationem, qualis est Dei ad homines aduentus, & mansio atque manifestatio, non rerum spiritualis, & non corporalis atque visibilis. Cùm autem suprà dixerit mittendum eis spiritum veritatis vt maneat apud eos in æternum, nunc promittit etiam se cum patre venturum, & mansurum apud eos, significans vnam esse patris & filij cum spiritu sancto naturam, vtpote per quem apud homines manentem etiam pater & filius maneant apud eos. Cùm autem dixisset: & pater meus diliget eum: subiungit, & ad eum veniemus, &c. loquens de se & patre ad similitudinem amicorum, qui inuisere gestiunt eos quos diligunt, & habitationem apud eos deligere. Huiusmodi spiritualem habitationem apud homines frequenter pollicetur Deus apud Prophetas, cæterùm Dei patris filij & Christi filij eius habitatio in hominibus, promittitur his verbis: Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erūt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituum misit me ad te. Hæc enim verba si omnia accipiātur dicta in persona Christi, cui soli sine personæ mutatione conuenire possunt, mentionem faciunt & habitationis patris, & habitationis filij. Quod enim primo loco dicitur: & habitabo in medio tui: ad patrem est referendum, quia sequitur, ait Dominus, vt quæ præcedunt dicuntur à Christo in persona patris. Quod verò secundo loco dicitur: & habitabo in medio tui: ad filium est referendum: quia sequitur: & scies quia Dominus exercituum misit me ad te: quod filio conuenit, non patri. Notandum autem tria congruo ordine promitti diligentibus Christum, sic vt posterius semper priori sit maius, ac Dei erga homines benignitatem magis declaret. Primùm enim magnum valde est, posse pertingere ad patris dilectionem. Si quis enim regis gratiā promereri potest, etiam si nullum hinc fructum consequatur Zach. 2

sequatur; tamen non paruam hinc percipit consolationem, nec parum reputat honorem, quod ab eo diligatur. At hoc maius est, quod secundo loco promittitur aduentus patris simul ac filij. Quoniam enim pro statu huius vitæ ipsi ad Deum ire non possumus, & habitationem facere apud ipsum, pro sua erga homines benignitate dignatur ipse ad nos venire, nosque inuisere, quod quantæ sit dignationis, quisq; facilè aduertet si Dei excellentiam cum humana comparet vilitate. Maximum autem omnium est, quòd nõ solùm promittitur aduentus Dei ad homines, sed eius etiã apud eos mansio, firmaque habitatio. Amicus enim amicitiæ causa amicum inuisere solet frequenter, sed post breue tempus rursum ab eo discessurus, ac suo abitu plus doloris amico relicturus, quam suo aduentu attulit gaudij. Christus verò sic se cum patre venturum pollicetur, vt etiam mansionem se facturum apud diligentes se, promittat, nunquã scilicet relicturus eos, cuius præsentia & apud homines mansio nõ potest non afferre eis securitatem ab omnibus malis, & bonorum omnium abũdantiam, quemadmodum bene multis locis indicat Psalmista: Si, inquit ambulauerim in medio vmbræ mortis, nõ timebo mala, quoniam tu mecum es. Et: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dexteris est mihi ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meũ, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe, &c. Et quidem, vt annotauit D. Gregorius, ad quosdam venit Deus, & mansionem nõ facit, vt qui Dei visitatione ad compunctionẽ commouentur, sed in virtutis proposito non perseuerant: ad diligentes verò se sic venit, vt mansionem apud eos faciat, nunquã eos derelinquens, nisi si quando ex dilectione excidant. Si autem in præsenti vita apud eos quantum in se est firmam facit mansionem, vt & post hanc vitam in suam eos transferat mansionem cœlestem.

Psal. 22.

Psal. 15.

Qui non diligit me, sermones meos non seruat: & sermo.] Cùm in præcedentibus indicauerit causam, ob quam se dixerit manifestandum diligentibus se, nimirum propter obseruationem mandatorum suorum: nũc indicat causam quare non sit se manifestaturus mundo, nempe quòd

quòd cùm non diligat eum, sermones eius non seruet. Ideòque non dicit, qui sermones meos non seruat, is est qui non diligit me. Nõ enim hic signum tradere voluit, quo agnosceretur is qui se non diligeret, sed indicare causam quare non diligentibus se, hoc est, mundo mũdanisque hominibus se non sit manifestaturus, quare dignum illi erat: Qui non diligit me, sermones meos non seruat: Quo significat ob neglectos suos sermones, eos qui non diligunt, vicissim negligendos iustè à se & patre. Et vt intelligatur quare qui suos seruat sermones, à patre sit diligendus: qui verò non seruat, non sit diligendus, adiecit: Et sermonem (pro & sermo) quem audistis, non est meus originaliter, sed eius qui misit me patris, significans non sibi tantùm, sed & patri iniuriam inferri ab his qui non obseruant sua mandata: & econtrà non se tantùm, sed & patrem honorari ab his qui seruant mandata, ac ea de causa hos quidem à patre diligendos, eos verò negligi. Porrò cùm superiori illa sententia: Qui diligit me, sermonem meum seruabit: significet omnem eum qui Christum diligit, sermonem eius seruare: hac iam sententia: Qui non diligit me, sermones meos non seruat: significatur etiã solum eum qui Christum diligit, sermonem eius seruare, vt intelligamus nec dilectionem esse posse sine obseruatione mandatorum, nec rursum obseruationem mandatorum Christi esse posse sine dilectione, vt sint inter se conuertibilia, diligere Christum & mandata eius obseruare: quare sicut is qui se dicit & putat diligere Christum, id debet comprobare obseruatione mandatorum eius: ita qui cupit eius mãdata seruare, anniti debet vt dilectionem ex spiritu Christi percipiat. Aliquandò autem Dominus singulariter dicit, sermonem meum: aliquando pluraliter, sermones meos. Sermonem enim vocat totam suam Euangelicam doctrinam: sermones verò, varia eius documenta præcepta.

Hæc locutus sum vobis apud vos manens Paracletus.] Declarauerunt se Apostolorũ pleriq;, Petrus scilicet, Thomas, Philippus, & Iudas, nõ assequi profunditatem verborum Christi, quare ne eos cruciaret propria ruditas, & pergerent pleraq; scisciteri quæ tunc capere non poterant,

terant, cùm iam esset veluti finē facturus sui ad eos sermonis promittit eis peruenturum ad ipsos de quo dixerat paracletum & omnia intellecturos quæ iam assequi satis non poterant. & discituros omnia quæ possent requirere, & commonefaciendos omnium quæ ipse eis dixisset. Hęc, inquit, pauca pro vestro captu locutus sum vobis, mortali adhuc corpore vobiscum degens, quæ etsi necdum plenè intelligitis, aut si præter ea etiam alia adhuc cognoscere desideratis, aut etiam metuitis ne hęc vobis excidant, & me iam abeunte à vobis non habeatis monitorem & doctorem, scitote quòd paracletus ille de quo vobis mox dixi, spiritus, inquam, sanctus quem post meum discessum pater mittet in nomine meo, hoc est, loco mei & mihi vicarium, aut propter me, qui pro illo mittendo patrem rogabo, ille vos docebit omnia quæ erunt vobis cognitu necessaria, ita vt clarè satis per eum intellecturi quæ modò in verbis meis nō satis potestis assequi, & præterea etiam alia omnia satis discituri quæ requirere poteritis, quæque modo propter vestram incapacitatem prætereo. Idem ille etiam suggeret vobis, hoc est, in memoriā reducet (Græcè enim est ὑπομνήσει, id est, commonefaciet & recordari faciet) quæcūque nunc dixero vobis, pro dixi vobis. Græcis enim est non futurū, sed præteritū ἐιπον. Ex qua explicatione patet duplicitèr hic accipi posse eam orationem: In nomine meo: quæ in diuersis locis pro materiæ exigentia diuersis debet modis explicari. Patrem enim dicit missurū spiritum in suo nomine, aut quia eum missurus erat in locum suum, dixit enim superius: Alium paracletū dabit vobis: aut quia eum missurus erat in gratiā filij qui pro spiritu hominibus impertiendo patrem erat rogaturus. Dixit enim: Ego rogabo patrem, &c. Duo autem dicit spiritum præstiturum ad intelligentiā pertinentia, nempe & quòd in memoriā esset reuocaturus quæ à se iam audierāt, & quòd omnia docturus esset, quæ scilicet aut iam in verbis suis non intellexerunt, aut vlterius requirere possent: ex quorū primo sequitur Apostolos ex obliuione non potuisse errare circa doctrinam Iesu & circa Euangelia scribenda aut approbanda: ex secundo verò sequitur eos nō errasse in aliquo quod docuerunt ad

salutem esse necessarium. Duo autem hæc & nunc in fidelibus suo modo efficit spiritus sanctus. Semper enim eos commonefacit sui officij, suggerens quæ ex Christi doctrina accepimus, quæ alioqui facilè mētibus nostris elaberentur, & in omnibus occurrentibus dubiis docet quid faciendum quidue credendum, si modo tamen nō prætermittātur ea media per quæ diuinitus ordinatum est vt spiritus suo doceat nunc homines afflatu, oratio scilicet, scripturarum pia & sedula lectio, & Ecclesiasticę doctrinæ quæ per concilia & conciones proponitur auscultatio. Per hæc enim exterioribus percepta sensibus docet interiori suo afflatu spiritus sanctus, sine quo nihil profuerit aut scripturas legisse, aut cōciones doctorum audisse, ita vt proptiè in spiritū quadret, quod hic ei tribuitur, docere omnia, adeò vt nec sibi id tribuerit Dominus quatenus sensibiliter suis loquebatur. De se enim dicit: Hæc locutus sum vobis. de spiritu verò: ipse vos docebit omnia. Proinde bene dixit Deo Psalmista: Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eū. Et Gregorius: De spiritu inquit, recte promittitur Ipse vos docebit omnia, quia nisi idem spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti tribuat homini, quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. *Psal. 93.*

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo.] Postquam Dominus præcedentibus respondisset interrogationi Iudæ, & alias Apostolorum exclusisset quæstiones, redit nunc ad propositam mœstorum Apostolorum consolationem. Nunc ergo eos consolatur, dum pacem, idque suam, eis se dicit relinquere & dare, quam scilicet eis dat post promissum spiritum, quòd hæc spiritus præsentiam sequatur. Fructus enim spiritus, inquit Paulus, est charitas, gaudium, pax. Etsi, inquit, abeam à vobis, tamen pacem quam hactenus habuistis in me, relinquo vobis, pacem, inquam, non quamlibet, sed meam, quæ sola est vera pax, do vobis, per quam fiet, vt non vos conturbent tumultus huius mundi quos videbitis exoriri in me & contra vos. Hæc autem pax Christi tria in se includit, & primùm quidem reconciliationem

liationem hominis cum Deo: deinde verò quæ ex agnitione huius gratiæ & amicitiæ, atque excommunicatione Spiritus sancti nascitur, tranquillitatem & securitatem mentis, necnõ & omnium internorum motuum debitam compositionem: postremùm mutuam hominum inter se concordiam, quæ ex mentis illa tranquillitate, & passionum atque affectuum debito ordine nascitur. Includit ergo pax hæc pacem hominis cum Deo, pacem hominis in seipso, pacem hominis cum proximis, quorum trium posterius semper nascitur ex præcedenti. Qui enim Dei erga se agnoscit in Christo exhibitam benignitatem, hinc colligit quandã animi securitatem, & præcedente gratia spiritus sancti, cõsequitur affectuum suorum debitam compositionem, vt nõ solito more tumultuentur, & in diuersa mentem abripiant, sed spiritui & rectæ rationi subiiciãtur. Hanc autẽ mentis dispositionem sequitur facilè mutua hominũ inter sese concordia. Discordia enim hominum inter se non ex alio nascitur, quàm ex mentis interna turbatione, & affectuum tumultu atque seditione. Qui verò mentem habet bene ordinatam & trãquillam, cum omnibus hominibus quantum in ipso est, pacem habet. Vnde Iacobus: Vnde, inquit, bella & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris quæ militãt in membris vestris? Hæc est illa pax quam in principio suarum epistolarum semper imprecatur Apostolus, sed gratiam præponens, vtpote ex qua profluat pax. Hæc est cuius insigne encomium extulit ad Philip. dicens: Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu. Hæc est quam Isaias prædixit Messiam daturum nobis, sicut & modo fecit. Domine, inquit, dabis pacem nobis: quam idem impijs negatam asserit, dicens: Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei qui longè est & qui prope, dixit Dominus. Impij autẽ quasi mare feruens, quod quiescere nõ potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non est pax impijs, dicit Dominus Deus. Hæc pax fideles munit & conseruat contra huius mundi omnes aduersitates & tumultus. Per mentis enim serenitatem fiduciamque in Deo, ac mutuam eorum inter se concordiam fit vt fortiter

Iacob. 4.

Philip. 4.

Isaiæ 26. & 57.

fortiter ac sine turbatione exteriores ferant & superent tumultus, quemadmodum in Apostolis experientia bene docuit. Cæterum quod additur: *Non quomodo mundus dat ego do vobis*] dupliciter potest accipi. Altero modo, vt sim paciter intelligatur Dominus indicare quare dixerit, meam, & sit sensus: Non quomodo mundus dat pacem, etiam ego do vobis pacem, hoc est, non talem pacem do vobis qualem mundus, hoc est, homines mundani. Hi enim dant pacem temporalem & externam, & proinde nec veram, nec solidam: ego verò spiritualem & internam, & proinde æternam & veram. Altero modo, vt intelligatur Dominus significare differentiam in modo dandi pacem, quomodo intelligendum vult Caietanus, quia non dicitur, non qualem mundus dat, sed nõ quomodo mundus dat. Differentia autem in modo hæc est secundum Augustinum, quòd mũdi homines ea intentione dant pacem, vt sine molestia litium & bellorum fruantur Deo sed amico suo mundo perfruantur: Christus verò suis dat pacem, vt Deo reconciliati, & animũ adepti tranquillum, etiam in mediis malis lætentur. Rursum in hoc est differentia, quòd cùm homines sibi mutuo pacem etiam temporalem non possint dare nisi imprecando, aut si etiam eã præsent, non possunt tamen præstare diuturnam aut perpetuã, Christus sic dat suam pacẽ, vt eam verè efficiat, & perpetuã esse faciat, ita vt nemo eam possit tollere. Indicat Euthymius & alium horum verborum intellectum, quo intelligitur non comparari pacem Christi cum pace mũdi, sed donum Christi cum dono mundi, vt sit sensus: Non eo modo do sicut mundus dat. Mũdus enim pecunias & possessiones suis largitur, ego verò pacem do longè præferendam omnibus mundi bonis. At primus intellectus videtur esse vt simplicior, ita & germanior, ad quem alluditur in Collecta pro pace, dum precamur eam nobis dari pacem quam mũdus dare nõ potest. Sic autem Christus abiturus pacem suis se dicit relinquere & dare: quomodo abiturus aut moriturus amicus legatũ aliquod amicis relinquere & dare solet, vt meritò hæc Christi pax testamentum eius & legatum appellari possit, quo nihil potuisset fidelibus relinquere melius & optabilius. Bene autẽ post

quam

quam dixisset: Pacem relinquo vobis: repetendo adiecit: pacem meam do vobis: addens iam, meã, & pro verbo, relinquo, substituës verbũ, do, vt explicaret de qua li loqueretur pace, & significaret se autorem esse pacis, quam se dixit relinquere, ne putaretur relinquere eam non suam, sed alienam. Hæc autem pax Christi in hac quidem vita non perfectè habetur à fidelibus, quia in eis semper caro concupiscit aduersus spiritum, & contrà nec est inter eos adhuc plena sententiarum & affectuum consensio, tanto tamen perfectius modo ab eis habetur, quanto eorum quisque perfectius habet spiritum sanctum, perfectissimè autem ab omnibus habebitur in patria, quando nulla erit in ipsorum membris repugnantia contra spiritum, nec aliqua animorum in sententiis aut desideriis diuersitas.

Ne turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis, quia.] Cùm iam variis, & postissimum sex rationibus suos Dominus fuisset consolatus, repetit iam vnde cœperat, & propter quod persuadendum omnia hactenus dixerat, rhetorum & prædicatorum in hoc morem seruans, qui id quod probandum est aut suadendum & in principio proponunt, & rursus post argumenta allata resumunt, ob maiorem vim persuasionis & doctrinæ. Duo autem dicit, vt scilicet nõ turbentur, neq; formident, quia Apostoli non solum turbabãtur mœrore ob abitum Domini quem diligebant, sed etiam ob illum abitum sibi timebant, ne ab illo essent deserendi, & ne multa sibi mala essent obuentura. Repetit autem vnam ex præcipuis rationem, ob quam meritò non deberent turbari. Audistis, inquit, quia ego dixi vobis, vado & venio ad vos. Quasi dicat: Quamuis dixerim me abire à vobis, nõ est tamen quod turbemini, quia ego qui dixi me abire, dixi etiam me venturum ad vos. Cùm autẽ hac sententia iã excluserit ab eis rationem turbationis ex parte ipsorũ, sequenti sententia excludit rationẽ turbationis ex parte sua. Quod enim sibipsis non deberent malè timere, ostendit dicens: vado quidem, sed rursum venio ad vos. Quod verò non deberẽt turbari & dolere ex dilectione erga se iã abeuntem, ostẽdit modo dicens: Si diligeretis me, tantum abest vt audientes me dicẽtem quòd ad patrem

tum vadam, dolere deberetis, vt potius gaudere & congratulari mihi deberetis, quia ad maiorem me abeo, apud quem proinde magno sum afficiendus honore, qui modo apud homines viuo inglorius. Itaque prius quidem Dominus varijs promissis conatur turbationẽ eorũdis tollere, nũc verò causas turbationis euertit, rhetorum etiam in hoc morem seruans, quorum & prius fas statuere, & deinde aliorum rationes subuertere. Quòd verùm quod dicit Dominus: pater maior me est: quidam veterum Arriani maximè suam tuebantur hæresim, simpliciter accipi potest in catholico sensu. Primò enim secundum Augustinum intelligitur Christum asserere patrem se esse maiorem, secundum humanam formam serui. Et omnino sic accipiendum ideo videtur, quia secundum id videtur patrem se dicere maiorem, secũdum quod ibat ad patrem. Ibat autem non secũdum diuinitatem, sed secundũ assumptam à se humanam naturam. Hilarium Diuus Augustinus lib. 1. de Trin. cap. 7. ex alia confirmat scriptura, sic scribens. Ille quidem dicunt (Ariani scilicet) minorẽ filium esse quàm pater est, quia scriptum est: Pater maior me est. Veritas autem ostendit secundum istum modum etiam seipso minorem filium. Quomodo enim non etiã seipso minor factus est, qui semetipsum exinaniuit, formã serui accipiens? Neque enim hic accepit formam serui, vt amitteret formam Dei, in qua æqualis erat patri. Si ergo ita accepta forma serui, vt non amitteretur forma DEI, cùm & in forma serui & in forma Dei idem ipse sit vnigenitus filius Dei patris, in forma Dei æqualis patri, in forma serui mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, quis non intelligat quòd in forma Dei etiam seipso maior est, in forma autem serui etiam seipso minor est. Secundùm, secũdum Chrysostomum Dominus patrem se dicit maiorem, non quia re vera maior erat, sed quia maior erat opinione Apostolorum. Aliquando enim Christus quædam simpliciter asserit secundum aliorum existimationem & assuetationem, vt cùm suprà dixit: Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. Et: Me scitis & vnde sim scitis. Et hic sanè intellectus etiam probè cõuenit proposito Domini.

Ioan. 8.

Ioan. 7.

Nam

Nam ad ostendendum eos ob suum ad patrem abitum debere gaudere, conuenitebat argumentum adferre ab eorum opinione & sententia, vt non tam à veritate quam à propria reprimerentur sententia. Huiusmodi enim sunt efficacissima argumenta. Et hunc item sensum indicat Diuus Augustinus cap. 9. libr. 1. de Trinitat. hic explicans verba Christi: Propterea me oportet ire ad patrem, quia dum me videtis, ex hoc quod videtis existimatis quia minor sum patre, &c. Tertiò, intelligitur à quibusdam pater in veritate dici maior filio etiam secundum diuinitatem eò quod filio sit principium generationis. Esse enim principium sonat aliquid excellentię & maioratis, quia maius est dare quam accipere. Sic Hilarius lib. 9. de Trinitate. Sic & Gregorius Nazianzenus libr. 3. de Theologia.

Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cum factum fuerit.] Cùm iam variis ostendisset rationibus non debere eos turbari & dolere quòd dixisset se ire ad patrem, ostendit modo cur id eis prædixerit, ne quis dicere posset illud potius filendum ipsis fuisse si eos diligeret, vtpote quos sciret inde inconsolabiliter contristandos. Et nunc, inquit, dixi vobis, quod scilicet vado ad patrem, priusquam fiat, non quod gaudeam vestro dolore, sed propter vestram vtilitatem, vt scilicet cùm factum fuerit quod modo dixi, credatis firmius in me, dum videbitis mihi nihil fuisse incognitum, & in omnibus semper fuisse veracem. Cùm autem hactenus eos fuerit consolatus, & orationes doloris eorum euertisset, & causam prædictionis vnde dolorem illum conceperant attulisset, finem huic sermoni imponere volēs, subiecit: Iam, id est, deinceps non multa loquar vobiscū. Venit enim, id est, iam venturus est (est enim venit, non præteriti temporis, sed præsentis pro futuro positi) venit, inquā, per vos satellites princeps huius mundi diabolus ad me cōprehendendum & occidēdum. Ne autem princeps iste quē venire dicit, fortior se esse putetur, & dominaturus mihi sicut aliis hominibus, adiecit: Et in me non habet quicquam: hoc est, nihil habet in me iuris, sicut habet in aliis ratione peccati: aut non habet in me quicquam quod suum est, quia non est in me peccatum quod solum est

diaboli, ac proinde non habet in me causam mortis, cuius solum peccatum hominibus est causa. D. Ambrosius lib. de fuga seculi cap. 4. duplicē affert huius loci lectionem & interpretationem. Altera lectio est: Et in me inuenis nihil. Qua intelligit significari diabolum nihil inuenisse in Christo quod suum erat. Altera est, quam diximus reperiri in plerisque libris. Non inueniet in me nihil: qua intelligit significari diabolum non inuenturum in Christo peccatum, quia peccatum nihil est. Huius autem secundæ lectionis causa est, quòd Græci duas habeant negationes, οὐκ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει τινά, sed duæ negationes Græco more positę sunt ad fortius negandum quare bene vertit noster interpres: In me non habet quicquam. Quoniam autem dicere quis poterat: Cur ergo venit contra te diabolus si non habet in te quicquam: cur morieris, si non habes peccatum, cui debetur mortis supplicium: continuò subiungit: Sed vt cognoscat mundus, &c. In quæ parte duplex est distinguendi modus. Quidam enim ea verba quæ in fine ponuntur: Surgite, eamus hinc: coniungunt sub vna sententia cum præcedentibus, vt sit sensus: Quanquam nihil in me habeat iuris diabolus, tamen vt cognoscat mundus quòd diligam patrem, & quòd sic faciam sicut mandauit mihi pater, ideo surgite, & eamus hinc obuiam satellitibus eius, Sic distinguit Diuus Augustinus & Nonnus, & habet hæc distinctio conuenientissimum sensum. Ideo enim & posteà hostibus suis occurrit Dominus, dicens Aporiamur: Surgite eamus, ecce appropinquauit qui me tradet: vt mundus intelligeret promptam Christi ad subeundam mortem obedientiam secundum patris voluntatem. Alij verò illa verba separant à præcedentibus, quemadmodum fit in hodierno Euangelio. Secundum quam distinctionem, in illo: vt cognoscat mundus, &c. erat est subaudiendum, ideo cedam potestati satanæ venientis, vel simile aliquid. Aut ea pars coniungenda est cum eo quod præcessit: venit princeps mundi huius: vt sit sensus: sed ideo me permittente venit, vt cognoscat mundus, &c. Sequuntur hanc distinctionem Chrysostomus & Cyrillus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN FESTO S. TRINITATIS.

EVANGELIVM.

Ioan. 3. *IN illo tempore: Erat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine princeps Iudæorum. Hic venit ad Iesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Iesus, & dixit, Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnũ Dei. Dixit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo renasci, cùm sit senex? Nũquid potest in ventrem matris suæ iterum introire, & renasci? Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuò. Spiritus vbi vult spirat: & vocẽ eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat. Sic est omnis, qui natus est ex spiritu. Respondet Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respõdit Iesus & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Amen amẽ dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrũ non accipitis. Si terrena dixi vobis, & nõ creditis, quomodo si dixero vobis cælestia credetis? Et nemo ascendit in cælũ, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternã.*

SAcratissimæ sacrosanctæ Trinitatis festiuitas conuenienti & optima methodo, in hanc dominicam est reposita, Auditores in Christo dilecti, eò quod S. Triadis mysterium, tum primum cæptum fuerit prædicari, cùm Spiritus sanctus descendisset in Apostolos, & ipsi passim Christi fideles, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti baptizabantur, eà propter & nos, quia id hodiernæ diei doctrina, horum etiam tẽporum necessitas, quibus variis in locis S. Trinitatis impugnatores & hostes emergunt, postulare videtur, quædã de S. Trinitatis mysterio, charitatibus vestris proponemus, antequã ad Euangelij enarrationem accingamur. Quemadmodum igitur ex Christi doctrina primùm aperte mundo declaratum

ratũ est in diuinitate subsistere patrem & filium in duabus personis, ita ex eiusdem doctrina, & maximè ex his quæ decimoquarto capit. Ioannis dicũtur de Spiritu sancto mundo apertè declaratum est Spiritum sanctum in diuinitate etiam subsistere distinctum personaliter à patre & filio. Hactenus enim neque scriptura vetus, neque Christus tam apertè spiritus sancti naturam & personam in diuinitate distinctionem explicauit, atque in illo fecit Ioannes sermone. Sicut enim redemptionis humanæ mysterium per Euangelicam Christi doctrinam primùm cœpit mundo clarè aperiri, ita & Christus primus Trinitatis mysterium apertè prædicauit, neque ordine congruo seruato. Prius enim duarum primum in diuinitate personarum, patris scilicet & filij, distinctionem insinuauit, quemadmodum patuit in superioribus sermonibus à Ioanne descriptis: deinde verò in postremo sermone, etiam à Ioanne solo (cui tanquam virgini reseruata fuit explicatio mysterij Trinitatis in diuinitate) descripto, Spiritus sancti personalem in diuinitate à patre & filio distinctionem insinuauit. Frequens quidem in veteri testamento fit mentio spiritus Dei, spiritus Domini, & Spiritus sancti, sed ex illis scripturæ locis ante Christum non clarè intelligebatur personalis Spiritus sancti distinctio à patre & filio, sed intelligebatur dici spiritus Dei, sicut dicitur bonitas Dei, sapientia Dei, vt per spiritum Dei nihil aliud significaretur, quàm ipsemet Deus, aut eius in hominibus afflatus & effectus. Sicut enim non conueniebat redemptionis humanæ mysterium clarè prædicari, priusquam illud perfectum esset, atque ob id primùm per Christum prædicari clarè conueniebat, vt qui illud erat perfecturus: ita ante Christũ trinitatis mysterium non cõueniebat aperte prædicari, tũ ne Iudæi qui ad idololatriam erant propẽdiũ exiſtimarẽt tres esse Deos: tum quòd huius mysterij explicatio meritò debuit Christo reseruari. Nam eum Deum nemo vnquam vidit, vnigenitum filium qui est in sinu patris, profundissimum diuinitatis mysterium reserare conueniebat. His accedit, quòd tunc quidem trinitatis mysterium aperiri debuit, cùm singulæ personæ singulari quodam pro redemptione hominum

effectu erant innotescendæ: quod factum est in aduentu Christi, quando pater innotuit mittendo filium, filius innotuit redimendo genus humanum, spiritus innotuit totum mundum destructa idololatria ad Christũ trahendo. Itaque vetus testamẽtum apertè quidem docet & inculcat Deum esse vnum, eumque rerũ omnium esse creatorem & gubernatorem: nouum verò præter hæc, Deum etiam esse trinum apertè docet, hominumq; redemptorem ad æternam post hanc vitam fœlicitatem obtinendam. Ne tamen videri possit noua hęc doctrina, spiritus diuinus sicut in veteri testamento insinuauit redemptionis humanæ mysterium, quanquam obscurius, ita & trinitatis insinuauit variis modis mysterium, ita vt illud in scripturis etiam Rabini quidam Iudæorum intellexerint ante Christum, edocti proculdubio aut ab afflatu diuino, aut à prophetis illud viua voce traditis his qui eius mysterij erant capaces. Pluralitatem enim personarum in vna natura subsistentium spiritus in scriptura indicauit, primùm dum nomen Dei, quod in scripturis primum occurrit & est frequentissimum, nempe Elohim, pluraliter ponit, addens tamen ei ferè semper verbum vel adiectiuum singularis numeri. Cùm enim legimus: in principio creauit Deus cœlum & terram: pro Deus, Hebræis est nomen non singularis neque dualis numeri sed pluralis Elohim, cui tamẽ additur verbum singularis numeri, Bara, id est, creauit, vt intelligamus pluralitatem personarum, vnius tamẽ naturæ & essentiæ, quarum personarum proprietates quidam intelligunt insinuatas in verbo Bara. Constat enim ea dictio apud Hebræos ex tribus literis Beth Resch & Aleph, quarum Beth principium est nominis filij. Beth enim filium illis significat. Aleph verò, prima est litera nominis patris, qui Hebræis dicitur Ab, vel Chaldaicè Abba. Resch autem prima est litera nominis Spiritus sancti. Spiritus enim Hebraicè dicitur Rouahh. Pluralitatẽ item personarum in diuinitate indicat & alterum nomen Dei, nempe Adonai. Nam & illud est pluralis numeri, valens perinde ac si diceretur: Domini mi. Proprium verò Dei nomen, nomen, inquam, tetragrammaton, etiam personarum Trinitatẽ, ac naturæ earum simplicita-

plicitatem & vnitatem simul repræsentat. Ipsum enim nomen cùm sit deriuatum à verbo Haia, quod esse sonat, significat essentiam: prima autem litera, quæ est adiecta & nominis propij constitutiua, nempe Iod, significat principium: tres verò sequentes literæ radicales, he, vau. He sonant, hic & ille, quibus tribus significantur tres personæ pater & filius, significati per duo He, quorum copula & amor est Spiritus sanctus, significatus per Vau coniunctionem copulatiuam. Significatur ergo eo nomine tres personas vnum esse omnium rerum principium, vnamque essentiam, vnde non sine gaudi mysterio hoc Dei nomen in antiquis Hebræorũ libris, atque in Chaldaica adhuc translatione scribitur per triplex Iod vnico puncto Kamets subscripto. Sic enim significatum est tres esse qui vnũ sunt principium, eandem habentes essentiam & naturam. Iam & illud trinitatis in vnitate mysterium non parum commendat lingua sancta, quod in ea omnis dictio ex sua natura trium & non plurium est literarum. Tres enim in vna dictione literæ trinitatem in vnitate repræsentant. Vt autem omittamus dictionum & nominum Hebraicarum obseruationem, quæ quibusdam curiosa nimis videtur, etiam variæ locutiones scripturæ pluralitatem personarum in vna diuinitate insinuant: quales sunt, quibus aut Deus de seipso, aut scriptura de Deo loquitur pluraliter, aut Deus aliquid fecisse à Deo, vel dixisse ad Deum scribitur. Inter quæ primò occurrit illud quod scribitur dixisse Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Hic enim non potest intelligi, vt volunt Iudæi, Deus locutus ad Angelos. Nam hi non fuerunt in creando homine Dei cooperatores, cùm de Deo solo dicatur: Formauit Deus hominẽ de limo terræ, & inspirauit ei spiraculum vitæ. Pater ergo ad filium loquitur & spiritum sanctum, quorum personalis pluralitas sicut significatur verbo pluralis numeri, faciamus, & pronomine, nostram: ita naturæ vnitas designatur, cùm singulariter dicitur: ad imaginem & similitudinem. Similis est locus Geneseos 11. cap. cùm Deus videns ædificationem turris Babel, scribitur dixisse: Venite igitur, descendamus & confundamus ibi linguam *Genes. 1.*

guũ eorum: cùm tamen mox subiiciatur: Diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras. Sic & alibi de Deo scriptura loquitur pluraliter. Nam Iosuę vltimo, vbi nos legimus: Non poteritis seruire Domino, Deus enim sanctus & fortis æmulator est: Hebræi ad verbum habẽt, si sic dicere liceat, quia dij sancti ipse. Et Ieremiæ 23. vbi nos legimus: Peruertistis verba Dei viuentis, Domini exercituũ Dei vestri: Hebræis est ad verbũ: Peruertistis verba deorum viuentium, Domini Dei vestri. Pluralitatem personarum indicant & istæ locutiones: Dominus pluit à Domino ignem & sulphur de cælo. Gen. 19. Dixit Dominus ad Satan, Increpet Dominus in te Satan. Zach. 3. Et aliæ multæ similes, quas breuitatis causa omittimus. Iam trinitatem personarum in diuinitate indicant & illę locutiones, in quibus nomen Dei terretetitur, vt in illo Psalmi: Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus. Et in illo Deuteronomij sexto, vbi Dei vnitas ex institutо maximè commendatur: Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est. Et rursum ea Seraphim acclamatio, qua ter vni Deo acclamatur, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth. Isaiæ 6. Patris autẽ & filij distinctas in diuinitate personas insinuat illud Prouerbiorũ: Non didici sapientiã, & nõ noui scientiã sanctorum. Quod nomẽ est eius, & quod nomẽ filij eius si nosti? Hic enim significatur, inter eos qui proprię dicuntur sancti, vnum esse patrem, & vnum filium. Spiritus verò etiam distinctam personam præter duas alias in diuinitate personas, manifestè satis insinuat illud Isaiæ: Accedite ad me, & audite hæc, nõ à principio in abscõdito locutus sum, ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius. Quæ verba nõ esse dicta in persona Isaię, sed Christi, patet tum ex eo quod sequitur: Hæc dicit Dominus, redemptor tuus sanctus Israelitum quia Isaiæ non conuenit illud: ex tempore antequam fieret ibi eram. Non enim Isaias adfuit in datione legis, in qua is qui hic loquitur, significat se locutum nõ in abscondito, sed palã. Commendat autem etiam personarum diuinarum non solũ trinitatem, sed etiã proprietates versus ille Psalmi: Psal. 32. Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis

uis virtus eorum. Cæterùm etiam antiquos Iudæorum ante Christũ in scripturis intellexisse insinuatum trinitatis diuinæ mysterium, ostẽdit Galatinus prolixè lib. 2. contra Iudæos. In nomine enim Dei tetragrammaton intellexerunt insinuatam trinitatem diuinam, vnde cùm esset ineffabile, illud exponebant per aliud nomen duorũm literarũ, quod erat, Ab ben, verouahh haccados. Hoc enim nomen ex multis constans dictionibus, apud Hebræos 12. continet literas, & valet idem quod pater, filius, & spiritus sanctus. Et rursum Isaiæ 6. ternam nominis Sanctus repetitionem illi sicuti & nos referebant ad patrem, filium, & Spiritum sanctũ, sicut ostendit Galatinus per quendam Rabbi Simeonem, & alium Rabbi Ionathan, qui Chaldaicã fecit editionem. Iam verò etiã Gentiles Philosophos, maximè Platonicos, agnouisse trinitatis in diuinitate mysteriũ, indicat D. Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei cap. 14. & prolixius D. Cyrillus lib. 8. contra Iulianum, post hos verò prolixissimè Augustinus Steuchus libr. 2. de perenni philosophia, nõ quòd hoc mysterium assequi homo possit naturali intellectus lumine, sed quòd siue ex oraculis Deorũ, siue ex Chaldæorum Hebræorumque doctrina obscurè aliquid de trinitatis mysterio intellexerint. Platonem enim & Pythagoram ab Ægyptiis, & hos à Chaldæis pleraque didicisse certum est. Itaque de Mercurio illo qui Trismegistus dictus est, sic scribit Suidas: Mercurius Trismegistus, id est, Ter maximus, is fuit sapiens Ægyptius. Floruit autem ante Pharaonem. Appellatus est autem Ter-maximus, quoniam de trinitate edidit oraculum, dicens in trinitate vnam esse diuinitatem his verbis: Erat lumen intellectuale ante lumen intellectuale. Et erat semper MEs Mentis luminosa. Et nihil aliud erat, quàm horum vnitas, & Spiritus omnia continens. Extra hunc nõ Deus, non angelus, non substantia vlla alia. Omnium enim Dominus & pater & Deus, & omnia sub ipso & in ipso sunt. Nam verbum eius perfectum existens, & fœcũdum, & opifex, lapsum in fœcunda natura, & aqua fœcunda prolificam fecit aquam. Hæc Suidas de Trismegisto. Cuius Philosophiam secutus Plato tres in variis locis indicat diuinitatis gradus. In Epistola enim ad

Dionysium, qui eum de natura Dei percunctatus fuerat, sic respondet: De natura Primi loquendum est tecum per ænigmata, vt si quid Epistola ponto vel terra perpessa fuerit, qui legerit non intelligat. Sic habet rea, circa omnium regem omnia sunt, & illius gratia existūt omnia, illeque est causa omnium bonorum, secundum autem circa, secunda, & tertium circa, tertia. Porphyrius autem Platonis interpres, in quarto libro historiæ Philosophi, vt testatur Cyrillus loco prædicto, scribit Platonem asserere, vsq; ad tres hypostases siue subsistentias, Dei progredi essentiam, & esse quidem dicit summè boū Bonum, post illum autem secundum Conditorem, tertium autem mundi animam. Nam vsque ad animam diuinitate progredi. Per animam autem mundi, Platonē Poëtasq; intelexisse eum quem nos vocamus Spiritum sanctum, docet Calcidius super Timæum, & Cyrillus contra Iulianum, quod per hunc spiritum tanquam per animam vegetatur & regitur mūdus. Proinde Plotinus maximus Platonicus librū scripsit περὶ τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων, id est, de tribus principalibus subsistentiis, cuius libri & Augustinus meminit loco prædicto, in quo libro summum Bonum ipsamq; excellentissimam vnitatem, ex priscorum philosophia facit primam hypostasim, secundam ipsam mentem, tertiam Animam mundi, animamque viuificatricem, amatricem omnis viræ: nullum toto mundo esse animal, quod non acceperit ab ea vitam, ab hac omnem vim substantiamq; omnem suppetere, multaque alia huic animæ tribuens, quæ scriptura sacra tribuit Spiritui sancto, vt latius videre licet apud Steuchum. Trinitatis insinuationē apud Ægyptios habuit, quod de illis scribit Damascius Platonicus, ter illos primo principio acclamare solitos. Primum, inquit, principium appellabant tenebras, super omnem cognitionē tenebras incognitas, ter illud acclamantes. Rursum trinitatis vtcunq; cognitę olim insinuationem habet quod Aristoteles lib. 1. de cælo & mundo, scribit, Pythagoricos in tribus posuisse perfectionem rerum, velut principio, medio & fine, & in deorum sacris hunc numerum solitum vsurpari, vnde putantur esse verba illa magæ apud Vergilum: Terna tibi hæc primum triplici diuersa colore

colore Licia circūdo, terq; hæc altaria circum: Effigiem duco, numero deus impare gaudet. His operæpretium est adiicere oraculum Serapidis, qui consulenti Thuli, qui in Ægypto regnauit bello Troiano, quisnam esset locupletior, fertur dixisse carmine, vt ferè oracula carmine reddi consueuerunt:

Ἀρχὴ θεὸς, λόγος τε καὶ πνεῦμα σὺν ἀρχῇ,
Καὶ πάντα ἓν ἐν τρισὶ πάντα καὶ ἐκ τριάδος.

Principio Deus est, tum sermo, & spiritus istis
Additur, aquæve hæc sunt, & tendentia in vnum.

Erat Ludouicus Viues in commentariis libri 10. de ciuitate dei. Quo oraculo magis adhuc admirandū est Apollinis oraculum, quod sub Christi decessum, respōdit eram carmine, interrogatus de vera religione, vt refert Steuchus vltimo capite lib. 2. qui & Græca sic vertit carmina: Ne me vtinā sopremū, infœlix ipse sacerdos Scitia de sancto ac diuino genitore. Et sobole chata, rebus magni imperantis, Et flatu, qui mundum astrictū conseret omnem, Montes, tellurem, fluuios, mare, tartara & ęthē. Ærasque: heu tēplis is me discedere cogit istis, loquetur, quo edebā oracula, limē. Et hæc quidē paucis annuisse sufficit, vt hinc intelligatur trinitatis mysterium & in scripturis veteris testamēti insinuatū fuisse, & à Iudæis etiā intellectum, nec ab his solūm, sed & à Philosophorū principibus, quod tamen vt à paucis tetro fuit cognitum, & admodū imperfectè cognitum, & obscurè, vt Christum fuerat palam prædicandum, & perfectius intuendum, quod & Iudæos quosdā testatos esse, citatis eorum sententiis demonstrat prædicto loco Galatinus. Adiunguntur autem à nostris etiam naturales quædā rationes ad probandum personarum in diuinitate trinitatem, non quòd huiusmodi rationibus sufficiēter id possit probari, sed quòd rationes illæ ostendant valde congruere diuinitati personarum trinitatē & pluralitatem. Hinc ad probandum pluralitatem, aliqui induxerūt rationē ex ratione infinitæ bonitatis diuinæ, quæ seipsam infinitè communicat in processione diuinarum personarum. Quidam verò per hoc, quod nullius boni sine cōsortio potest esse iucunda possessio. Augustinus autem procedit ad manifestandum trinitatem personarum ex

processione verbi & amoris in mente nostra. Similiter alij ex processione luminis & caloris à luce solari. Sed vt redeamus eo vnde digressi sumus, Christus sicut iam superius frequenter apud Ioannem patris & filij distinctas personas in diuinitate insinuauit, etiam in hoc sermone tertiam personam, nempe Spiritus sancti, aperire primùm cœpit diligentius. Quòd enim Spiritus sanctus distincta sit à patre & filio persona, manifestè præter alia quę hoc sermone dicuntur, significatur per hoc quod pater dicitur eum missurus in nomine filij. Hinc enim sequitur eum nec patrem esse, nec filium. Quòd autem hæc à patre & filio distincta persona verus etiam sit Deus, vnius omnino cum patre & filio naturæ, ex infinitis sc. pturarum patet locis, quibus ea tribuũtur Spiritui sancto, quæ Deo sunt propria, & Deo in scripturis tribuuntur: qualia sunt, esse vbique, esse & habitare in hominibus, replere homines, loqui per prophetas, viuificare & sanctificare creaturas, aliaq; innumera, vt quod hoc loco Dominus illi tribuit dicés: Ille vos docebit omnia. Cùm enim Deus per Isaiam capite 54. promisisset vniuersos Ecclesiæ filios fore doctos à Domino, quod & supra cap. 6. Ioannis citauit Dominus, hic dicit Spiritum sanctum doctum eos omnia. Est ergo Spiritus sanctus etiam Dominus & Iehoua (nam apud Isaiã est hoc nomen terragrammaton) & eiusdem cum patre naturæ, de quo patre suprà dixit Dominus: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Quæ autem sit huius tertiæ personæ à patre & filio in diuinitate distinctæ personalis distinctio, etiam hic indicat Dominus, dum ad distinctionẽ ipsius à se, vocat eum spiritũ sanctum. Cum enim nomen paracleti etiam sibi esset commune, ad distinctionẽ adiecit: Spiritus sanctus. Cæterùm vt cognoscatur quomodo hoc nomẽ, Spiritus sanctus, proprium sit tertię in diuinitate personæ, cum & pater sit Spiritus, & sanctus, ac similiter filius, sciendum quòd nomen, spiritus, sicuti & πνεῦμα Græca dictio, propriè significat ventum spirantem & flantem: quia autem ventus res est minimè corporea & inuisibilis, hinc vocabulum hoc metaphoricè dicitur de omnibus rebus incorporeis, vt de

Ioan. 6.

de diuina natura, de angelis, de anima, quę & ipsa sic dicta est, quasi ἄνεμος, quod est ventus. Hac ergo ratione & pater est spiritus & filius, quorum vtrique cum conueniat nomen, sanctus, vterq; etiam, sicut & ipsa diuinitas, est Spiritus sanctus. Ea tamẽ ratione qua hoc nomẽ spiritus, dicitur à spirando, nomen hoc, spiritus, appropriatum est tertiæ personæ, eò quòd hæc per modũ spirationis procedit à patre & filio. Ab his enim personis procedit æterna processione, sicut amor à mente intelligente, & verbo mentali, hoc est, cogitatione. Amor autem, veluti spiratur, quia sicut ventus qui spiratur, impellit & mouet aërem & alias res, ita & amor impellit & mouet voluntatem amantis in rem amatam. Et quoniam per modum spirationis à patre procedit & à filio æterna sua processione, hinc ei in scripturis accommodantur illi diuinæ naturæ in creaturis effectus, qui afflatum quendam diuinitatis important: vt sunt, viuificare, afficere mentes hominum, sanctificare, docere, illuminare, & id genus alia, vnde nomen spiritus ei non tantùm propriè conuenit, ratione æternæ processionis suæ in modum spirationis, sed etiam ratione huiusmodi effectuum, qui ei in creaturis appropriantur, eò quòd per huiusmodi effectus veluti spirat, mouet & afficit creaturas, & veluti animæ in corpore obit officia, producendo eas in esse, viuificando, continendo, mouendo, sanctificando, interius docendo, & afficiendo mentes hominum. Vnde Dominus hanc nobis rationem satis significauit, cùm daturus suis post resurrectionem Spiritum sanctum, prius insufflauit in eis, actum dixit: Accipite Spiritum sanctum: cumque in die Pentecostes Spiritus sanctus eis rursum datus est cum sonitu spiritus, hoc est, venti vehementis. Ab huiusmodi effectibus statim in exordio mũdi insinuatus est hic spiritus, cum dicitur: Et spiritus Domini ferebatur super aquas, siue vt habet Hebraica veritas, fouebat, aut incubabat super aquas, instar scilicet gallinæ suo calore & afflatu ova incubantis, & viuificantis. In nouo verò testamento ab effectibus magis spiritualibus, qui scilicet hominem supra se elenarent, & diuinæ facerent naturæ consortes, magis innotescere cœpit, dum noui diuinitatis effectus in mo

in modũ afflatus passim in tõto orbe cum magna energia apparere cœperunt in hominibus, ob quos effectus metitò iã dicitur Spiritus sanctus, cùm in principio Geneseos dicatur spiritus Domini, quanquam & nomẽ Spiritus sancti aliquoties occurrat in veteri testamento. In nouo tamen frequentius hoc reperitur ob effectus sanctificationis, quos in plenitudine temporum copiosius in hominibus operari cœpit. Dicitur ergo appropriatè Spiritus sanctus, quia à patre & filio instar flatus ab æterno procedens, suaque natura sanctus existens, imò ipsa sanctitas, afflatu suo diuino mirabiliter mentes hominum sanctificat. Et hæc quidem de Spiritu sancto in præsenti officiant loco.

Erat autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum, &c.] Quoniam in præcedentibus Euangelista dixerat multos ex conspectis à Christo factis miraculis credidisse in Christum, iam ex omnibus de vno quodam præcipuo recenset, quomodo discendi gratia Christum adierit. Erat, inquit, homo quidam nomine Nicodemus, qui & erat sectæ Pharisaicæ, & princeps Iudæorum, hoc est, vnus ex principibus & primoribus Iudæorum. Quæ duo apposita sunt, eò quòd alioqui totus ferè Pharisæorum atque principum ordo Christo semper fuerit contrarius. Vnde Ioan. 7. dicunt: Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisęis? Hic itaque venit ad Iesum nocte, partim quod puderet eum qui inter Iudaicæ gentis principes dignitate præeminebat, humilis Iesu discipulũ videri: partim & magis, quòd timeret ne eius gratia in Pharisæorum & sacerdotum inuidiam pertraheretur. Sciebat enim permultos sui ordinis & sectæ, Iesu insidiari & inuidere, quod hic significare rursum voluit Euangelista. Quamuis autem nocturnus iste accessus satis declararet humanum quendam tum pudorem animi nõ satis humilis, tum timorem animi non satis amantis Iesum, vt cuius gratia suæ existimationis & gloriæ iacturam facere nollet: Dominus tamen doctor mansuetissimus, qui calamum quassatum non comminuit, & linum fumigans nõ extinguit, nõ repulit timidum atque intempestiuum salutatorẽ, sed comiter accepit, imbecillum quidem adhuc, sed malitiæ expertem, & ob hoc dignum qui paulatim ad sublimiora proueheretur. Is itaq; primum aperiens quantum ex cõspectis illius miraculis profecerit, hac præfatione captare cœpit beneuolentiam Iesu: Rabbi, inquit, iam persuasi sumus, ac certò credimus, te non ex teipso docẽdi munus suscepisse, sed à Deo te missum esse in hoc vt viam salutis mortalibus perdoceas. Id ipsum, certò de te credimus, propterea quòd nemo possit hæc signa facere quæ tu edis, nisi Deus illi adsit, faueat, & cooperetur. Bene autem dicit: hæc signa quæ tu facis. Nam & diabolus cum suis ministris multa facere potest quę videntur esse miracula & signa, idque partim per iudificationem sensuum, partim per coniunctionem occultarum causarum naturalium. Vnde Paulus 2. ad Thessal. 2. dicit aduentum antichristi futurum secundùm operationem satanæ in signis & prodigiis mendacibus. Et Apocal. 13. dicitur de bestia secunda: Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret descendere de cœlo in terram in conspectu hominum. Verùm talia signa qualia Christus fecit, non ad ostentationem, sed ad vtilitatem hominum, facere nemo potest nisi diuina virtute: qualia sunt conuertere aquam in vinum verum, cæcis præbere visum, claudis gressum, & in vniuersum facere vera signa & miracula, hoc est, quę excedunt omnem potestatem rerum naturalium. Nec obstat huic dicto Nicodemi, quod Deus aliquando miracula huiusmodi vera faciat per malos, vnde Matth. 7. dicit Dominus, in die illa multos dicturos: Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? quibus tamen dicturus est: Non noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ. His enim etsi Dominus non adsit per gratiam suam, nec sit cum eis omnibus quæ faciunt, adest tamen eis in miraculorũ patratione: quæ cùm non fiant ab eis in nomine ipsorum, nõ probant eos esse bonos & sanctos, sed sanctum esse nomen illud in quo facta sunt, ac veram esse doctrinam quam prædicant. Sunt enim miracula vera, teste Gersone, veluti sigillum quoddam Dei, quo vtitur in testimonium & confirmationem veritatis, sicut in

2. Thes. 2

Apoc. 13

Matt. 7.

attesta

atteſtationem veritatis reges & alij ſigillo quodam apposito vtuntur. Bene itaque ex ſignis quæ non niſi diuina virtute fieri potuerunt, intulit Nicodemus cælestem & diuinam fuiſſe Chriſti doctrinam. Sic & 3. Reg. 17. dixit mulier Sarepthana ad Eliam: Nunc in iſto cognoui quod vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt. Et Marci vltimo dicuntur Apoſtoli prædicaſſe vbique Domino cooperante, & ſermonem cõfirmante ſequentibus ſignis. Porro Nicodemus hanc ſuam de Ieſu opinionem, propoſuit vt magnificam ac præclarã, quum tamen longè eſſet infra eius dignitatem. His enim verbis ſatis ſignificabat, ſe nihil aliud eum fuiſſe ſuſpicatum, quàm Prophetam aliquem aut doctorem veracem, cui Deus faueret, & adeſſet in edendis miraculis, quaſi ea non ederet ſuapte virtute. Nõdum enim intellexit Deum ſic fuiſſe cum Ieſu, quomodo nos intelligimus, quia ſcilicet in eo diuinitas humanitati coniuncta fuit in vnitatem perſonæ: quanquam & hic ſingularis modus quo Deus fuit cum Ieſu, intelligi potuiſſet ex ſingulari illo modo quo fecit miracula. Fecit enim non in nomine alterius, ſed quaſi propria autoritate, & in confirmationem eius quod Deum patrem ſuum aſſeruit.

Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus.] Quemadmodum Dominus pro ſua manſuetudine non dedignatus eſt admittere ad colloquium, eum quem ſciebat pudore quodam ac timore accedere ad ſe nocturno tempore: ita pro ſua humilitate non indignatus eſt ei, qui imperfectam adhuc de ſe opinionem habuit, nec ſtatim ſe iactabat qualis eſſet, ſed blãda comitate docilem paulatim prouehit ad Euangelicæ doctrinæ penitiora myſteria, incipiẽs à regenetatione baptiſmali, quæ principiũ eſt Chriſtianiſmi. Porrò cùm reſpõſio ſaluatoris impertinenter ſe habere videatur ad verba Nicodemi, Theophylactus ad hũc modum eam reſpondere facit verbis Nicodemi. Quandoquidem Nicodemus humilem de Chriſto habebat opinionẽ, nempe quòd magiſter eſſet, & Deus eſſet cum illo, dicit ei Dominus: Meritò ita de me ſentis. Nondum enim natus es ſuperne vel denuò, ſed adhuc carnalis ac ob id & tua

& tua de me opinio, carnalis & humana. Ego autem dico tibi, quòd niſi tu aut quiſquis alius fuerit ſuperne & denuò nati fueritis, non poteritis dignam de me habere opinionem, nec videre regnum Dei, hoc eſt, cognoſcere me vnigenitum Dei filium. Intelligit enim Theophylactus regnum Dei hic vocari ipſum Chriſtum Cyrillus autem ſic verba Chriſti intelligit ſubiuncta verbis Nicodemi, vt quoniam ille ſatis ad ſalutem eſſe putaret, ſi tantummodo admiratione digna admiraretur, propterea quod nihil à Domino quæſiuit, ſed tantùm confirmauit eum à DEO miſſum magiſtrum: ideo Dominum voluiſſe his verbis docere, non nudis verbis adipiſci poſſe iuſtitiam, Nec omnem qui dicit: Domine, Domine, intraturum regnum cælorum, ſed qui fecerit voluntatem patris: eam autem eſſe, vt ſpiritum ſanctum homo ſuſcipiat. Verùm ſimplicius fuerit intelligere, Nicodemum, poſtquam dixiſſet Dominũ ſe credere à Deo miſſum in præceptorem hominum, deinde etiam interrogaſſe qua ratione poſſet conſequi vitam æternam & regnum cælorum, quod Ioannes & Chriſtus iam prædicauerant. Atque hanc interrogationem inſinuaſſe Ioannem reſponſione Chriſti, quemadmodum ſuperius interrogationem Phariſæorum indicauit reſponſione Ioannis dicentis: Non ſum ego Chriſtus. Aut certè intelligendum ſaluatorem, quoniam ex verbis Nicodemi ſatis intellexit quorſum ſpectarent, & propter quid ipſum adierit, videlicet vt ſciret viam & rationem ſalutis, mox incepiſſe eum inſtruere, exordiens ab eo quod in ordine ſalutis primum eſt, quaſi dicat: Scio Nicodeme percupidum te eſſe, vt à me, quem à Deo miſſum magiſtrum credis, audias rationem conſequendæ ſalutis. Quare illud habeto pro indubitato, animo omnia requiri ad conſequendam ſalutem, vt quis denuò naſcatur. Sciendum autem dictionem Græcam ἄνωθεν, quã noſter interpres vertit, denuò, eſſe ambiguã. Significat enim quãdoque ſuperne vel è ſupernis, quomodo accipitur poſtea hoc eodem capite, cùm dicitur: Qui de ſurſum eſt, ſuper omnes eſt. Atque in hac ſignificatione accipiunt hoc loco ferè omnes Græci, nominatim autem Theophylactus & Cyrillus, intelligentes

ſignificari

significati debere hominem nasci è supernis, hoc est, ex-
lesti generatione. Chrysostomus autem & huius significa-
cationis meminit & alterius, qua significat hæc dictio i-
dem quod πάλιν, hoc est, iterum vel ab integro, & à prin-
cipio. In qua significatione debere hic accipi patet ex re
spõsione Nicodemi. Si enim Iesus dixisset, oportet nasci
è supernis, non obiecisset Nicodemus ea quæ sunt gene
rationis carnalis. Deinde cùm dicit Nicodemus: Nun-
quid potest in ventrem matris iteratò, vel, vt habent
Græca, δεύτερον, secundò, introire, manifestè satis patet
Christum dixisse, oportere nasci denuò. Nam quod di-
cit Theophylactus, Nicodemum postquam audiuit il-
lud ἄνωθεν, intellexisse ab initio & iterum, cùm Domi-
nus voluerit significare, è supernis, locum habere posset
si Christus Nicodemo Græcè locutus fuerit. In Hebræa
autem lingua non est æquiuocatio respondens æquiuo-
cationi huius Græcæ dictionis. Vnde & in Syriaco Euã-
gelio est, denuo. Porro Amen, dictio Hebraica est, habés
apud Hebræos eum vsum, vt per eum aliquid confir-
ment, idem valens quod apud nos aduerbium, verè. Ve-
rit enim à verbo Hæmin, quod est, credidit, firmauit,
asseruit. Et aliquando quidem hac voce, Amen, optatur
perfectio eorum quæ dicta sunt, quomodo lex cogebat
mulierem adulterij infamatam respondere Amen Amẽ,
post lectam imprecationem, vt est Numer. 5. Sic quum
recitabantur deuotiones & maledictiones contra trans-
gressores legis Dei, respondebat populus Amen, vt legi-
tur Deuteron. 27. Sic & Psal. 40. 71. 88. & 105. illud, Be-
nedictus DEVS in seculum, clauditur per Amen Amen,
pro quo Septuaginta bene verterunt, γένοιτο γένοιτο, fiat
fiat, non quod Amen hoc propriè significet. Non enim,
vt quidam putant, verbum est, sed nomẽ vel aduerbium
confirmandi. Tamen sic vertendam eam dictionem pu-
tauerunt Septuaginta, quod quando sic ponitur vt per
eam optetur perfectio eorum quæ dicta sunt, eius vis
apud nos melius exprimi nequeat. Aliquando autem
hac voce confirmantur quę dicenda sunt, vt cùm ea fal-
sator vtitur in Euangelijs, & tunc rectè explicatur per
verè aut certè. Vnde pro eo quod Lucæ 21. dicitur: Verè
dico vobis quia vidua hæc pauper plus quàm omnes

Amen quid significet.

Num. 5.

Luc. 21.

misit, Marci duodecimo, dicitur: Amen dico vobis, &c.
Cæterùm geminatio huius dictionis, quæ semper inue-
nitur apud Ioannem, similiter & in fine Psalmorum, &
Num. 5. confirmationem intendit: quare quamuis pro
more Hebræorum Ioannes hanc dictionẽ geminauerit,
tamen hæc geminatio ei potius competebat quam reli-
quis Euangelistis: quòd ea quę à Ioanne differũtur, ma-
gis sint cælestia & sublimiora, ideoq; attentiorem audi-
torit animum flagitantia, ac proinde maiori assertione
confirmanda, vt annotauit etiam Rupertus hoc loco.
Aliquando verò hæc dictio, Amen, in scripturis accipi-
tur vt sit nomen significans idem quod verus vel veri-
tas, vt Isaiæ 65. Qui benedictus est super terram, bene-
dicetur in Deo amen: & qui iurat in terra, iurabit in
Deo amen, hoc est, fideli & veraci. Illa autem oratio:
non potest videre regnum Dei: quam sic multi intelli-
gunt, vt per regnum Dei accipiatur Christus: alij, vt
intelligatur doctrina Euangelica, & videre pro intelli-
gere, rectius intelligitur esse Hebraismus, idem pol-
lens quod, non poterit esse particeps regni Dei, quod est
vita æterna. Sic enim in Psal. dicitur: Non dabis sanctum *Psal. 15.*
tuum videre corruptionem: pro eo quod est, sentire &
subire corruptionem. Sic dicitur & videre mortem. Lu-
cæ 2. & Ioan. 8. Nam quod hoc loco videre regnum Dei
sic accipi debeat, patet ex eo quod postea pro videre re-
gnum Dei, dicatur, introire in regnum Dei.

Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci cum sit senex &c.] Cùm potuisset Dominus adeo apertè quod
dicendum erat explicare, vt à Nicodemo facilè intelligi-
retur, tamen obscurius locutus est, tum vt Pharisaicã su-
perbiam comprimeret, tum vt hominis ruditatem elice-
ret, ac sic paulatim erudiret, & ab effectu carnali trans-
ferret ad intelligẽtiam spiritualẽ. Itaq; cùm Nicodemus
non intelligeret natiuitatem aliquam, nisi carnalem quę
fieri non posset, miratur quomodo Saluator denuò
nascendum esse dicat. Quamuis autem omni ætati sit
impossibile denuò nasci corporaliter, tamen meminit
specialiter senectutis, tum vt ab ætate omnino contraria
nascenti obiectio esset euidentior, tum quòd ipsemet se-
nex esset, ac ob id de se exemplum prompserit, ac si di-

ceret: Ego sum senex, & meam quæro salutem, quomodo ergo fieri poterit vt renascar? Porro quemadmodum bene intellexit Nicodemus corporalem natiuitatem repeti non posse, ita quoque intelligendum spiritualem non posse iterari. Quomodo enim, inquit Augustinus, vterus repeti non potest, ita nec baptismus.

Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.] Rursum Dominus non est offensus tam crasso hominis responso, & interrogatione incredulitatem quandam præ se ferente, sed sciens eum animo discendi cupido interrogasse, nō grauatur interpretari quod obscuris dictum erat, & ostendere quomodo quis denuò nasci possit & debeat, non scilicet ex vtero matris, sed ex aqua & spiritu sancto. Significat ergo secundam hanc natiuitatem quam exigit, non esse carnalem, sed spiritualem. Sicut enim necesse est hominem carnaliter nasci ex matre & patre, priusquam ingrediatur in vitam hanc temporalem, & regnum possessionemque huius mundi carnalem: ita vt quis introcat in vitam illam æternam & regnum Dei spirituale, necesse est prius spiritualiter renascatur, idq; ex aqua & spiritu. Et sanè vt regeneratio, omni tempore necessaria ad consequendum regnum cælorum, fieret ex spiritu, semper fuit necessarium: verùm vt etiam ex aqua fieri deberet, Christo primū instituentum est, qui baptismum Ioanni proprium, in aqua scilicet, coniungēs baptismo sibi proprio, nempe in spiritu Christianum constituit baptisma in aqua & spiritu, per quod regeneraretur homo ad nouam vitam, & consequendum regnum Dei. Vt autem in aqua simul & spiritu regeneratio fieret, sapienter & inconuenienter institutum est. Primùm, vt quoniam homo ex duabus constat partibus altera visibili, altera inuisibili, etiam regeneratio quæ ad totum spectat hominē, in duobus illis consisteret: quorum vnum visibile, corpus hominis visibile cōtingeret alterum verò inuisibile, mētem hominis inuisibilem inuisibiliter renouaret. Secundò, vt quoniam pro statu huius vitæ adhuc crassi sumus, spiritualia nō intelligētes nisi per corporalia, externa aquæ ablutione perciperemus interiorem spiritus purificationē & renouationem, quæ nullo alio symbolo sensibili cōuenientius, quàm

quàm aqua significari potuit, tum quod suis proprietatibus & spiritum nos lauantem regenerātemque & sanguinem Christi in quo lauamur appositè significet: tum quod per immersionem in ipsa factam, & mysteria mortis ac resurrectionis Christi quibus renouamur repræsententur, & quid in nobis ad imitationem Christi fiat videlicet quod cum Christo commorimur, & consepelimur mundo atque peccato, & rursum cum illo resurgimus ad nouitatem vitæ, vt docet ad Romanos Paulus. Rom. 6. Tertiò, vt regeneratio fieret per vnum sensibile & alterum insensibile, etiam ob id conueniebat, quoniam qui regenerantur, Ex ecclesia & Deo regenerantur, filij scilicet matris Ecclesiæ & Dei patris: quorum illa per aquæ ministerium visibile regenerat, hic per spiritum suum inuisibiliter. Vt autem regeneratio nunc per aquam fieret, & spiritum, cùm prius solùm fieret per spiritum, conueniebat. Primùm, eò quod sicut sub Christo primùm cæpit prædicari apertè regnum cælorum & hęc spiritualis regeneratio: ita & ab ipso primùm instituendum erat huius ad consequendum regnum cælorum regenerationis symbolum, quo tamen non solùm intelligeremus spiritualem hanc innouationem, sed eandem etiam efficaciter consequeremur, ac de consecuta certiores redderemur. Secundò, quoniam iam ex omnibus gentibus plerique regenerandi erant ad vitam æternam, ob id iam conueniens erat signum quoddam institui quò à se mutuo dignoscerentur quicunque ad eam essent regenerati, & adscripti nouo illi populo, ad quem pertineret promissio regni cælorum: quemadmodum olim circuncisionis signo dignoscebantur quinam eum pertinerent populum, cui promissiones terræ Chanaan, aliæque veteris legis, factæ erant. Atque ob hanc duplicem causam omnia sacramenta nouæ legis instituta sunt, videlicet vt posteaquam per Christum exhibetur omnibus gratia Dei, per visibilia quædam signa gratia hæc & significaretur, & efficaciter communicaretur. Deinde, vt per huiusmodi signa nouus christianorū populus in vnum coadunaretur, quemadmodum docet Augustinus primo capite libr. 1. ad inquisitiones Ianuarij dicens: Deus sacramentis numero paucissimis obser-

uatione facilimis, vsu saluberrimis, societatem noui populi inter se colligauit. Quam ob rem hæc sacramenta Græci appositio vocabulo dicuntur σύμβολα, vel etiam συνδέσματα. Dicuntur enim Græcis σύμβολα & συνδέσματα quæ Latinis dicuntur tesseræ, signa scilicet professiua communionis & societatis. Antiqui enim habebant tesseras, hoc est, signa quædã vel ex plumbo, vel coreo, vel panno, vel simili re, quibus in bello milites significabant cuius erant exercitus, quæ dicebantur tesseræ militares: aut quibus vtebantur alterutrum inter se confœderatæ ciuitates, quæ dicebantur tesseræ hospitales. Sic & per nostra sacramenta profitemur nos esse de exercitu Christi, & esse ciues ciuitatis ac societatis in Christo collectę, hoc est ecclesię Dei. Cuius professionis respectu etiam a Latinis scriptoribus videntur hęc signa dicta in primis sacramenta. Nam sacramentum propriè dicitur apud probatos authores iusiurandum, quo se milites astringunt suis ducibus fidelitatem promittentes, quod ob id sacramentũ dicebatur, quia sacrum habebatur & inuiolabile. Ita enim & nos sacramẽtis nostris obligamus nos ad cultũ diuinum & Dei seruitutem, sicut de circuncisione dicit Paulus: Testificor omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Gal. 3. Porro hæc nostra sacramenta & symbola, non sunt gratiæ Dei signa nuda, quemadmodum veteris legis, sed signa efficacia, vt quæ gratiam quam significant etiã efficaciter exhibeant. Cùm enim in veteri lege gratia Dei per Christum nondum esset exhibita, sacramenta illorum gratiam venturam adumbrarunt quidem & promiserunt, sed non cõtulerunt. Verum quoniam iam hæc gratia exhibita est per Christum, signa talia sunt instituta, quæ non solùm gratiam hanc significarent, sed etiam conferrent, cooperante scilicet in eis spiritu Dei. Vt autẽ sic sint efficacia signa, cũ nõ habeant ex sua natura, habent ex beneplacito instituentis Christi, quemadmodum more solenni annulus aut purpura missa à principe, signum est efficax inaugurandi aliquem alicui magistratui aut authoritati, non quidem ex aliqua vi quę hęreat in ipsis symbolis ex illorũ natura, sed ex voluntate principis, qui ea ad hoc instituit. Esse enim nostra

stra sacramenta, efficacia signa, præter alios scripturę locos etiam ex hoc loco constat cum regenerationem nõ solùm spiritui sancto, sed simul etiam aquæ tribuat Dominus. Aduertendum autem, saluatorem, dum dicit: Nisi quis renatus, &c. necessitatem imponere omnibus, ac proinde etiam paruulos debere renasci ex aqua & spiritu. Nam eos posse intrare regnum cælorum nemo facilè negauerit, cùm talium dicat Christus esse regnum cælorum. Nec obstat quod quidam sine baptismo aquæ soluentur, vt qui catechumini morte occupantur, aut qui in sanguine martyrij baptizantur. Hi enim omnes renati sunt ex aqua, saltem in voto, etsi necdum re ipsa.

Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.] Postquam ostendit secundam generationẽ à prima longè esse diuersam, vtpotè quæ ex aqua est & spiritu, ostendit iam quanta sit differentia inter id quod priori, & quod secunda nascitur generatione: ex qua differentia etiam satis indicat rationem, ob quam necesse sit denuò nasci, idque ex aqua & spiritu, vt consequendum regnum Dei. Cùm enim spirituale & cæleste regnum Dei, caro & sanguis possidere nequeat, vt habet D. Paulus, necesse est vt id quod ex carne tantùm caro natũ est, deinde etiam ex spiritu nascatur spiritus, vt sic regnum Dei ingredi possit. Cùm autem hic dicitur caro est, & spiritus est: caro accipi debet pro re vel homine carnali, quam Paulus vocat hominem animalem, qui non percipit ea quæ sunt cælestia & spiritualia, sed tantùm ea quæ sunt carnis. 1. Cor. 2. Spiritus verò pro homine spirituali, quomodo dicit Paulus: Qui adhæret Domino, vnus spiritus est. 1. Cor. 6. Ac sic facilè soluitur difficultas quæ ex his verbis oriri potest de Christo, qui cùm secundum carnis generationem natus sit ex carne, videtur dicendus caro: cumq; secundum eandem generationem natus sit ex spiritu, dicendus erit spiritus. Dicendum enim, totum Christum, propterea quod ex spiritu natus sit, esse spiritum, non carnem, quomodo hic ex dictiones accipiuntur. Non enim hic substantiam denotãt, sed qualitatem. Nec obstat quòd Christus etiam natus sit ex carne. Nam istud: quod natum est ex carne, intelligi

debet cum exclusione spiritus, hoc modo, quod natum est ex carne & non ex spiritu. Aut quod natũ est ex carne, hoc est, carnali generatione, idipsum est carnale quatenus ex ea est. Aut quod natum est ex carne, tanquam principali principio productiuo. Itaq; natiuitas ex spiritu est duplex. Quædam corporalis, ea scilicet qua Christus natus est homo ex spiritu sancto. Alia spiritualis, quo nos ad illius similitudinem nascimur inuisibiliter filij Dei, atq; de hac potissimum hic est sermo: quanquã & priorem illam natiuitatem ex spiritu debere comprehendi sub secundo membro, satis patet ex his quæ scribit Paulus, primo Corinthiorũ decimoquinto, vbi Christum comparatum ad primum Adam, vocat hominem celestem & habentem corpus spirituale. Cyrillus tamen & spiritus, videtur accipere vt significent substantiam, carnẽ scilicet pro altera hominis parte quæ à carne seminatur: spiritum verò pro anima rationali, quam ex spiritu natam intelligit, tum quod ab ipso ex nihilo ad esse producta sit, tum quod per ipsum sit reformata & diuinæ naturæ particeps effecta. Verùm hic sensus vt non satis videtur proposito conuenire, ita relinquit magnam difficultatem de carne Christi, & præterea Christus non vnam hominis partem ex carne natam vult dicere, alteram verò ex spiritu, sed totum hominem natum esse ex carne, & totum natum esse ex spiritu, vt patet ex eo quod sequitur: Sic est omnis qui natus est ex spiritu.

Non mireris quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuò, &c.] Hæc pars dupliciter accipi potest. Primò, vt ex superioribus inferatur in hunc sensum: Cùm iam Nicodeme intellexeris secundam natiuitatem non esse talem, qualem opinabaris, videlicet ex carne, sed ex spiritu, atq; ob id quod ex spiritu gignitur, longè diuersum esse ab eo quod ex carne, ne igitur mireris quod dixerim necesse esse vt denuò nascamini. Secũdò accipi potest, & melius, vt ad sequentia referatur, eò quòd indocto exemplo videatur Dominus voluisse Nicodemum reuocare ab admiratione. Quæ tamen sequentia dupliciter quoque intelliguntur: Chrysostomus enim, Cyrillus, cæterique Græci, cum dicitur: spiritus vbi vult spirat: intelligũt per spiritum, vẽtum & aerem, qui spirare dicitur vbi vult, quia nõ coercitus arbitrio hominum, naturali impetu fertur quouis, quasi libertatem quandam habens voluntatis. Vocem autẽ eius audimus, hoc est, sonum & stridorem, quomodo & tonitrui sonus frequenter in Psalmis vox dicitur. Nescimus verò vnde spiritus veniat aut quò vadat, quia nõ videmus, nec sub sensum cadit vnde veniat aut quò vadat, quamuis sciamus per aliqua externa signa vnde veniat. Aut quòd quamuis sciamus in generali ventorum principium, non tamen in speciali, hoc est, ignoramus certum & determinatum locum vnde incipiant, & vbi desistant. Itaq; iuxta hanc intelligentiã simile istud sic est accommodandũ proposito: Miraris Nicodeme, quod dixi denuo nascendum esse, eò quod secũdam natiuitatẽ nullo sensu comprehendas: verùm cùm iam dixerim secundã generationem esse ex spiritu, non debet te id perturbare. Nã sicut aereus iste spiritus nullo obstante fertur quouis, & cùm strepitum eius audias nescis tamen eius originem aut finem quò tendat: ita quoque se habet omnis qui natus est ex spiritu, ac tale quiddam in eo accidit. Spiritus enim sanctus ex quo renati sunt, quos vult afflat, & aspirat arcanis suis afflatibus, cumq; vis & efficacia huiusmodi afflatus sentiatur tum ab eo qui renatus est, qui se aliam sentit effectum, tum ab aliis hominibus, qui quasi nouos iam suspiciũt & admirantur homines sic renatos: tamen vnde eis vis illa noua adsit, aut quò eos agat, neque percipitur aliquo sensu ab iis qui sic sunt renati, neq; intellectu etiam comprehenditur ab iis qui eodem spiritu nondum sunt afflati. Intellige ergo, quod quomodo non est subiecta aliquibus legibus humanis, nec perceptibilis est via huius spiritus aerei, nec eum nisi ex effectu suo cognoscis: ita quoq; natiuitas hæc quam dixi ex spiritu, neque naturę legibus subiicitur, neq; humana ratione aut sensu percipi potest: percipitur aũt ex efficacia spiritus agẽtis & regẽtis eos quos regenerauit suo afflatu. Porrò alij inter quos Augustinus ne nomẽ spiritus æquiuocè hic accipiatur, & quia ventus impropriè dicitur velle, ac deinde non videtur verum de vento quod nesciatur vnde veniat, aut quò vadat, intelligunt hic per spiritum, spi-

ritum, vẽtum & aerem, qui spirare dicitur vbi vult, quia nõ coercitus arbitrio hominum, naturali impetu fertur quouis, quasi libertatem quandam habens voluntatis. Vocem autẽ eius audimus, hoc est, sonum & stridorem, quomodo & tonitrui sonus frequenter in Psalmis vox dicitur. Nescimus verò vnde spiritus veniat aut quò vadat, quia nõ videmus, nec sub sensum cadit vnde veniat aut quò vadat, quamuis sciamus per aliqua externa signa vnde veniat. Aut quòd quamuis sciamus in generali ventorum principium, non tamen in speciali, hoc est, ignoramus certum & determinatum locum vnde incipiant, & vbi desistant. Itaq; iuxta hanc intelligentiã simile istud sic est accommodandũ proposito: Miraris Nicodeme, quod dixi denuo nascendum esse, eò quod secũdam natiuitatẽ nullo sensu comprehendas: verùm cùm iam dixerim secundã generationem esse ex spiritu, non debet te id perturbare. Nã sicut aereus iste spiritus nullo obstante fertur quouis, & cùm strepitum eius audias nescis tamen eius originem aut finem quò tendat: ita quoque se habet omnis qui natus est ex spiritu, ac tale quiddam in eo accidit. Spiritus enim sanctus ex quo renati sunt, quos vult afflat, & aspirat arcanis suis afflatibus, cumq; vis & efficacia huiusmodi afflatus sentiatur tum ab eo qui renatus est, qui se aliam sentit effectum, tum ab aliis hominibus, qui quasi nouos iam suspiciũt & admirantur homines sic renatos: tamen vnde eis vis illa noua adsit, aut quò eos agat, neque percipitur aliquo sensu ab iis qui sic sunt renati, neq; intellectu etiam comprehenditur ab iis qui eodem spiritu nondum sunt afflati. Intellige ergo, quod quomodo non est subiecta aliquibus legibus humanis, nec perceptibilis est via huius spiritus aerei, nec eum nisi ex effectu suo cognoscis: ita quoq; natiuitas hæc quam dixi ex spiritu, neque naturę legibus subiicitur, neq; humana ratione aut sensu percipi potest: percipitur aũt ex efficacia spiritus agẽtis & regẽtis eos quos regenerauit suo afflatu. Porrò alij inter quos Augustinus ne nomẽ spiritus æquiuocè hic accipiatur, & quia ventus impropriè dicitur velle, ac deinde non videtur verum de vento quod nesciatur vnde veniat, aut quò vadat, intelligunt hic per spiritum, spi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritum Dei, ac saluatorem isto simili voluisse ostendere, aut in quo sensu dixerit eũ qui natus est ex spiritu, esse spiritum, quomodo intelligit Caietanus, aut potius eum qui natus est ex spiritu, quod attinet ad eam natiuitatẽ, non posse sensibiliter cognosci, quomodo nec ipse spiritus ex quo natus est. Spirat vtique ille vbi vult, nulloq; creaturæ arbitrio moderari potest, nihil illum prohibere. Electos suos afflat, nouosque reddit, cùm ipsi visum fuerit. Huius vocem homines audiunt. Nam in sanctis loquitur, verùm vnde ille sanctis adueniat quoque eos agat ignorant. Prophetas vtiq; audiebat populus diuina disserentes, in quo vocem spiritus clarè percipiebat: at vnde ille spiritus eis aduenirent, aut quò abiret ignorabant. Saul regem antea spiritu vacuum, prophetiæ spiritus inualerat, & vox prophetica ex eo audiebatur: verùm vnde veniret illi spiritus, & quo abiret, vulgò nesciebatur. Quomodo ergo spiritus ille non nisi effectu cognoscitur, ita & spiritualis natiuitas non nisi effectu comprehenditur. Verùm prior intelligentia omnibus perpẽsis multo videtur accommodatior. Nam interpretatio Caietani, qui vult in tribus conditionibus natum ex spiritu assimilari spiritui, coacta nimis & dura est. Secundum aliorum autem intelligentiam, non videtur esse diuersitas aliqua, aut non magna inter secundam partem similitudinis & primam.

Respondet Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri?] Nicodemus crassior, in Iudaica adhuc imperfectione subsistit, propterea iterum rogat quomodo possunt hæc fieri, non repugnans quidem Iesu, sed non intellectum sermonem planius cupiens sibi explanari. Nõ dicit autem: quomodo potest istud fieri: sed pluraliter, quomodo possunt hæc fieri. Tria enim dixerat Dominus quæ non assequebatur Nicodemus, videlicet quod oporteat renasci ex aqua & spiritu, quod sic natus efficeretur spiritus, quodque hæc regeneratio imperceptibiliter fieret. ne his ergo omnibus modum quo fieri possint inquirit. Iesus autem primùm quidem ei monstrat suam imperfectionem, & tarditatem minus quàm in aliis tolerandam, non quidem volens illi insultare, & exprobrare, sed potius vt deposito Pharisaico supercilio humiliet,

humiliet, dum intelligere eum facit quam sit in his rudis ipse qui alios docere se posse profitebatur. Tu, inquit, doctoris nomẽ & officiũ obtines in populo Israelitico, & hæc ignoras? Verùm videri posset hæc saluatoris obiectio absurda, quemadmodum absurdè diceretur iurisperito: Tu es doctor legum, & ignoras ea quæ sunt Theologiæ? Hæc enim quæ modò dixit saluator, sunt nouæ legis dogmata, nõ veteris, cuius Nicodemus erat professor. Itaq; Theophylactus intelligit Nicodemum doctorem legis veteris, ideo non debuisse hæc ignorasse, & necdum credidisse, qui ex miraculis maximis quæ in veteri testamento continentur, debuisset intellexisse hæc eo modo fieri posse quo illa facta sunt, vt sic sensus iste: Si in memoriã redigeres miracula veteris testamenti, quomodo scilicet Eua ex costa Adæ formata sit, quæ prodigia facta in Ægypto, quomodo sterilis pepererit, & id genus alia, facilè deprehenderes id fieri posse quod dico. Quemadmodum enim illa fuere miranda, & supet intellectum, & tamen credis ea sic facta: ita quantumuis hæc sint mirabilia & supra captum, credas omnem necesse est. Secundũ quem sensum quod dicitur: & hæc ignoras: accipiendum erit pro eo quod est, & hæc nõ credis, vel non assequeris quomodo possint fieri. Alij verò melius intelligunt, Nicodemus, eò quòd doctor esset Israelis, non debuisse hæc ignorasse, tum quia in scripturis veteris testamenti variæ continentur figuræ regenerationis quæ fieri debebat per aquam & spiritum, vt transitus per mare rubrum, diluuium mundi, ac purgatio Naaman in Iordane: tum quia scripturæ prophetarum apertè satis loquantur de spiritu Dei renouante & regenerante, atq; de aqua quę in diebus Messiæ peccata hominũ abluetur. Dauid enim dicit: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Et rursus precatur: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Sic & Ezechielis 11. promittitur cordis innouatio quæ futura sit per spiritũ Dei: dabo, inquit, eis cor nouũ & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideũ de carne eorum, & dabo eis cor carneum. Similia habẽtur & cap. 36. Iam & de aqua baptismali multi loquuntur prophetæ, vt Zachar. 13. & Ezechielis

Psal. 102

Psal. 50.

chielis 36. vbi promittitur pro innouatione aqua munda & spiritus Dei.

Amen amen dico vobis, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur.] Postea quam Dominus reprehendit crassam & culpabilem tarditatem Nicodemi, propter vendicatam legis intelligentiam, iam reprehendit ipsius & aliorum Iudæorum tarditatem in credendo, propter testimonij certitudinem, ostendere quoq; volens ea quæ sunt suæ, hoc est, cælestis doctrinæ: non percipi rationibus humanis, quibus ille ea percipere quærebat, sed fide ad intelligendum ea opus esse: sibi autem huiusmodi prædicanti meritò omnibus modis credendum esse, vt qui non testetur nisi de exploratis & visis, hoc est, certò cognitis. Quod autem dicitur hic pluraliter: quod scimus loquimur, &c. intelligunt quidam Christum de se loqui & Ioanne: alij verò etiam de omnibus Prophetis qui ante fuerant. Verum quoniam vidisse cælestia mox soli Christo tribuitur, cùm dicitur: Nemo ascendit in cælum, &c. rectius alij intelligunt Christū de se loqui pluraliter. Aut potius simul comprehendi cum Christo patrem & spiritum sanctum. Patrem enim secum testificātem facit cap. 8. dicens: Non sum ego solus, sed ego, & qui misit me, pater. Et in lege vestra scriptum est: Quia duorum hominum testimonium verum est. Itaque, vt annotauit Rupertus, pluraliter hic locutus est Dominus, idq; in solo hoc versu, eò quod testari se profiteretur, & sermonem suum testimonium appeller, testimonium autem vnius legitimū & ratum non sit, quare patrem & spiritum simul secum testificantes facit. Porrò cùm testimonium dicit, significat fide quæ dicebantur ab ipso percipienda esse, non ratione & scientia. Testimonium enim non ad scientiam, sed ad fidem faciendā pertinet. Sensus ergo est: Verè dico vobis, quod non, quemadmodum Prophetæ, quæ afflatu spiritus didici, & audiui à Deo, hæc loquor vobis, sed certa cōperta q; loquor. Nec ego solus, sed & qui in me loquitur pater, ea vobis testificātes in terris, quæ certò perspeximus in cælis. Cumq; duorū testimoniū sit ratum, ac receptissimum sit testimoniū testium oculatorum, vos tamen Iudæi testimoniū nostrum tam probatum & certum non

accipitis, hoc est, nō approbatis, humanis scilicet rationibus id quærentes percipere, quod sola fide comprehendēdum est. Loquitur autem ad Nicodemum pluraliter, siue quòd cum Nicodemo quidam Iudæi vnà veniant ad Christum (vt intelligit Caietanus, eò quòd dixerit Nicodemus: Scimus quia à Deo venisti magister) siue quia Nicodemus princeps erat Iudæorum, ad quē tāquam ad omnes Iudæos & Pharisæos maximè sit locutus. Postquam autem arguit eorum in credendo tarditatem propter testimonij certitudinem, eandem rursum arguit propter eorum credibilium quæ dicta erant & testata facilitatem. Si, inquit, terrena dixi vobis, &c. Quę sententia cùm variè tractetur, dupliciter p[er]issimū exponi potest. Primò, vt per terrena, intelligātur ea quæ superius dicta sunt de regeneratione spirituali, quæ etsi nihil minus sit quàm res terrena, vt & omnia cælestis magistri nostri cælestia erant, non terrena: tamē hic terrenum dicitur, siue quòd in terris peragatur, siue potius per comparationem ad alia fidei nostræ sublimiora mysteria, de natiuitate scilicet æterna filij ex patre, de processione spiritus, &c. & ad ea bona quę post hanc vitam reuelanda sunt filiis Dei. Itaq; terrena hic dicūtur, quæ ad alia collata crassa sunt, longeq; inferiora ipsis, vt sit sensus: Si non creditis mihi in his quæ modò dixi crassioribus mysteriis, quæ doctrinæ Euangelicæ sunt rudimenta, quomodo crediturі estis, si alia longè sublimiora, quę ab his quę modò dixi tantùm distant, quantum cælestia à terrenis, vobis aperire cæpero, illa scilicet regni Dei arcana planè cælestia? Cùm enim nemo non sentiat, omnes sensus & cogitationes humani cordis propēdere ad malū, nemo quoq; ignoret cæli municipa tū nō posse cōtingere nisi iustis & sanctis, nec tales posse fieri homines nisi spiritu Dei sancto, nō adeo abstrusum & cæleste erat quod de renascentia ex spiritu dictū fuit, sed quasi terrenū quid & crassum. In hunc sensum ferè Chrysostomus, Theophylactus, & Cyrillus. Secundo contrario modo secundum Augustinum & Rupertū intelliguntur hic per cælestia, ea quę prius de regeneratione spirituali dicta sunt: per terrena verò, ea quę dixerat de ædificando templo in triduo. Aut secundum Fabrum,

brũ parabolæ,& similitudines à rebus terrenis desumptæ,quibus docuerat fortè populum in solennitate Paschali.Itaque secundum hanc intelligentiam Dominus hac sententia significat, non esse mirum,quòd non crederet Nicodemus superioribus verbis, quando ne his etiam credidissent Iudæi quæ prius dixisset in templo longè inferiora his de regeneratione mysteriis.Hæc expositio multum conuenit ei lectioni quæ est aliquibus Græcorum libris,οὐκ ἐπιστεύσατε,id est,non credidistis.

Et nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in,&cæt.] Theophylactus hæc putat sic cũ superioribus coniungenda, vt quoniam prius Nicodemus significauit se Christum habere tãquam prophetã aliquẽ,Dominus iã corrigat illius de se sententiã,ostendens se non esse de numero Prophetarum, qui de terra existentes à Deo missi fuerunt,sed è supernis esse, Prophetis omnibus superiorem, vt quorum nullus in cælum ascenderit. Alij verò sic coniungunt cum superioribus, vt quoniam dixit Christus de credendis cælestibus,iam quædam eorum quæ planè necesse est credere explicet,videlicet se Deum esse & hominem, ac mysterium passionis ipsius. Melius autem secundum Cyrillum intelligitur Christus his verbis voluisse indicare rationem, quare meritò sit habenda fides ipsi cælestia prædicanti,etiamsi primus ipse hæc apertè cœperit prædicare, vt sit hæc cum superioribus connexio: Meritò mihi cœlestia vobis prædicãti credere debetis,etsi nemo ante me hæc sic apertè prædicauerit, nec multos mecũ in testes deposcere.Nemo enim cælestia ita nouit atque ego,quia nemo ascendit in cælum,nisi, &cæt. Porrò illud:nemo ascendit in cælum:cùm videatur falsum propter iustos qui iam ex hominibus in cælum migrant, dupliciter solet intelligi. Primùm, vt solus Christus dicatur ascendisse in cælum,quia solus propria virtute,iure ac merito ascendit. Reliqui verò velut rapiuntur in cælum, nec nisi iure ac merito Christi. Secundò, vt per hoc quod solus ipse dicitur ascendisse, non intelligatur excludi iusti,vt qui sint membra ipsius:quemadmodum cùm dicitur solus homo aliquis esse in domo, nõ excludũtur ipsius hominis membra, sed potius includũtur.

Neuter

Neuter autem horum sensuum conuenit proposito.Nõ enim hic,ascendit,est præsentis temporis, vt præsupponunt prædictæ interpretationes,sed,vt patet ex Græcis, quæ habent ἀναβέβηκεν, est præteriti temporis,ita vt de ascensione corporali, quæ tunc adhuc futura erat, non possit intelligi. Verùm iam remanet dubium, quomodo Christus iam tum ascenderat in cælum. Neque enim ascenderat secũdum humanam naturam, sed neque secundum diuinam, quia illi non competebat ascendere. Itaque Caietanus intelligit Christum iam ascendisse in cælum secundum animam, quia scilicet illa iam ab initio conceptionis consecuta erat beatificam Dei fruitionem, ad quam nullus adhuc inter homines tunc temporis peruenerat,Rectius tamẽ intelligitur Christus secundum diuinam naturam ascendisse tum in cælũ. Nõ enim hic,ascendere,motum aliquem denotat, sed ascẽdisse in cælum nihil aliud hic est, quàm contemplatum esse omnia cælestia,& quæcunq; Dei sunt perfectè collustrasse & perdidicisse. Sic enim hoc loco hæc locutio est accipiẽda,quomodo in Psal.similis locus,dũ dicitur: Existimabam vt cognoscerẽ hoc:labor est ante me,Donec intrẽ in sanctuarium Dei,id est, donec à rebus terrenis abstractus cæpero diuinæ dispẽsationis rationes expendere. Idẽ ergo his verbis dicitur hoc loco quod superius,cùm dixit:Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius qui est in sinu patris,ipse enarrauit.Descendisse autem è cælo dicitur Christus,non quòd cælum reliquerit,(nam ne hoc puraretur, adiectum est: qui est in cælo:Neque propterea quòd, vt intellexit Valentinus, corpus cælestè attulerit è cælo) sed tum quia diuinitas in cælo existens,in terris naturam humanam assumpsit, tum quia & ipsum corpus quod assumpsit, conceptum sit ex Spiritu sancto. Itaque & secundum diuinam naturam,& secundum humanam descendit è cælo,quamuis potissimùm hic sit habitus respectus ad diuinam naturam assumentem humanam. Notandum autem contra Nestorianos,hic dici filium hominis esse in cælo & descendisse è cælo, atque ascendisse in illud,cùm tamen hæc non competant ei tanquam filio hominis,sed tanquam filio DEI, & DEO:per quod manifestè significatur

Psal.72.

Quomodo Christus à cælo descendisse dicitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur vnã esse filij Dei & filij hominis hypostãsim & personam,ita vt propter hanc vnitatem quæcunque dicuntur de filio DEI, etiam vetè dicantur de filio hominis, & contrà.Hac ergo sententia paucorum verborum tria hæc credenda Christus,naturæ scilicet humanæ assumptæ veritatem,cùm se dicit filium hominis,hoc est, hominem:diuinæ naturæ veritatẽ, dum se è cælo descendisse & in cælo esse asseruit:ac harum naturarum in vnitatem personæ coniunctionem,dum filium hominis dicit esse in cælo.

Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium.] Secundum Erasmum istud sic cõiungitur superioribus, vt quoniam prius dixit filium hominis descendisse è cælo,hic causam huius descensus indicet. Secundum quam connexionem coniunctio, & hic causaliter accipi posset, quomodo sæpe accipitur etiã apud probatissimos autores. Alij verò aliter hanc partem superioribus connectunt. Verùm si consideretur processus Christi, hic videtur esse ordo, vt postquam superius Nicodemo nuærenti quomodo possunt hæc fieri,Christus respondit,fide hæc esse percipienda, ac meritò sibi fidẽ habendam,etiamsi solus hæc noua prædicaret:iam docear non solum credendum sibi tanquam vera prædicanti,sed etiam tãquam autori salutis per crucẽ, fideique huius esse maximum fructum,simul indicans etiam per fidem hominem posse regenerationis ex aqua & spiritu fieri participem, atque regenerationem hanc pẽdere ex merito passionis suæ.Si enim per fidem in exaltatum filium hominis fit vt quis non pereat, sed habeat vitam æternã,ergo regeneratio quę fieri debet ex aqua & spiritu,vt quis habeat viram æternam, à passionis Christi efficacia & merito pendeat necesse est. Bene autem saluator Nicodemo mysteriũ suę passionis,quod illo tempore nondum apertè erat prædicandum,insinuauit nomine exaltationis, comparando eam cum exaltatione serpentis,vt quę nude dicta intelligere non potuisset,ex figura legis in qua versatus erat, melius assequeretur. Est autẽ hæc figura inter omnes figuras crucis & passionis,maximè aperta & apposita.Indicat enim Christi occisi,quasi seductor fuisset & populi corruptor,innocentiam,

tiam,mortisq; eius genus ac virtutẽ,nostros à veris serpentibus letales morsus, ac modũ quo ab eis per Christum curari possumus,ita vt in hac figura totum adumbratæ passionis & incarnationis mysterium delineetur. Sicut enim olim cùm in deserto oberrãs Israeliticus populus,à veris serpẽtibus letalia vulnera accepisset,à quibus nõ nisi diuino beneficio curari potuerũt qui percussi fuerant, Moyses nõ verũ,sed æneum serpentẽ ex præcepto Dei erexit in ligno,vt qui percussi fuerãt,solo aspectu ab imminente eis certo interitu liberarẽtur:ita procurandis nostris letalibus vulneribus quę ex suggestione illius serpentis quòd primos momordit parẽtes,omnes cõtraximus in deserto huius mũdi, Christus à peccato quidem omni & veneno alienus, sed tamen à similitudinem carnis peccati veniens,ac tanquam serpentinæ malitiæ à Iudæis reiectus & habitus, in ligno crucis exaltatus est,vt solo aspectu oculorũ fidei curari,ab imminente morte æterna liberaremur, ac vitam æternam consequeremur.Hinc ad hanc figurã alludẽs postea aliquoties saluator suã crucifixionẽ, exaltationem vocat. Cùm,inquit, exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.Ioan. 12. & 8. cap. Cùm exaltauerit is filium hominis,tunc cognoscetis quia ego sum.Non caret autem mysterio & ratione, quod Moyses nõ ligneum aut lapideum, sed æneum serpentem fecerit. Aeneus enim serpẽs magis Christum exprimebat, tum propter suam soliditatem,tum quòd ex igne conflatus esset. Sic enim significabatur soliditas corporis Christi, quod morte ipsa destrui non potuit,sed in æternum efficax perseueret, ac eundem charitatis igne excoctum, suspensum fuisse in cruce. Et quidem Moysi præceptum non fuit vt faceret serpentem æneum. Nam quamuis nos legamus.Num.21. dictum Moysi:Fac tibi serpentem æneũ pro, serpentem æneum, Hebræis est vnica dictio Saraph,quam prius noster interpres vertit,serpentes ignitos,hoc est,vrentes.Id enim propriè significat ea dictio, cùm deriuetur à verbo quod accendere significat. Aeneum ergo fecit Moyses serpentem,ex igne conflatum, quia sic melius figuram expressit serpentum ignitorum à quibus percussus erat populus,ac vmbrã Christi, qui

& ipse

& ipse ignitus fuit, sed alio igne quàm quo igniti sunt veri illi serpentes, à quibus vulneratum fuit letaliter genus humanum. Dicit autem Rabbi Ioseph, medicos asserere cum quem momorderit serpens, statim mori si inspexerit æs, ac propterea ex præcepto Domini Mosen æneum serpentem fecisse, vt miraculum magnificaretur, dum contra communem naturæ cursum æs factum est salutare percussis à serpētibus. Quod & ipsum si verum est, rectè mysterio crucis conuenit, eò quod ipsa crux, de qua prius dictum erat: Maledictus omnis qui pendet in ligno: nobis iam conuersa sit in benedictionem: & quod prius erat malefactoribus mors, factum est omnibus vitæ occasio & causa. Potrò ex eo quod serpens æreus, qui ex sua natura non habuit curādi infirmitatem, solo cōspectu sanabat, idq; ex institutione diuina, discendum quomodo symbola sacramētorum instrumenta sint salutis & gratiæ Dei, vt quomodo baptismus aquæ regeneret. Quemadmodum enim serpēs ille quòd per aspectum sanabat, ex Dei erat institutione, qui credentibus verbo eius per huiusmodi serpentem ictos curabat: ita quoque aquæ tinctio, quæ ex sua natura nō habet virtutem mundandi mentem, ex Dei tamen institutione habet, vt per eam fidelibus mentis innouatio conferatur à Deo.

DOMINICA I. POST TRINIT.

EVANGELIVM.

Luc. 16. *In illo tempore. Dixit Iesus discipulis suis, & turbis Pharisæorum: Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ante ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat. Sed & canes veniebant & lingebant vlcera eius. Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem diues: & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans, dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia cruciar in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur: tu verò cruciaris. Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare. Et ait: Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.*

IStа Euangelij narratio, grauissimis de causis hodie in Ecclesia proponitur: Absoluta siquidem priore anni parte, in qua redemptionis ordinem, redemptorisque omnia opera, certa distributione pertractauimus: Ingressi nunc sumus, diuina fauente gratia, etiam reliquam, quam peregrinationis tempus, mater nostri, appellare consueuerunt. Porro, quia omnis Christianæ religionis basis, & profectionis ad beatitudinem, principium sit fides sacrosanctæ Trinitatis, & baptismi signaculum iubemur accipere in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Hinc est, quod in fronte huius temporis, festum Trinitatis, & doctrinam in Euangelio de spirituali regeneratione, quę in baptismate confertur, Ecclesia simul proposuit. Cui mox corporis Christi festū ordine quàm maximè congruo, succesſit, hoc fine, vt renatos intelligerent, qua alimonia acceptam in baptismate vitam fouerent, ac enutrirent. Cæterùm quoniam pieque falsa persuasione delusi, salutem sibi solo fidei, sacramentorumque præsidio, absque bonorum operum studio pollicentur, prudentissimè factum est, vt post baptismi, cœnæque declarationem, hæc primitus ex Euangeliorum penu doctrina depromeretur. In qua, præterquam, quod peregrinantibus methodum, inter anfractus, & mūdi discrimina, aduersa & prospera, quid quisque sequatur, aut præstare debeat, ostenditur: præcipuè tradit fidem, vt in circumcisis, ita neque in baptizatis, sine

timore Dei, sine reuerentia scripturæ, sine temperantia, beneficentia, modestia, patientia, reliquisque virtutibus, non solùm inutilem ad salutem, verum etiam grauiorem conciliare damnationem. Largimur fidem, fundamentum esse salutis, sine qua nemo placere potest Deo, verum & fundamentum sine partibus & tecto dominum non constituit, ita sola fides non perficit Christianismum. Scopus autem hodierni Euangelij, si contextum spectemus, moralis est. Exhortatur enim primò diuites, opibus suis vtantur, tanquam œconomi, non fruantur, vt Dominis. Deinde consolatur pauperes, vt præsentes calamitates, spe meliores in futuro successus, magno animo ferant, aut saltem æquiore animo deuorent, quemadmodum ex ipso verborum contextu, latius audituri sumus.

Homo quidã erat diues, qui induebatur purpura & bysso.] Eodem tẽdit hic Domini sermo, quò ea quæ apud Lucam hoc eodem capite præcedunt, nempe vt ad fidelem diuitum in pauperes dispensationem promouerentur, & ab auaritiæ ac diuitiarum studio reuocarentur. Id tamen exemplo propositi modò diuitis, longè magis vrget quàm superiori sermone. Cùm enim Pharisæi auari irriderent Dominum per parabolam dispensatoris iniqui, & per ea quæ illi parabolæ subiecit, blandè inuitantem ad hoc vt benignitate in egentes, omnes paratrent sibi æterna habitacula, & idonei redderentur quibus vera bona & thesaurus vitæ æternæ committerentur, quo irrisores illos iam cohiberet, & metu percelleret, terribile quoddam diuitis cuiusdã exemplũ proponit: quo & à facultatum abusu deterret, & ad benignitatem, quoddammodo compellit: ostenditque præterea, in diuitiis & prosperitatibus huius vitæ non constituendam fœlicitatem, vt ferè homines faciunt, sed has potius detestandas velut pernicioſas hominis: ob paupertatem verò, aliaque huius mundi mala neminem iudicandum infœlicem, sed ea potius habenda veluti futuræ fœlicitatis materiam, vt etiam hinc intelligamus verum esse quod dixit: Quod hominibus altũ est, abominatio est apud Deum. Et hæc quidem quæ modò dicta

dicta sunt, præcipuè à Domino spectantur per exemplũ propositum, quanquam etiam alia multa vtilia per hanc narrationem discamus. Dubium autẽ est an hoc exemplum sit tantùm parabola, vt sit rei non gestæ, sed tamen veluti gestæ narratio, conficta ad auditorum ædificationem, quomodo alia quædam apud Lucam exempla, quæ sine titulo parabolæ eodem modo incipiunt, quo istud exemplum, nempe ab, Homo quidam, an sit vera historia rei gestæ. Nomen enim proprium ipsius Lazari arguit esse historiam, quamuis non efficaciter, vt ex sequentibus patebit. Et Euthymius testatur quosdam ex traditione Hebræorum asseruisse, quòd circa ea tempora diues iste, de quo est exemplum, fuerit Ninensis appellatus, & quæ inter ipsum & Lazarum notata illis tẽporibus mendicum hic dicuntur contigisse in vita hac, verè sic accidisse, ac post mortem vtriusque, alterius supplicia, alterius præmium Dominum ad vtilitatem auditorum commemorasse. Quòd si quis parabolam nudam esse velit, fateri tamen debet longè dissimilem esse aliis Euangelicis parabolis. Nam in aliis ex similitudine rerum humanarum aut terrenarum docentur diuina, hoc est, ex his quæ contingunt in rebus mundanis, ostenditur quæ contingant aut fieri debeant in rebus diuinis. Hic verò non sic. Non enim commemorando quę hic fiunt, ostenditur status futuræ vitæ, sed de futuræ vitæ statu apertè differitur, quanquam non sine allegoricis locutionibus. Similiter si historiam quis esse dixerit, & rei gestæ narrationem, necesse tamen est fateatur, non omnia sic contigisse vt narrantur. Certum enim est diuitem in inferno non locutum esse lingua, nec oculis corporalibus vidisse Abraham & Lazarum in sinu eius, aut de linguæ exustione conquestum, aut guttam postulasse: sed res futuræ vitæ, Dominus suum sermonem attemperans nostræ capacitati, ad modum rerũ præsentis vitę proposuit, ita vt corporalia quę post hanc vitam cõmemorantur, sint allegoricè & spiritualiter accipienda, siue sit nuda parabola, siue vera historia. Proponit ergo Dominus hoc exemplo duos homines diuersæ conditionis in præsenti tempore, quorum mirabiliter modo mutata est conditio in futuro seculo. Et imprimis

mis hominem quendam proponit diuitem, qui diuitiis suis humano iudicio non videbatur abuti, sed ad eas illis vtebatur, ob quæ ferè homines ambiunt diuitias, & ad quæ, si partas aut concessas diuitias accommodauerit quis, laudari solet ab hominibus mundanis. Si quem enim viderint non recondantem semper diuitias, sed eas expendentem in pretiosas & pulchras vestes, & splendida conuiuia, hunc veluti minimè sordidum, ac dignum fortunæ bonis deprædicare solēt. Tria ergo huic homini Dominus tribuit, quibus homo in hac vita iudicatur esse beatus, diuitias, & ex diuitiis paratas pretiosas vestes, pertinentes ad splendorem ac gloriam apud homines, & lauta conuiuia quotidiana, pertinentia ad carnis libidinem. Non est autem Græcis propriè, epulabatur, sed ἐφαίνετο, quod significat obiectatum & lætantem, vt non tantùm epularum delitiæ significentur, sed quòd eas cum lætitia & iucunditate sumpserit: & quo sanitas corporalis eiusdem diuitis infinuatur, sine qua nulla est voluptas conuiuiorum, & reliqua quæ ad hilaritatem faciunt conuiuiorum, vt cantus musices, organa, amicorum præsentia, & id genus simulia. Nec enim quod dicitur, splendide, tantùm ad lautitias & delicias ciborum pertinet, sed ad omnem conuiuij & lætitiæ magnificentiam ac splendorem, cùm Græcè fit λαμπρῶς, id est, præclarè, magnificè, splendidè. Itaque in his tribus tria illa obseruare licet quæ Ioannes dicit esse in mundo, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. His tribus diuitis conditionibus opponuntur tres alterius conditiones diuersæ. Nam ei quod dicitur: homo quidam erat diues: opponitur, Et erat quidam mendicus. Et quod dicitur: qui induebatur purpura & bysso, opponitur, Qui iacebat ad ianuam eius viceribus plenus. Ille incedebat in plateis, sedebatque in domo sua splendidè, ab omnibus ob splendorem vestitus honoratus, ac exterioni mollium vestium fruens oblectamento: hic verò domo carens in plateis iacebat, aut, vt est Græcè efficacius, ἐβέβλητο, id est, porrectus vel proiectus erat ad diuitis ianuam, despectus ab omnibus ob vlcerum horrorem, ac grauiter vlcerum multitudine di-

1. Ioan. 2

scru ciatus, ita vt ei stare vel non liberet, vel non liceret præ dolore & infirmitate. Pro splendore ergo & mollitie vestium diuitis, huic aderat abominatio & dolor vicerum, totum corpus eius in modum vestimenti obtegentium. Ei autem quod dicitur: & epulabatur, non aliquando solùm, sed quotidiè splendidè: opponitur, Cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis. In quo notatur vrgens necessitas istius mendici. Tantùm enim aberat vt epularetur aut epulas ambiret, vt præ nimia fame cuperet vel fœlicitatem canum sibi contingere, ac sine aliquo diuitis dispendio vrgenti fami suæ subueniri. Ex industria autem Dominus mendicum nominauit, dicens: nomine Lazarus: cùm diuiti non apponat nomen, sed tantùm dicat: Homo quidam: vt, quemadmodum annotauit Diuus Gregorius, indicaret contrarium euenire apud Deum & apud homines. Nam apud homines quidem plus solent scire nomina diuitum quàm pauperum, & cùm de diuitibus est sermo, solent eorum nomina cum honorificentia nominare. Cùm verò de pauperibus, quia aut nesciuntur eorum nomina, aut si sciantur, indigna iudicantur appellatione, dici solet: homo quidam, aut pauper quidam. At contrà Deus humiles, abiectos & incognitos mũdo ex nomine nouit & approbat: superbos verò & honoratos ignorat & despicit. Vnde in Psalmo mystico dicitur in persona Christi de his quorum Deus nõ est pars hæreditaria: Nec memor ero nominum eorum per labia mea. Potest & hoc intelligi significarum, quòd cùm alicuius virtutes sunt commemorandæ, nomen eius recitè exprimitur: at illud supprimendum esse, cùm alicuius exponenda sunt vitia. Atque vtraque hæc ratio nominati mendici conueniens est, siue exemplum hoc sit nuda parabola, siue etiam vera historia. Bene autē quadrat in hunc mendicum, nomen Lazarus. Nam illud significat, vt habet Chrysostomus & Augustinus, eum qui adiutus est, aut potius, ad adiutorium, nimirum quòd nulla re mundana fretus, ad solum Dei respiceret adiutorium. Non enim dicitur Azarus, quod significare posset adiutum, sed Lazarus, quod ratione Lamed præpositionis significat, in, vel ad adiutorium. Quod autem

Psal. 51.

sequitur: & nemo illi dabat: vt non est in Græcis codicibus, ita nec in antiquis pleriſque ſcriptis. In vno quod ad manum erat, non erant hæc verba in contextu, ſed recenti manu aſcripta in margine. Et tamen etiamſi ea pars non addatur, ſatis ſignificatur diuitis huius inhumanitas, quòd pauper ille coactus fuerit petere ſaturari de micis cadentibus è menſa. Sic enim inhumanitatem huius diuitis colligit Diuus Auguſtinus, declarans ſe non legiſſe illa verba: & nemo illi dabat. Nam ſic habet homilia 7. ex. 50. Apertè de diuite hoc dictum eſt, quòd inmiſericors erat, non quia aliena rapuit, ſed quia de propriis erogare noluit. Nunquid enim, chariſſimi, ſi pauper ille ante ianuam iacens ſuffici entem panem à diuite acciperet, diceretur de illo: quia cupiebat ſaturari de micis quæ cadebant de menſa diuitis? Hæc ille. Et hactenus quidem in diuite proponitur à Domino exemplar maximæ fœlicitatis humanæ: in mendico verò exemplar infœlicitatis extremæ. Illi enim cum diuitiis aderat proſpera valetudo, ſplendor ſummus apud homines, affluentia rerum & nullis malis inquinata voluptas. Huic verò cum paupertate non vulgari, ſed extrema, vt quæ eum cogeret & mendicare, & præ nimia fame vel micas peremptas poſtulare, etiam aderat aduerſa corporis valetudo, eaque item non ſimplex, ſed grauiſſima, vt quæ ad inſtar Iob totum ipſius corpus occupauerat, atque in terram porrectum deiiceret, nec ſineret eum pedibus ſuis conſiſtere. Hæc autem extremæ tum paupertatis, tum ægritudinis mala etiam alia pleraque exaggerabant, nimirum quòd nemo ipſius tam caia miſeri curam haberet, quòd ad ianuam diuitis iacens præ oculis haberet diuitis huius fœlicitatem, quòd canes etiam erga ſe benigniores ſentiret, & humaniores quàm ipſos homines, & hunc tam fœlicem diuitem, imò quòd etiam canes ſe fœliciores eſſe conſpiceret, vt quibus abundè dabatur ſaturari de micis menſæ, de quibus cùm ſaturari cuperet, non eſt tamen quod cupiuit aſſecutus. Obſeruat in hoc mendico etiam plura mala Diuus Chryſoſtomus, qui præter veram hominiam quasi parabolam hanc breuiter tractauit, quatuor aliis homiliis eandem parabolam per partes eſt pulchertimè proſecutus,

ſecutus, in quarum prima connumerat nouem ſupplicia quæ mendicus iſte paſſus eſt. Vt autem per prædictã narrationem Dominus in vno propoſuit apertè exemplar ſummæ fœlicitatis mundanæ, & altero exemplar extremæ infœlicitatis: ita etiam rectè illius notauit vitia, huius virtutes. Et diuitis quidem vitia erant, quòd diuitiis ſibi ad diſpenſandum cõceſſis abuſus ſit, expenſus eas tantùm ad ambitionem & voluptatem: quòd carnis tantùm curam habuerit non etiam animæ: quòd pauperis non ſit miſertus, idque eius qui tam erat calamitoſus, cuiuſque inopiam & calamitatem non potuit ignorare, vt qui ad ianuam eius iaceret, oculis eius ſemper expoſitus, quodque cùm magna fœlicitas mitiores & benigniores ſoleat homines reddere, ne in tanta quidem fœlicitate commoueretur miſericordia erga tam egregiè miſerum, vt vel ſaltem idem beneficentiæ illi præſtaret quod canibus ſuis: inhumaniorem etiam canibus, qui quod potuerunt, miſero præſtiterunt, lingentes vlcera eius: negligentiſſimus ſalutis animæ ſuæ, vt qui nec de damno pereuntium micarum cogitauerit facere lucrum, quemadmodum vt faceret mendicus cupiuit. Mendici autem virtutes fuerunt, quòd ſummam illam & paupertatis, & ægritudinis miſeriam patienti animo toleraueriit, idq; nõ ſolùm cùm apud ſe eſſet, ſed & cùm coram cerneret maximam illam diuitis abundantiam & fœlicitatem, atque eiuſdem in ſe tam inhumanam experiretur immiſericordiam etiam à canum facto condemnatam, nec tunc quidem aut de Dei conquerens iuſtitia, aut diuiti malè precatus, quodque ſumma cum modeſtia tantùm de micis ſaturari cuperet, nec tantillum quidem importunitate obtinere contendens, ſed miſeriæ ſuæ oſtentatione potius quàm clamore mendicans. Itaque quod dicitur: Canes veniebant, & lingebant vlcera eius: additum eſt & ad condemnandum magis diuitis inhumanitatem, & ad commendandum magis pauperis patientiam, qui experiebatur etiam canes hominibus humaniores. Poteſt tamen etiam aliter intelligi hac parte ſignificatũ, ipſos canes diuitis à paupere qui conditionem canum petebat, aſſecutos fructum & voluptatem, vt cùm ipſe nõ poſſet cum canibus

saturari, canes tamen ab ipsius malo saturarentur & reficerentur. Non enim canes lingebant eius vlcera, quo ei benefacerẽt, sed quia inde eis bene erat. Sic ferè Chrysostomus, qui & indicat hac parte significaram debilitatem maximam ægri, vt qui nec canes suam ex ipso voluptatem quærentes posset à se depellere. In diuite ergo hoc proponitur exemplum, quod diues quisq; fugiat & abominetur. In paupere verò exemplum, quod pauper quisque & calamitosus imitetur.

Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab, &c.] Descripsit in superioribus Dominus diuersas pauperis & diuitis conditiones in præsenti tempore, nunc ostendit vtrumque eundem excepisse in hoc seculo finem, ac post eum vices rerum in ipsis mirabiliter esse inuersas in futuro seculo, vt hinc discamus non meriti hominis fœlicitatem vel infœlicitatem ex his quæ contingunt in hac vita. Cùm enim in hac vita omnia diuersa ferè sint inter diuites & pauperes, mors tamen vtrisque communis est, quæ vt diuitibus finis est omnium voluptatum, ita afflictorum finis est omnium afflictionum. Dicit ergo: Factum est vt moreretur mendicus: sed rursum subiicit: Mortuus est autem & diues: quasi dicat: Nec hunc diuitiæ à morte liberare potuerunt. Prius quidem mortuus est mendicus, vt intelligamus Deum citò ipsum huius vitæ calamitatibus eximisse, ac per nimias calamitates mortem ipsius accelerataṁ & præuentam: Diuitem verò per prosperam valetudinem, & omnium rerum affluentiam matura morte decessisse, ac Deum illi diutius concessisse suam in hoc mundo fœlicitatem, quàm pauperem in hoc permiserit mũdo affligi. Magis enim festinat Dei benignitas afflictos eximere doloribus, & æterna quiete donare, quàm ipsius iustitia festinet fœlices in hoc mundo eripere suæ fœlicitati, & æternis tradere cruciatibus. Expectat enim eos ad pœnitentiam, cuius patientem expectationem si negligant, efficiunt vt diuinæ in illos vltionis innotescat magis iustitia. Cùm autem & pauperi & diuiti vnus fuerit finis huius vitæ, mors scilicet, non tamen vtri; post hunc finem eadem fuit conditio, sed inuersis vicibus ille quidem portabatur ab Angelis

Angelis in sinum Abrahæ, hic verò sepultus est in inferno. Qui prius ab omnibus fuit derelictus & despectus hominibus, & à canibus lingebatur: hunc non vnus tantùm Angelorum, sed multi Angeli in suam curam susceperunt, honorant, deducunt. Qui prius iacebat præ infirmitate, nunc portatur ab Angelis causa honoris. Qui non recipiebatur intra domum diuitis, sed iacebat ad ianuam eius, graui oppressus tum dolore, tum fame, modò collocatur refocillandus in sinu Abrahæ, atque ab eo blandè benigneque suscipitur & fouetur. Dicitur autem portatus ab Angelis, quod Angelorum ministerio deductus sit ad locum quietis, vt hinc intelligamus honorem pauperum, & lubenter Angelos in hoc occupatos esse vt homines ducant ad regna cælorum. Nondum autem in cælum delatus dicitur, quòd illud tunc nondum esset apertum, sed in sinum Abrahæ deportatus dicitur tropica locutione, similitudine scilicet mutuata à parentibus, qui filios suos quos tenerè diligunt in sinum suum recipiunt, atq; in eo fouent. Quorum ergo Abraham pater erat omnium Iudæorum, ad quem suum genus referebant, in illius sinum Iudæus Lazarus delatus dicitur, ad significandum quòd ab illo sit receptus benignè in sanctorum consortium, atque vna secum quiete donatus, ac spe gaudiorum regni cælestis ipsi Abraham primò promissi, recreatus ab Abraham. Est & alia ratio quare peculiariter in Abrahæ potius quàm alterius sinum delatus dicatur, nimirum quia Abraham in vita sua semper hospitalitati & pauperum susceptioni fuit intentus, vt hinc redargueretur magis cuius huius inhospitalitas, & ostenderetur Abraham esse diuitem, longè diuersum fuisse ab hoc diuite, ac magis tam refocillaretur pauper, quòd despectus à diuite hoc in terris, post mortem reciperetur ab Abraham diuite & patriarcha. In hunc ferè modum de sinu Abrahæ Diuus Chrysostomus. At Diuus Augustinus paulo aliter de eo differit, quanquam eodem redeat. Sinum enim Abrahæ vbique explanat esse, secretæ cuiusdam quietis habitationem. De quo latè differit libr. 4. de anima & eius origine. cap. 16. sic scribẽs: Quòd verò illum Abrahæ sinum existimas esse corporeum, & per ipsum asseris

totum corpus eius agnoſci, vereor ne in re tanta ioculariter atq; irridentes, non ſeriò grauiterq; agere credaris. Neque enim vſq; adeò deſperes, vt arbitrareris corporeum ſinum vnius hominis ferre tot animas, imò vt ſecundum te ioquar, ferre tot corpora bene meritorum, quot illuc Angeli ſicut Lazarum, perferunt. Niſi opinaris fortaſſe illam vnam animam ſolam ad eundem ſinum peruenire meruiſſe. Si non iocaris, & errare pueriliter non vis, ſinum Abrahæ intellige, temorum ſedem quietis atque ſecretam, vbi eſt Abraham. Et ideo Abrahæ dictam, nõ quod ipſius tantùm ſit, ſed quòd ipſe pater multarum gentium ſit poſitus, quibus eſt ad imitandum fidei principarum præpoſitus. Hæc ille. Itaq; intelligit ſinum Abrahæ, locum quietis, in quo recipiuntur vel recipiebantur omnes imitatores fidei & pietatis Abraham. Secundum Auguſtinum ergo ſinus Abrahæ dicitur, non quomodo pars aliqua hominis ſinus dicitur, ſed quomodo in mari appellamus loca portubus & quieti apta. Hunc autem locum idem Auguſtinus ſcribens in Pſalm. 85. circa illud: Eruiſti animam meam ex inferno inferioti: dicit videri poſſe (nam dubitando loquitur, nec quicquam hac in re diffinite auſus fuit) fuiſſe ante Chriſti reſurrectionem infernum ſupetius hoc eſt, locum aliquem ſub terra, ſuperiorem loco damnatorum, reſpectu cuius damnatorum locus dicatur infernum inferius. Illi enim conuenire quod hic dicitur diues iſte leuaſſe oculos cùm videret Abraham, quia non poſſet leuatis oculis videre, niſi ille eſſet ſuperius, iſte inferius. Huic ſanè ſententiæ iam receptæ conſentit, quod in ſymbolo dicitur Dominus deſcendiſſe ad inferos, vtique ad liberandum vinctas ibi iuſtorum animas. Vnde communiter iam dicitur, ſinum Abrahæ idem eſſe quod limbum inferni. Sic enim ſuperiorem inferni partem recentiores vocauerunt, quòd limbus ſit alicuius rei extremitas. Idem tamen Auguſtinus epiſtola 99. diſputando colligit ſinum Abrahæ non fuiſſe aliquam inferni partem. Quia, inquit, ne ipſos quidem inferos vſpiam ſcripturarum locis in bono appellatos potui repetire. Quod ſi nuſquam in diuinis authoritatibus legitur non vtiq; ſinus ille Abrahæ, id eſt, ſecretæ

ſecretæ cuiuſdam quietis habitatio, aliqua pars inferorum eſſe credenda eſt, quanquam in his ipſis tanti magiſtri verbis, vbi ait dixiſſe Abraham: Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt: ſatis, vt opinor, appareat non eſſe quandam partem, & quaſi membrum inferorum, tantæ illius fœliciratis ſinum. Chaos enim magnum qui eſt, niſi quidam hiatus, multum ea ſeparans inter quæ non ſolùm eſt, ſed etiam firmatus eſt? Hæc ibi. Porrò quanquam propria quadam ratione locus quietis ante ingreſſum regni cæleſtis, dictus ſit ſinus Abrahæ, recte tamen locus quietis, in quem modò recipiuntur animæ beatæ, cælum ſcilicet ipſum, etiam dicitur ſinus Abrahæ, & ab Abraham tanquam patre omnium credentium recipi dicuntur in ſinu quotquot ad quietem regni cæleſtis perueniunt. Vnde moriturus Martinus, Abrahæ, inquit, me ſinus excipiet: & de eo canit Eccleſia: Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur, nimirum vt alter pauper Lazarus. Et Auguſtinus lib. 9. Confeſſ. loquens de Nibridio, dicit: Quicquid illud eſt quod ſinus Abrahæ vocatur, ibi Nebridius meus viuit. Et autem, quod mẽdicus Lazarus portatus dicitur in ſinum Abrahæ, pulchrè opponitur quod diues ſepultus dicitur in inferno, loco ſcilicet pœnarum, & omni carente refrigerio, in quo ſepultus dicitur, quòd anima eius fuerit in profundo infernalium ſuppliciorum collocata, ac ſub terram quaſi in tumulo concluſa & religata, æternęque ibidem morti tradita. Quod enim mortuum eſt, ſepulturæ traditur. Sepultura inferni, inquit Auguſtinus lib. 2. de quæſt. Euang. pœnarum profunditas eſt, quæ ſuperbos & immiſericordes poſt hãc vitam torquet. Sic Ezechielis 32. ſepulchra regum Aegypti, & Aſſur, & ſociorum dicuntur eſſe in inferno, Ibi, inquit propheta, Aſſur, & omnis multitudo eius, in circuitu illius ſepulchra eius, omnes interfecti, & qui ceciderunt gladio, quorũ data ſunt ſepulchra in nouiſſimis laci, &c. Sciendum tamen Græca non habere: & ſepultus eſt in inferno: ſed poſt, & ſepultus eſt: perfectus eſt punctus. Deinde ſequitur: Et in inferno eleuans oculos ſuos. Non enim habent coniunctionem, autem. Vnus codicum ſcriptorum, qui mihi ad manum erat, habebat poſt.

& ſepul

& sepultus est, & in inferno. Eleuans autem oculos suos. Diuus Augustinus quenquam in libro 2. quæst. Euang. secutus sit, vt ex suprà dictis patet, lectionem nostram, in aliis tamen locis sequitur lectionem quę inuenitur in Græcis codicibus, Nam in sermone quodam quo enarrat illum Psalmi versiculum: Tibi derelictus est pauper: qui est sermonum de tempore 110. sic habet: Videte exitus amborum. Contigit enim mori inopem illum, & auferri ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est diues, & sepultus est. Nam pauper fortè nec sepultus. Et quid postea? Cùm apud inferos diues ille in tormentis esset, leuauit oculos suos, &c. Sic & homilia 7. ex quinquaginta: Propter solam inhumanitatem, quia contemnebat pauperem ante ianuam suam iacentem, nec congruè digneque pascebat, mortuus est, & sepultus. Et cùm esset apud inferos in tormentis, leuauit oculos suos, &c. Itaque secundum hanc Græcorum lectionem & distinctionem, de solo diuite mortuo dicitur quòd sepultus sit, quod pauper ille aut non fuerit sepultus, aut sine honore aliquo: diues autem post mortem nihil aliud gloriæ consecutus est, quàm quòd cum honore aliquo delatus sit ab hominibus ad sepulchrum, pro quo honore mendicus portatus est ab Angelis in sinum Abrahæ. Diuus Chrysostomus intelligit additum: & sepultus est: ad significandum quòd post mortem neque diuitiæ, neque famuli, neque amici, vitæ eum rursum restituere potuerunt. Theophylactus autem & hoc addit, quòd dicendo: sepultus est: insinuauerit Dominus obiter, quòd & anima eius infimum locum & caliginosum sortita fuerit, quod non discrepat à sensu nostræ lectionis: & sepultus est in inferno. Diuus Augustinus epist. 89. quæ est ad Hilarium, contra eos qui asserebant diuitem manentem in diuitijs suis non posse ingredi regnum cælorum, hunc locum producit, pulchram reddens rationem cur in sinum diuitis Abrahæ pauper Lazarus illatus sit. Si inquit, pauperi illi meritum esset inopia non iustitia, non vtique ab Angelis in Abrahæ gremium, qui diues hic fuerat, tolleretur. Sed vt nobis ostenderetur, nec in isto pauperiatem per seipsam diuinitus honoratam, nec in illo diuitias

uitias fuisse damnatas, sed in isto pietatem, in illo impietatem suos exitus habuisse, sic suscepit impium diuitem cruciatus ignis, vt tamen pium pauperem susciperet sinus diuitis.

Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormẽtis, vidit Abraham. Eleganter Diuus Chrysostomus concione secunda de Lazaro, diuitias & paupertatem in præsenti vita nihil aliud esse dixit, quàm personas & laruas in scena, quòd sub his in theatro huius mundi alij quidem fœlicium formam præ se ferant, alij verò infœlicium personam: at cùm homines è scena huius mundi egressi fuerint, ac per mortem detractæ illis fuerint personæ theatrales, tum demum apparet qualis quisque sit, & quemadmodum in scena plerique regum & diuitum personam induunt, quia ea deposita cognoscuntur esse vilissimi & pauperrimi: ita & post mortem qui hic videbantur fœlicissimi, manifestantur re vera esse & fuisse infœlicissimi, quemadmodum patet in hoc diuite, qui cum egressus è theatro præsentis vitæ, suam personam deposuisset, visus est omnium esse miserrimus, vt qui & variis, eisque intolerabilibus tormentis atrigeretur, & tanta laboraret inopia, vt ne guttam quidem aquæ haberet in sua potestate, sed pro hac etiam pauperrimo olim supplex fieret, nec tamen quod petebat consequeretur. Obseruandum autem quam iuitę rerum vicissitudines Euangelicis verbis significentur. Qui enim olim erat in variis delitijs, iam deprehenditur non in vno tãtum tormento, sed in multis. Ideo enim pluraliter dicitur: cùm esset in tormentis. Qui olim Lazarum ad ianuam suam iacẽtem veluti ex alto despiciebat, aut omnino nec videbat quidem, hic iam eũdem procul semotum diligenter aspicit, & sublimem suspicit, in sinu Abrahæ patris sui requiescẽtem. Qui olim omni affluebat rerũ copia, iam etia vnius gutt.æ refrigerantis laborat inopia. Qui prius lingua peccauerat, indulgens scilicet et augiter omnigenas ciborum lautitias, ac per eam fortè petulãter incessens pauperem, aut recusans quod ab eo petebatur, in lingua peculiarem pœnam sentit, quia per quæ peccat quis, per hæc & punitur. Qui olim vlcerato pauperi vel minuta mensæ suæ dare neglexit,

in inferno

in inferno positus, vsque ad minima quærenda peruenit, nec tamen impetrauit. Nam guttam aquæ & extremum digiti ipsius paupetis petiuit, nec accepit, qui micas panis rogatus aut negauit, aut dare neglexit. Sapiē. 11

Porrò quoniam hic oculi, lingua, & id genus corporalia membra tribuuntur diuiti damnato, & Abrahæ atque Lazaro beatis, colligere hinc solent aliqui, vt patet ex Augustino libro quarto, de origine animæ, capite 15. animas exutas hoc corpore, esse tamen adhuc corporeas, nec carere suo corpore, quamuis magis spiritali. In quo errore cùm esset Tertullianus, etiam hoc loco pro confirmatione suæ sententiæ vtebatur, vt patet ex libro de resurrectione carnis. Quidam etiam inter Græcos nō sinantes animas ante iudicium aut puniri, aut coronari, cùm hoc loco multum vrgerentur, dixerunt Dominum hic ea quæ futura erant narrare tanquam iam præterita: quod si verum esset, non iam difficultatem aliquam facerent membra corporalia attributa diuiti, Abrahæ, & Lazaro. Verùm ei intelligentiæ obstant sequentia, quæ post diem iudicij non conuenit intelligere, vt quòd dicitur petisse diues vt mitteretur Lazarus ad fratres ipsius adhuc in mundo existentes. Proinde cùm efficaciter satis ex hoc loco communicatur error ille Græcorum, & tum ex hoc loco, tum ex aliis scripturis Catholica fides doceat animas statim à morte aut esse in gaudiis, aut esse in pœnis, & tamen Catholica doctrina etiam habeat animas exutas corpore non esse corporales, dicendum est, vt prius admonuimus, Dominum de animis corpore exutis loqui tanquam adhuc corpore circundatis, ac spiritualia corporaliter describere, quòd illa aliter cognoscere nequeamus, quemadmodum scriptura etiam Deo tribuit membra corporalia, cùm certum sit illum non esse corporeum. de quo vide Augustinum libro prædicto, di putantem contra asserētes ex hoc loco animas esse corporeas. Itaque per hoc quod eleuatis oculis dicitur in tormentis suspexisse eminus Abraham & Lazarum in sinu eius, significatur quod oculis mentis, hoc est, intellectu suo comprehenderit Abrahæ felicitatem longè separatam à sua infœlicitate, atque agnouerit Lazarum olim à se impiè

impiè neglectum, beata quiete cum patre credentium frueutem. Quod si quæratur quomodo id agnoscere potuerit: Dicendum sanè id diuina factū reuelatione, & ordinatione, qua factum est, vt quemadmodum mendici in præsenti vita infœlicitas augebatur, ex conspecta ab ipso diuitis fœlicitate: ita nunc vice versa diuitis miseria ex conspecta Lazari beatitudine augeretur. Quod in aliis quoq; damnatis vsuuenire hinc intelligendum est, vt quos hic velut abiectos despexerūt, de eorum ibi felicitate maius suæ infœlicitatis tormentū percipiant. Quod autem clamās præ nimio dolore, inuocauerit misericordiam ab Abraham, & petierit extremo digiti Lazari linguam suam refrigerari: significat eum summopere desiderasse ab Abraham, vt per ministerium Lazari aliquantula remissio tormentorum ei concederetur. Non autem Lazarum inuocasse introducitur, veluti nō ausus fuerit, quòd in illum fuerit tam inhumanus: sed Abraham inuocat, quòd Iudæi in illo tāquam patre suo gloriarentur, ob quod iste, cùm esset Israelita, confitebatur de paterna eius benignitate rem tā exiguam posse impetrari, proinde eum inuocat nomine patris, dicens, Pater Abraham. Cùm autem certum sit quæ de oculis, lingua, digito, & sinu Abrahæ dicuntur, spiritualiter esse accipienda, non potest etiā ex eo quod hic dicitur diues cruciatus in flamma, efficaciter colligi, ignem quo animæ corporibus exutæ cruciantur, esse ignem corporalem, quemadmodū docet Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 10. Conuenienter enim responderi posset, talem fuisse flammam illam, quales oculi quos leuauit, & quibus Lazarum vidit: qualis lingua, cui humorem exiguum infundi desiderauit: qualis digitus Lazari, de quo id sibi fieri postulauit. Idem tamen Augustinus eodem capite & aliis locis asserit ignem gehennæ fore corporeum, quo post resurrectionem corpora damnatorum cruciabantur. Quare cùm eodem illo igne etiam cruciandi sint dæmones, etsi spirituales (hunc enim ignem in quem corpora damnatorum mittentur, dicit Dominus paratum diabolo & angelis eius) non debet videri impossibile & mirum animas etiam corpore exutas torqueri igne corporeo, quemadmodum colligit Diuus

Gregorius

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gregorius libro quarto Dialog.cap.28. At de hac quæstione,sicut & de loco quietis sanctorum ante liberationem factam per Christum,aut de loco animarum damnatarum ante iudicij diem,non putat contentiosè disputandum D.Augustinus.Melius est enim,inquit lib.8.de Genesi cap.5.dubitare de occultis, quàm litigare de incertis. Satis ergo fuerit ex eo quod dicitur diues ille cruciatus in flamma: intelligere ipsum & omnes damnatos,ineffabilibus tormẽtis,& omnia huius mundi supplicia excedentibus excruciari:pauperem autem & omnes sanctos esse in gaudiorum refrigerio suauissimo, ac id intelligentes solicitos esse quomodo & illa tormenta effugere possimus, & ad hæc gaudia peruenire potius, quam ad ignis quo cruciari dicuntur qualitate anxiè disceptare.Cæterùm quo vtcunque intelligamus quàm rectè dictum sit diuitem hunc fuisse in tormentis pluraliter,& quæ sint pœnæ quæ per flammę cruciatum possint intelligi, præter pœnam quam animæ diuina virtute ab igne corporali modo nobis incerto pati possunt, primùm qui dẽ cruciantur remorsu perpetuo conscientię ex recordatione admissorum scelerum:deinde reputatione amissæ beatitudinis quam assequi potuerunt,& certa cognitione irreparabilis suæ damnationis: præterea quia sentiunt se contra suamvoluntatem certo loco alligatas, ac horribilium atque infestissimorum dæmonum consortio deputatas.Postremùm,quiaexperiuntur vires animæ suæ, intellectum scilicet & voluntatem, nõ esse liberas, sed cogi indesinenter, illum quidem ad actualem pœnarum suarum considerationem:hanc autem ad actualem pœnarum horrorem & remitentiam, ita vt nulla sit his viribus in istis malis quies, quemadmodum est in nobis per somnum aut auersionem intellectus ab alicuius mali considerationẽ, & conuersionem eius ad alia quæ cogitare delectat. Hæ pœnæ quæ sunt graues, & omnem mundi cruciatum excedentes, vtcunque experiuntur qui mentes sibi malè conscię carnificina hic iugiter excruciantur, quæ frequenter multos ad laqueum adegit, cùm hic interim vires animæ non sint tam viuaces, atque sunt cùm anima exuta est corpore, & multa hic sint quæ hominis nititiam ad tem

ad tempus tollunt,aut leniunt,aut à regeneratione malorum intellectum quiescere faciunt.

Et dixit illi Abraham: Fili recordare quia recepisti bona, &c.]Lamentanti de sua calamitate diuiti,& refrigerium sibi per Lazarum impendi postulanti,Abraham primum quidem exponit iustitiam mutatæ in vtroque conditionis:ac deinde significat impossibile esse vt assequatur quod per Lazarum sibi impendi postulauit. Blandè illum compellat, non dedignatus eum appellare filium, vt intelligimus hinc sanctorum pium etiam erga damnatos affectum, & discamus vicissim & nos afflictos etiam iustè non incessere, quibus digni sunt nominibus. Scriptum est enim: Non exasperes pauperem in inopia sua,& cor inopis ne afflixeris. Diligenter autem obseruandum, quòd Abraham indicare volens quare vtriusque vices modò essent mutatæ,non obiicit diuiti aliqua scelera,nec explicat aliquas Lazari virtutes,sed tantùm dicit, quòd diues receperit bona in vita sua, & idcirco eum cruciari:Lazarum verò,quòd perpessus sit mala, esse in solatio: vt intelligamus rem esse maximè pernicioſam homini versati in otio summo, & delitiis atque honoribus frui: & rursum nihil homini vtilius, quàm exerceri afflictionib. Vnde Basilius sermone primo, de ieiunio: Tumeto,inquit,exemplum diuitis,illum delitiæ vitæ igni tradiderunt.Non enim ob iniustitiam,sed propter mollem ac delicatam vitam reprehensus, in flamma fornacis torrebatur. Hæc ille. Proinde hæc Abrahæ verba ad hoc valent,vt ne ob diuitias, honores,& voluptates huius vitæ aliquem beatum ducamus,sed potius miserum, & ne sibi diues placeat, sed potius displiceat ob fœlicitatem huius vitæ. Et contrà ne ob paupertatem,contemptum,& afflictiones aliquem miserum ducamus, sed potius beatum: nec sibi pauper aliquis aut afflictus displiceat, sed eo potius nomine sibi placeat & gaudeat,iuxta illud Iacobi: Omne gaudium existimate fratres mei cùm in tentationes varias incideritis. Verbis Abrahæ consonant quę prius dixit Dominus:Beati pauperes,quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc fletis,quia ridebitis.Beati qui nunc esuritis,quia saturabimini.Contrà: Væ vobis diuitibus, qui habebitis consolatio

Eccles.4.

Iacob.1.

Luc. 6.

lationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esu-
Psal. 48. rietis. Væ qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. In
diuite isto videre licet quàm verè dixerit Psalmista: Ne
timueritis cùm dites factus fuerit homo, & cùm multi-
plicata fuerit gloria domus eius. Quoniam cùm interie-
rit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria
Psal. 89. eius. Quia anima eius in vita ipsius benedicetur. In
paupere illud Psalmi impletum est: Lætati sumus pro
diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus
mala. Significant ergo verba Abrahæ iustum illud Dei
iudicium, quo reprobis & vasis iræ aptatis in interi-
tum, in hac vita plerunque concedit bonorum huius
mundi affluentiam, ne semper illis sit malè, & alicubi
habeant sua bona: electis autem & vasis misericordiæ
quæ præparauit in gloriam, immittere afflictiones &
aduersitates quibus exerceantur, quod fieri non possit
Psal. 72. vt quis & hic regnet cum mundo, & postea cum Chri-
sto. De quo Dei admirabili iudicio disputat Psalmista,
asserens se non potuisse illud comprehendere, donec
ingrederetur sanctuarium Dei, & intelligeret nouissima
illorum. Ideoque norandum, Græca non tantùm ha-
bere, recepisti bona, sed bona tua: vt deinde cùm subdi-
tur: & Lazarus similiter mala: subaudiatur mala sua, &
intelligamus significari Deum vnicuique & bona & ma
la præparasse, & qui in hac vita suam in bonis portio-
nem accepit, malorum partem post hanc vitam acce-
pturum, & contra quanquam illud, bona tua, etiam a-
liud significet, vt mox dicetur. Cæterum Diuus Chryso-
stomus diligenter inquirit quare potius dictum sit, rece
pisti, quam accepisti, putatque ideo dictum esse, recepi-
sti, ad significandum quòd & dives quanquam peccator
erat, aliquam tamen habuit, virtutem, pro qua bona de-
bita adhuc viuēs receperat. Nam recipere propriè ea di-
cimur quæ debentur meritis. Similiter Lazarus etsi iu-
stus aliquod tamen vitium habuit, propter quod adhuc
viuens debita mala receperat. Nullus enim ferè homi-
num expers est omnis virtutis, nec quisquam immunis
ab omni vitio. Ideoque cum iam duo illi per mortē hinc
decesserunt, ille quidem discessit meram habens malitiam, iste verò meram habens virtutem. Secundum hunc

hunc sensum dictum esset, bona tua, id est, bona quæ ti-
bi debebantur. Quanquam autem hæc obseruatio do-
cta sit, magis tamen videtur verbum, recipere, hic sim-
pliciter ponitum esse, quemadmodum sæpe, pro accipe-
re, secundum sensum superius indicatum. Vltetius ta-
men sciendum, quod quanquam Abrahæ verba nulla
apertè exprimere videantur vitia diuitis, nullasque vir-
tutes Lazari, sed tantùm admirabilem distributionem
bonorum & malorum quæ à iusto & inscrutabili Dei
iudicio proficiscitur: tamen eadem verba satis etiam in
se includunt & illius vitia, & huius virtutes præmio di-
gnas. Per hoc enim quod dicitur: recepisti bona: significa-
tur quòd fœlicitatem huius seculi amplexarus sit, at-
que dilexerit, quodque bona huius mundi pro veris bo
nis duxerit, eaque quæ illi Deus concessit, sibi vindica-
uerit, non communicando ea aliis quibus dispensari de-
bebant, & parando sibi amicos de mammona iniquo:
vnde bene Græca habent, bona tua, nempe quòd ea pro
suis bonis duxerit. Quare his verbis ipsius & amor se-
culi inordinatus, & in pauperes inhumanitas notata est,
propter quæ vitia æterno dignus fuit supplicio. Sic &
Lazari patientia satis insinuatur, dum dicitur recepisse
mala. Non enim propriè recipit vel accipit mala à Deo
immissa, qui ea patienter in se non suscipit, tollendo cru
cem suam post Christum. Intellexit istud significari his
verbis Diuus Augustinus libro secundo de quæstionib.
Euang. sic scribens: Cùm ei dicitur: recepisti bona in vi-
ta tua: illud tangitur, quia fœlicitatem dilexit seculi,
nec aliam vitam præter illam in qua superbus tumebat,
nouit. Lazarum autem dicit mala recepisse, quia in-
telexit huius vitæ mortalitatem, labores, dolores, &
ærumnas, pœnam esse peccati, de quo scriptum est: Fui-
mus & nos naturaliter filij iræ, sicut & cæteri. Hæc ille.
cap. 58. Hic iam obseruandum, quòd si inferni damna-
tione percutitur qui propria nō largitus erat, qua pœna
plectendus sit, qui aliena rapit. Si damnatus est qui suis
bonis ad corporis curam vius est, nec alicuius sceleris
arguitur, quid futurum iis qui sese horrendis contami-
nant immūditiis, impietatibus, & iniustitiis? Vide diuum
Basilium sermone quo hortatur ne rebus temporalibus

assi si mus, vbi ex hoc loco admonet ne prætereamus ob oculos nobis positos Lazaros, ne cùm post vitam inuocauerimus Abraham, aliosque sanctos, nullum consequamur fructum nostræ vociferationis, sed ab eis imperamur acerbioribus verbis quam hic impetitus est ab Abraham diues, quòd illius improbitatem plerique manifestè viuentes. Appositè autem pro tempore illo dixit Abraham: Nunc autem hic consolatur: quia necdum accepit plenam mercedem, vt implerentur lætitia ex aspectu vultus Domini: sed consolabatur in spe liberationis per Christum perficiendæ.

Et in omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum est.] Obijcit iam fieri non posse vt quod petebat assequeretur. Et, inquit, in his omnibus, pro, super vel præter hæc omnia, hoc est, præterquam quòd iusto Dei iudicio tibi non consolatio & refrigerium, sed cruciatus debeatur, etiam impossibile est, vt quam petis tibi præstem misericordiam, quia impossibile est vt quis ex nobis vos adeat. Hoc enim significatur cùm subditur: inter nos & vos chaos magnum firmatum est, &cæt. Vbi notandum dictionem, chaos, valdè impropriè positam, si modò non est vitium scriptorum, quemadmodum vult Budæus. Græca enim dictio est, chaos, quæ tamen hoc loco Græcis non est, sed pro ea est χάσμα quæ Græcis aliud significat quàm chaos. Nam chasma Græcè hiatū terræ significat, à verbo χάσκω, quod est hio. Chaos verò, quod à χέω, id est, fundo deriuatur, confusionem significat. Chaos ergo impropriè hic debet accipi pro hiatu, quemadmodū & Augustinus exponit epistola nonagesima nona, qualis hiatus existere nonnunquam solet in terræmotu, vnde & chasmaticus terræmotus dictus est. Huiusmodi autem terræ hiatus aut vorago, si modò magna sit, impedit ne quis ex vno loco ad alium pertranseat: proinde metaphora hinc desumpta dicitur, hiatus magnus inter nos & vos non solùm est, sed etiam firmatus est: quo aliud non significatur, quàm sic esse separatos damnatos à beatis, vt impergius sit vtriusque ad alteros transitus. Quòd si speciatim exprimi quis quærat quid per hiatum illum magnum sit intelligendum, rectè dicetur significare firmissimū Dei statutum in

in modum hiatus, prohibens horum & illorum permixtionem, vt sit sensus: Firmissimo & immutabili decreto Dei sic sumus nos à vobis separati, vt hi qui volūt hinc transire ad vos, non possint. Dicit, qui volunt, aut propter naturalem voluntatem qua sancti cuperent subuenire damnatis, cùm alioqui respicientes ad diuinam iustitiam, & ei suam voluntatem conformantes, non velint quod naturaliter volunt: aut potius, quia etiamsi vellent nō possent. Porrò cùm certum sit Abraham hæc non vetbaliter respondisse diuiti, videndum est quomodo prædicta ei dixisse dicatur à Domino. Itaque Abraham introducitur dixisse illud: Fili recordare, &c. quia diuiti petenti refrigerium suggerebatur quàm iustè iam puniretur, & omni consolatione destitueretur, & contrà Lazarus consolatione frueretur. Sic per hoc quod dicitur dixisse de hiatu, significatur diuiti notificatum æternam fore reproborum à beatis separationem, ac refrigerij nullam esse damnatis spem. Et alioqui si hoc exemplum tantum est parabola, dicēdum est hæc à Domino sic conficta esse, vt intelligeremus damnatis post hanc vitam nullam esse spem vel liberationis, vel refrigerij, & ne ab his quidem in quibus multum confidebant in vita præsenti quemadmodum confisus fuit iste diues in patriarcha Abraham, damnatos imploraturos refrigerium, sed eosdem intellecturos quàm iustè crucientur, quodque in perpetuum sint cruciandi. Ex hoc loco conuincitur error ille qui Origeni attribuitur, quo quidam asseruerunt damnatos aliquando liberandos, & iustorum consortio aggregandos in gaudiis.

Et ait: Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei, &c.] Cùm audiret se non posse exaudiri in eo quod pro se orabat, pro fratribus supplicat, sed vt prior eius oratio reiecta est, quod esset de re impossibilissima & hęc quòd esset de re superuacua, vt intelligamus damnatos nihil aut pro se, aut pro aliis impetrare posse, nec quicquam rectè precari. Ego, inquit, quoniam scilicet chaos (vt dicis) obstat quo minus mihi per Lazarum subueniri potest, saltē illud te oro pater, vt quem non potes mittere mihi, mittas in domum patris mei. Non enim tale chaos inter vos & viuos firmatum est, vt non possit

vobis ad illos esse accessus, aut contrà. Mitte ergo eum in domum patris mei. Habeo enim ibi adhuc quinque fratres, vt testetur illis, id est, admoneat eos, aut testimonium illis perhibeat de statu qui est post vitam temporalem, aut de mea condemnatione & pœnarum magnitudine, ne si ingrediantur meis vestigus, etiam ipsi veniant in hunc locum diuersorum tormentorum. Potest enim verbum, testari, dupliciter hic exponi, aut vt simpliciter sit, admonere aliquem, quomodo sæpe accipitur in scripturis, vt: Audi populus meus, & loquar Israel, & *Psal. 49.* testificabor tibi, & : Audi populus meus, & contestabor *Psal. 80.* te. Et apud Paulum 1. Timoth. 5. & 2. Timoth. 4. Aut vt sit, testimonium de aliqua re ferre, quæ propria est eius significatio. Quæri autem hic potest, quomodo diues hic pro fratrum salute fuerit solicitus, cùm hic affectus videatur alienus esse à damnatis, vt alicui bene velint. Ad quam quæstionem facilis est ex D. Gregorio solutio qui hoc loco asserit, damnatos, vt in supplicio grauius puniantur, & eorum videre gloriam quos contempserunt, & de illorum pœna torqueri quos inutiliter amauerunt. Itaque diuitis preces pro salute fratrum, non ex charitate, aut bono affectu erga fratres prouenerunt, sed ex pœna & cruciatu quo afficiebatur, Deo ita permittente eum torqueri per recordationem fratrum. Addit his Caietanus, diuitem hæc precatum ex superbia, nimirum, quia cùm videret multos saluari, inter eos cupiebat esse suos, vt qui iam deiectus erat in maximam miseriam, saltem in suis fratribus exaltaretur. Alij, inter quos Nicolaus, putant eum hæc precatum, quòd scirent ex fratrum suorum consortio in condemnatione, pœnã sibi augendam, eò quòd & per vitæ suæ exempla, & per relictas diuitias occasionem peccandi eis præbuisset. Si autem exemplum hoc non historia esse dicatur, sed parabola tantum, facilior erit quæstionis explicatio. Dici enim poterit hæc sic à Domino cõficta esse, cùm sic gesta non essent, tantùm ad erudiendum & monendum viuos, ne suæ impœnitentiæ prætexant, quòd de statu vitæ futuræ nihil vnquam didicerint ex his qui è futura vita redierunt. Quoniam enim homines admoniti de gehennæ cruciatibus, aut irridere solent velut terriculamenta

menta vana, aut parum commoueri illis, cogitantes secum, neminem ex mortuis rediisse qui vel de piorum fœlicitate, vel impiorum cruciatibus quæ experientia didicisset narrauerit, crediturosque se magis & magis commouendos si quisquam rediret ex mortuis, & attestaretur quomodo illic res se habeant: ideo quo hanc cogitationem Dominus castigaret, proposuit hunc diuitem orasse, vt Abraham ad fratres suos Lazarum mitteret, & vulgatem hanc hominum cogitationem exposuisse, vt sic Abrahæ, cuius magna erat apud Iudæos authoritas, responsum subiiceret, quo talis cogitatio reprehenditur & confutatur. Nec dubium est quin hic sit scopus huius narrationis, etiam si sit vera historia. Poterant enim Pharisæi aut alij inter Iudæos ridere quæ Dominus dixerat de summis cruciatib. diuitis, ob id quòd recepisset bona in vita sua, quemadmodum auari Pharisæi suprà irridebant eum contra auaritiam disputantem: poterant eorum confirmationem postulare sibi fieri per resuscitationem aliquorum ex mortuis proinde oportunè hac narratione eos reprimit non sua, sed Abrahæ authoritate, quem dicit diuiti serò supplici, & serò suorum curam gerenti respondisse: Habent Moysen & prophetas, hoc est, Moysis & prophetarum libros, audiant illos loquentes, & testificantes eis per sua scripta, & lectionem eorum in synagogis. Ad quod diues improbus iam precatur, & ex seipso fratres suos iudicans respondit, dicens: Non, pater Abraham, supple, audient illos sat scio, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, & testificatus scilicet fuerit eis, tunc pœnitentiam agent, & resipiscent à vita quã modò degunt. Hic iam ergo Abraham hanc vulgi cogitationem confutans respondit: Si Moysen & prophetas non audiunt, credendo & obediendo eis, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei. Quod quàm verè dictum sit, & recta ratio docet & experientia. Ratio quidem, quia ei qui Moysen & prophetas suscipit, certior est authoritas & veritas eorum librorum, quàm posset esse eius qui è mortuis resurgeret. Causari enim posset facilè aut phantasma esse, aut dæmonium, cùm authoritatem Moysis constet esse diuinam. Experientia verò, quia Iudæi eò quod non credebant satis Moysi ac Pro-

phetis, nec his qui ex mortuis resurrexerunt crediderunt, imò Lazarum Mariæ & Marthæ fratrem, cùm ex mortuis resurrexisset, occidere voluerunt, & Dominum ipsum post suam resurrectionem acrius in suis membris persecuti sunt. Hinc ergo obseruandum, quàm sacrosancta nobis esse debeat sacra scriptura, vt quæ efficacior nobis esse debeat, ad rectè vitam instituendã, quàm quiuis prædicator, etiamsi è cælo atque ex mortuis ad nos veniret, nunciaturus visa à se aut experientia percepta. Deinde hanc ad ea quæ de futuræ vitæ statu sunt cognoscenda sufficientem esse, vt præter eam non sit opus optare aduentum quorundam mortuorum qui de illis nos plenius instruant. Non potest autem ex vltima huius narrationis parte colligi efficaciter animas mortuorum nunquam in propria persona apparere viuis, quia nec Abraham negat Lazarum posse ad viuos mitti, nec diues petiit animam Lazari mitti, sed vt ex mortuis resurgeret. De apparitione autem animarum quid sentiendum, discere licet ex libro Augustini de cura pro mortuis agenda. Summa ergo totius huius narrationis de viuite quodam & mendico Lazaro est, vt qui diuites sunt, præsentibus bonis rectè vtantur, non vtentes eis ad ambitionem & luxum, sed pauperibus inde subuenientes: alioqui futurum vt bona sua hic percipiant, in futuro seculo indicibilibus tormentis cruciãdi, nec vllam à pauperibus beatis consolationem percepturi, quòd eos sibi in præsenti non parauerint amicos de mammona iniquitatis. Qui autem pauperes, despecti, & afflicti sunt in hoc mundo, fortiter ferant huius mundi mala. Sic enim futurum, vt posteà summo potiãtur honore, requie & gaudio. Postremùm non optandũ esse mortuorum ad nos aduentum, qui de statu vitæ futuræ nos certiores faciant, sed scripturæ auscultandum, quæ quãtum est satis nos docet, quæ nos maneant post hanc vitam, & certior sit quàm cuiusquam esset mortui testificatio. Sunt autem plerique etiam antiqui patres, qui totam hanc historiam aut parabolam tractãt etiam allegoricè, intelligentes in diuite populum Iudaicum, aut eos qui sibi iusti videntur: in mendico Lazaro, populum gentilem, aut peccatores & Publicanos. Quam tractationem

tationem hic omittimus, quòd prolixè satis eam prosecutus sit Augustinus lib. 2. de quæst. Euang. & Ambrosius in Commentariis, ac post eos elegantissimè & lucidissimè Diuus Gregorius in homilia, & Theophilactus in Cõmmentatiis.

DOMINICA II. POST TRINIT.

EVANGELIVM.

In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, & misit Lucæ 14.
seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes se excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam, rogo habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Et reuersus seruus, nunciauit hæc Domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait seruus: Domine, factum est vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus seruo suo: Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cænam meam.

PRæcedenti dominica admoniti sumus, charissimi, ex duabus, quæ in mundo sunt, viis, quarum altera præcipites ruimus in tartara, altera verò, recta penetramus ad cælestia regna, eligere angustam illam crucis & Lazari viam, duram quidem & difficilem, sed quæ ad perennem fœlicitatem inducat; relicta lata ac spaciosa, quę maximam hominum partem in sempiternum deducit exitium. Eò, quòd melius sit, cum paucis in mundo, adque exiguo tempore, obscurè viuere, perpetua deinde fœlicitate beandi, quàm cum multis in æternum male perire. Ita modò, ex hodierno Euangelio instruimur, vt postquam iustam viam ingressi sumus, ne moremur, aut detineamur aliquibus impedimentis, quò minus recta tendamus ad brauium salutis futuræ. Ne nobis

idem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Exo.12 idem quod Israelitico populo eueniat, qui etsi ex Aegyptiaca quidem seruitute assertus, pauci tamen promissionis terram contigerunt. Ita plurimi quidem christianorum, per baptisma, tanquam per mare, ex diabolica subiectione redempti, viam ingressi sunt, qua ad promissam hæreditatem, cælestem Hierosolymam venirent, quorum pars maxima tamen, in huius mundi deserto perit, eò quòd in tergnum reflectunt obtutus, quibus suauius sapiũt carnes Ægypti pane cælesti, hoc est, plus afficiuntur rebus sublunaribus, quam cælestibus. Siue vt
Ioan.3. Christus ait, diligunt magis tenebras, quàm lucem. Sunt autem tria ferè offendicula, quibus præpedimur in via Domini: Ambitio nimirum, auaritia, & carnis cupiditas, quæ cuꝰ in isto explicentur Euangelio, singula paulò attentius perlustremus.

Homo quidam fecit cœnam magnam, &c.] Quoniam Dominus occasione conuiuij in quo erat, disseruit quædam de modo accedendi ad conuiuia, & vocandi ad conuiuia, ac inter cætera dixit retribuendum his qui pauperes pascũt, in resurrectione iustorum, quidam intelligens, & bene, significari à Domino in resurrectione iustorum tales vicissim à Deo pascendos, & ad mensam regni cælestis recipiendos, tactus desiderio cælestis illius conuiuij dixit: Beatus cui cõtinget edere panem in regno Dei. In quo licet videre quanta fuerit efficacia verborum Christi, quisque eorum fructus, quòd clementer adeò cõuiuas sine omni mordacitate docuerit. Hinc enim factum vt in conuiuio Pharisaico quidam fastidiris epulis appositis, anhelare inciperet ad epulas regni cælestis. Nec est cur hunc quis culpet tanquã animalem, & ex verbis Christi existimantem corporeas fore sanctorum remunerationes, cũ sequẽti parabola Dominus huiusmodi errorem nõ corrigat, sed potius confirmasset, si in illo talis error fuisset. Quoniam autẽ iste beatum dixerat cui contingeret edere panem in regno Dei, Dominus occasione hinc accepta per parabolã cœpit ostendere quibus hęc fœlicitas potissimũ sit obuenturа, quique & qua ratione ab ea fœlicitate sint excludendi, nimirum quod Iudæi aut Iudæorum primores, etsi

etsi primo ad conuiuium cęleste vocati, suo tamen vitio essent excludendi, & in illorum locum successuri contempti quique ex Iudæis, & gentium omnium promiscua multitudo vndique cõllecta. Hic enim est parabolæ præcipuus scopus. Itaque ad hoc commodè & sine mordacitate, maiorique cum gratia significandum, introduxit Dominus hominem quendam diuitem, qui in ciuitate aliqua cõstituerat exhibere cœnam magnificam, quæ & multis constaret fercculis, & multis esset parata. (Solent enim cœnæ magnificentius quàm prandia instrui.) Qui proinde ad hanc vocauit multos è ciuibus suis, viros diuites & honoratos, vt fieri solet. Sed his hora cœnæ rursus vocatis per seruum, & propter aliarum rerum occupationes friuolas venire recusantibus, indignatus eis quod ad tam honorabile conuiuium venire ob res friuolas prætermitterent, nec tamen permittere volens vt frustra expensæ conuiuij factæ essent, iussit sine delectu vocari in illorum locum primùm quidem pauperes, debiles, cæcos, & claudos, & id genus in ciuitatis plateis ac vicis repertos, qui ob famem & inopiam non erant facilè vt alij recusaturi, ac deinde istis non sufficientibus ad conuiuium, etiam peregrinos & exteros quosque extra ciuitatem iuxta vias & sepes repertos, quos & compelli voluit, si fortè vel grauarentur, vel præ pudore non auderent venire. Et parabola quidem sic se habet. Cæterum per hominem istum quanquam aliqui intelligant significatum Deum patrem, & per seruum ipsum filium missum à patre in mundũ, rectius tamen per hominem hunc accipitur Dominus seipsum, qui verè homo erat, significasse, vel ob id quod vltima parabolæ conclusio: Dico autem vobis, &c. videtur dicta à Domino magis in persona sua quàm in persona patrisfamilias, de quo est parabola, vt post dicetur. Per cœnam magnam intelligunt quidam dispensationem Dominicam, per carnis susceptionem in nouissimis temporibus factam, conuiuium scilicet quo in præsenti vita in nouissima mundi ætate pascuntur fideles, quod constat ex pane verbi euãgelici, & variis sacramentorum fercculis, & in his potissimum carne & sanguine Domini, sic enim Cyrillus in Cathena & Theophylactus. Alij verò per cœnam intelligunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

ligunt fœlicitatē æternæ beatitudinis, conuiuiū scilicet, in quo sancti accumbēt post hanc vitam, quod rectè per cœnam significatur, eò quòd finem nesciat, nec aliud ei sit successurum conuiuium. Et quidem æternā fœlicitatē potissimum significari ex eo satis constat, quòd hæc parabola dicta sit occasione factę mentionis de māducando pane in regno Dei, & tamen nihil vetat quin simul intelligatur significari & cōuiuium quo in præsenti vita pascitur militans in terris ecclesiæ, imo vt simul debeat intelligi, ipsa parabolæ consequentia exposcere videtur. Nam alioqui per horam cœnę, tempus mortis aut extremi iudicij videbitur intelligendum, quo tempore non facilè inuenitur qui per rerum terrenarum occupationes se à cœnæ participatione excuset. Sicut autē vna est ecclesia militans in terris, & triumphans in cælis & vita æterna quæ post hanc vitam perficitur, hic incipit per fidem: ita vnum quodammodo est conuiuium, quo pascitur militans, & triumphans ecclesia, quādoquidem vnus Deus quo hic fruimur per fidem, & illic per spem: vnus Christus quo hic fruimur sub sacramēti velamine, & illic sine velamine: vnus vtrobique panis, vnus idemque potus, quamuis diuersimodè paratus & sumptus. Hoc ergo conuiuium ad vtrumque seculum, sed maximè ad futurum pertinens, cœnæ comparatur, tum quòd in nouissima mundi ætate paratum, tum quòd finem nesciat, vt dictum est. Magnę autem cœnæ, tum ob multitudinem vocatorum, tum ob copiam & abundantiam eius, quæ sine fastidio omnes accumbentes sic saturat, vt nihil vnquam vel esuriant, vel sitiant. Ad hanc cœnam homo Christus, qui eam magnis sanè sumptibus, pretio scilicet sui sanguinis parauit, per seipsum quidem primum inuitauit multos, omnes scilicet Iudæos, Iudęosque primores, tanquam honoratiores ciues suos, ac deinde per Apostolos suos ac prædicatores (quorū ordo per seruū missum significatur) rursum vocauit hora cœnæ vt ad eā venirent qui à se prius erant inuitati. Veluti enim hora cœnæ erat & est post Christi mortem, quādo iam cælum reseratum est, & omnia redemptionis nostrę mysteria propalata sunt, vt dicere possit seruus: Venite, quia iam parata sunt omnia. Venite modò per fidem & gustate

gustate quoniam suauis est Dominus, & inebriamini ab vberibus consolationis eius. Haurite in gaudio de fontibus saluatoris. Parata est enim in conspectu nostro mensa, & calix noster inebrians quàm præclarus est. Per eos autem qui & inuitati à Domino, & hora cœnæ vocati per seruum, recusauerunt venire ad cœnam ob alias quasdam occupationes, significantur vel in genere Iudæi, vel specialiter Iudæorum primores sese à parata eis cœna subtraxisse, dū alij aliis rebus terrenis occupati nihil minus curabant quàm regnum Dei. Sunt autē res terrenę, circa quas occupari solent homines, & per quas impediri solent, vel possessiones, vel voluptates. Possessionum autem alia in fundis consistit, alia in pecudibus. Vnde per tres illos qui in parabola diuersis distincti occupationibus recusauerunt adire cœnam, significantur quotquot quacunq; rerum terrenarum implicatione excludantur à regno cælorum, qui scilicet, vt habet Lucas in parabola seminantis, audierunt verbum Dei, & à sollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitę euntes suffocantur, & non referunt fructum. Tria enim quibus homo impeditur à regno cælesti in his verbis significata, etiam significātur in hac parabola per tres recusatores. In primo enim ostenditur impedimentum diuitiarum, in secundo impedimentum solicitudinis, quanquā in vtroque vtrunque satis notetur impedimentum, vt non sit differētia nisi in materię diuersitate: in tertio verò notatur impedimentum voluptatis carnalis. Sunt qui non omnino malè in his tribus intelligunt significari illa illa quæ Ioannes dicit esse in mundo, sub quibus vniuersa vitia comprehenduntur, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ: & superbiam quidem in primo notari, qui villam emerat: concupiscentiam oculorum in secūdo, qui pecora emerat: concupiscentiam autem carnis in tertio, qui vxorem duxerat. Sciendum tamen nomine villæ hic non significari pagū, quemadmodū aliqui intelligūt, (ob id in primo superbos qui dominatū ambiūt significatos docentes) sed nec Græcam dictionem propriè significare villā, sed simpliciter agrum. Est enim Græcis ἀγρὸς, vnde nos mutuati sumus nomen, ager: Sed & aliàs interpres hanc dictionem

1. Ioan. 2

Universidad de Deusto
Biblioteca

dictionem vertit villam, vt Matth. 22. cùm dicitur in simili parabola: abierunt alius in villam suam: cùm villa propriè sit domus in agro, non ipse ager. Proinde, vt diximus, in primo sicut & in secundo diuitiarum & solicitudinis terrenæ impedimenta potius notantur, & tamen in primo etiam rectè intelligitur studium honorũ. Nam vt in mundo honorentur, fundorum & agrorum possessiones ferè ambiunt multiplicare homines. Non potuit autem Dominus commodè in parabola notare apertè studium honorum, quia illud non conueniebat parabolæ. Non enim solent homines studio honorum sese à solenni conuiuio subtrahere, sed potius ob honorum studium illud captare. Nec absurdum videri debet, quòd cùm bonum sit contagium, & ad propagandam sobolem diuina prouidentia constitutum, abhibeatur à Domino ad significãdum id quod excludit à regno cælorum. Nam quoniam multi per hoc non prolis fœcunditatem, sed desideria expetunt, ideirco, inquit Gregorius, per rem iustam significari non incongruè potest res iniusta. Sic enim & villam & pecora emisse, per sese malum non est, nec à regno cælorum excludit, sed per hæc quæ exemplo conueniunt parabolæ, per quæ scilicet honesto prætextu homines excusare se solent à parato conuiuio, significantur ea quæ à conuiuio cælesti homines excludunt ob conditiones quasdam in illis repertas. Notandum autem, quòd cùm duo priores orent se haberi excusatos, tertius qui vxorẽ duxerat, quo nomine accipiuntur qui voluptati carnis operam dãt, non addit illa aliorum verba: rogo te habe me excusatum: sed tantùm, ideo, inquit, non possum venire: vt intelligamus nihil ita obruere animum vt lasciuiam carnis, quæ fastidium imò obliuionem parit rerum diuinarum.

Osee 4. Vnde in Osea dicitur: Fornicatio, & ebrietas, & vinum auferunt cor. Qui enim diuitiis student, ac solicitudinibus distenduntur, non ita ferè vt luxuriosi omnem salutis suæ rationem negligunt, sed cupiunt alios pro ipsis orare, & curam habere, quamuis frustra. Quod autem reuersus seruus nunciauit excusantium responsa domino suo, iratusque dominus iusserit alios vocari: significat Dominum offensum Iudæis primò vocatis & venire renuen

rentibus, mandasse Apostolis de recusatione Iudæorum, dolentibus & in oratione coram ipso conquerentibus, aliis prædicari Euangelium. Et si per primos illos recusatores intelligantur Iudæorum primores, vt intelligendum videtur plerisque. iam per pauperes è vicis ciuitatis introductos ad conuiuium, intelligendi sunt abiecti & plebei Iudæorum, qui à Scribis & Phariſæis habebantur pauperes, debiles, cæci & claudi, vt pote incompositi, & indocti, quales plerique per Apostolorum prædicationem post missum spiritum conuersi sunt ad Christum. Contempti enim quique magis fidem amplexi sunt, iuxta illud Pauli: Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes, non multi nobiles, &c. Per eos verò qui extra ciuitatem collecti sunt, & introducti ad cœnam, intelligendi gentiles, ad quos sine lege Dei viuentes viram planè incompositam, & in viarum varietate errantes post Iudæorum vocationem missi sunt Apostoli, vt impleretur electorum numerus, qui ex Iudæis compleri non potuit. Si autem, vt quibusdam placet, per primos recusatores intelliganrur in genere Iudæi, iam per pauperes, debiles, cæcos & claudos in vicis ciuitatis repertos, intelligendi gentiles, quibus mox postquam Iudæi se reddidissent indignos regno Dei, Apostoli ex mandato Domini Euangelium prædicarunt, qui scilicet vicini erant terræ Iudæorum, aut cum eis in eisdem morabantur ciuitatibus, quos Iudæi vt cæcos & claudos despiciebant, sicut etiam re vera pauperes & miseri erant coram Deo. Per eos verò qui foris vocati sunt è viis & sepibus extra ciuitatem, intelligendi quamlibet obscuri populi in extremis orbis angulis commorantes, ad quos deinde prædicatorum ordo extrusus est, & in finem vsque seculi extruderur, quousque impleatur electorum numerus. Itaque duplici hac missione serui ad eos qui ab ipso Domino non erant inuitati, significabitur iterum atque iterum miseris gentibus mittendos, qui eas vocent ad lautitias cælestes, donec Euangelium ad omnes orbis angulos perueniat, & impleatur domus Domini. Quod autẽ dicitur seruo iam emisso in vias & sepes: compelle intrare: indicat ardens desiderium & summam liberalitatem Domini

1. Cor. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mini capientis suas delitias quam pluribus communicare: & rursum significat futuram ingentem rim prædicationis Euangelicæ, ac planè diuinam, quę effectura erat vt Ethnici qui belluino potius quàm humano ritu degebant, tam subitò ac in tanta multitudine ad tantam philosophiam euecherentur, vt videri possint coacti, & vis quædam illis illata. Itaque coactio hæc quæ in exemplo parabolę quidem accipi potest propriè, in re per parabolam significata non accipitur propriè. Nemo enim nisi voluntate ingreditur ad cœnam regni cælestis: at voluntas propriè cogi non potest, cogi tamen & compelli eatenus dicitur, quatenus per quædam exteriora inducitur, vt ex nolente fiat volẽs. Huiusmodi autem coactio qua seruos suos vult vti erga quosdam, quantum est ad propositum Domini, in tribus potissimum consistit. Primùm scilicet in miraculorum operatione, quibus mirè pertracti sunt. Ethnici ad fidem, & quodammodo coacti, dum non haberent quod contradicere possent. Secundò, in prædicationis & doctrinæ assiduitate & cõstantia, dum non cessat doctor omnibus modis errantes ad veritatẽ terrahere, nunc blandiendo promissis, nunc terrendo æternæ damnationis comminationibus, prout
2.Tim 4. Paulus admonet Timotheum vt faciat: Prædica, inquit, verbum, insta oportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia. Vnde per Ieremiam Dominus loquitur:
Hier.4. Nunquid non verba mea quasi ignis, & quasi malleus conterens petram? Tertiò, in vitæ sinceritate & integritate, quam si in doctore viderint homines, mirè permouentur ad veritatis quam prædicat susceptionem. His duobus posteriotibus modis Paulus se compulisse quodãmodo Thessalonicẽses insinuat, cùm scribit: Vos testes estis & Deus, quàm sanctè & iustè & sine querela vobis qui credidistis affuimus, sicut scitis qualiter vnumquemque vestrum (sicut pater filios suos) deprecantes vos & consolantes testificati sumus, vt ambularetis dignè Deo qui vocauit vos in suum regnum & gloriam. Præter istum autem cogendi ad cœnam Dei modum conuenientem seruis à Deo missis, est quidam cogendi modus Deo propriè conueniens, quo scilicet per immissas aduersitates quidã ad ipsum venire quodammodo

dammodo compelluntur, quomodo Apostolus Paulus ad fidem Christi pertractus est, quomodo etiam plerique fracti quibusdam aduersitatibus, ad Deum à quo receserant redire coguntur. Ad cuius modi similitudinem etiam his qui Dei vice in terris funguntur, siue in spiritualibus, siue in temporalibus, competit quidem cogendi modus, nimirum quo Ecclesiastici pastores per censuras Ecclesiasticas, & seculares principes per carceres, gladios & mortes, rebelles & inobedientes cogunt ad ordinem redire, aut in suo ordine persistere. De quo cogendi modo, quod ad Ecclesiasticos pertinet, loquitur potissimùm Paulus: cùm dicit: Arma militiæ nostræ non 2.Cor.10
carnalia sunt, sed potẽtia Deo ad destructionẽ munitionum consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam. Et: Quid vultis? in virga veniam ad vos an in charitate 1.Cor.4.
& spiritu mansuetudinis? Verùm cùm in parabola sit sermo de compellendis his qui necdum ad cœnam recepti sunt, hoc est, his qui sunt extra Ecclesiam, non debet illud: compelle intrare: potissimum intelligi de hoc vltimo cogendi modo. Nam hac compellendi ratione non est vtendum, nisi erga eos qui semel susceperunt fidem. Diuus Augustinus tamen intelligit, & intelligendum demonstrat de huiusmodi coactione, ostendens ex hoc loco principum secularium legibus & vindictis rectè hæreticos & schismaticos compelli ad vnitatem fidei & corporis Christi, contra eos qui illo tempore volebant neminem cogendum ad fidem, in quorum sententia etiam se fatetur nonnunquam fuisse, mutasse tamen postea sententiam, cùm perspiceret fructum illius coactionis. Itaque tractans hunc locum, vult per pauperes è viis ciuitatis collectos in secunda serui missione, intelligendas gentes, quæ antequam credidérant, non erant compellendæ, sed leniter introducẽdæ: per eos verò qui postea è viis & iuxta sepes colligi iussi sunt, & compelli introduci, hæreticos & chismaticos, quorum inobedientia est coercenda & cogenda. Intelligimus, inquit contra Gaudentiũ, vias, hæreses, schismata, sepes. Viæ quip- Aug. epist. ad Bonifa. 50. & li. 2. cõtra 2. epist. Gaudent. cap. 17.

pe significant hoc loco diuersas opiniones, sepes autem peruersas opiniones. Et in epistol. ad Bonifacium sic argumentatur: Si miraculorum terroribus cogendos voluisset intelligi, magis ad eos qui prius vocati sunt diuina miracula facta sunt, maximè ad eos de quibus dictū est: Iudæi signa petunt: In ipsis quoque gentilibus talia Apostolorum temporibus miracula Euangelium commendauerunt, vt si talibus cogi iuberentur, priores (vt dixi) potius coniunx coacti esse merito crederētur. Qua propter si potestatē quam per religionem ac fidem regum, tempore quo debuit, diuino munere accepit Ecclesia, hi qui inueniuntur in viis & sepibus, id est, in hæresibus & schismatibus, coguntur intrare, non quia coguntur resipiendant, sed quo coguntur attendāt. Hæc ille, qui eandem expositionem sequitur serm. 33. de verbis Domini. Venerunt, inquit, de plateis & vicis gentes, veniant de sepibus hæretici, hic inueniunt pacem. Nam qui construunt sedes, diuisiones quærunt. Trahantur à sepibus, euellantur à spinis. In sepibus hæserunt, cogi nolunt. Voluntate, inquiunt, nostra intremus. Non hoc Dominus imperauit. Coge, inquit, intrare. Foris inuenitur necessitas, nascitur inde voluntas. Hæc autem Augustini tractatio, etsi sanè sit admodum docta & accommoda, multum ad refellendum errorem illum, quo & suo & vestro tēpore hæretici volunt neminem autoritate principum cogi debere, exulis, carceribus & mortibus: tamen altera prius tradita explicatio magis videtur esse genuina, tum quòd videatur per eos qui in viis & iuxta sepes sunt, magis significare Dominus eos qui nedum credidissent tum quod per seruum missum magis significentur prædicatores & pastores quàm secularis potestates. Ideo autem in tertia potius quàm in prima vel secunda serui missione dicitur: compelle intrare: vt sicut dictum est, significaretur ardens Domini desiderium, & subindicaretur vehementiorem & constantiorem prædicationem adhiberi oportere gentibus potissimum Barbaris, vt pote sortitet à dæmonibus detentis, & in profundum errorum demersis, qui & pondere peccatorū depressi veteri merito potuissent ad cœnam magnifici intrare Domini. Concludit autem Dominus

minus suam parabolam, dicēs: Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorū qui vocati sunt gustabunt cœnam meam. Quæ cōcluso videtur dicta potius à Domino in sua persona, quàm in persona eius de quo est parabola, vt tam parabolam reducat ad propositum, quemadmodum in fine aliquando facere solet: cum dicit, dico vobis, cùm prius introduxerat patremfamilias loquēs cū suo seruorum quia per illud: Dico vobis: Dominus affirmare solet id quod attendere auditores vult. Significatur ergo Iudæos primùm vocatos prorsus destituendos Dei vera cognitione, & à regni cœlestis gaudiis excludēdos. Porrò quo & nos ex huius parabolæ lectione fructum percipiamus, in ipso patrefamilias qui cœnam hanc parauit, obseruandum quanta sit Domini benignitas & liberalitas, quòd cùm sumptuosam parasset cœnam, & hi qui soli ab ipso erant inuitati, & quibus solis ea cœna parata videbatur, sese ab ea subducerent, non tamen destitit seruos suos non semel tantū, sed frequenter emittere ad vocandum eos quibus nulla spes erat fruendi hac cœna, neminem quātumuis pauperem & miserum tam honorifica cœna indignum existimans, imò pauperes & miseros nominatim adduci iubens, nec adduci tantùm, sed etiam cogi nō prius seruos suos cessare volens quam domus sua repleta esset, vt ob id merito nos gentes ipsum honorare & laudare debeamus super immensa eius erga nos misericordia, vt admonet Paulus. In seruo patrisfamilias, de quo in parabola, obseruandum, quanta debeat esse pastoris Ecclesiastici, cura & diligentia, vt quamplurimos ad conuiuium cæleste introducat, quodq; omnē suæ prædicationis successum ad Dominum referre debeat, nihil nisi ad illius, præscriptum facere, sedulus esse, vt quæ constituta ei sunt exequatur, neminem quantumuis abiectum indignum existimare sua opera, in hoc vigilanter incumbere vt domus Dei impleatur ex vndecunque collectis, ne satis est se sibi putet si quosdam introduxerit. In his qui vocati sese excusauerunt, obseruandū nobis, ne & nos ad cœnā vocati, similibus rationibus subducamus ab ea, cùm tēpus est introeundi ad eam, ne cùm voluntatem habeamus intrandi, intrare non valeamus. Valde enim tre- Rom. 15

menda illa sentẽtia: Dico vobis, nemo virorum illorum gustabit cœnam meam. In pauperibus vocatis è vicis & viis obseruandum, neminem quantumuis peccatis deformatum, quantumuis rusticum & indoctum, quantumuis miserum & contemptum in hoc mundo, se reputare indignum debere magnifica Christi cœna, si modò vocanti seruo obedire non recuset. Imò qui pauper est, miser & abiectus, hoc ipso confidere debet magis, ex Dei dignatione se aptum hoc conuiuio, quòd tales reiectis diuitib. fastidiosis, peculiariter Dominus vocari iusserit.

DOMINICA III. POST TRINIT.

EVANGELIVM.

Luc. 15 *IN illo tempore: Erant autem appropinquantes ad Iesum publicani et peccatores, vt audirent illũ: Et murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis: Et ait ad illos parabolam istam dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, et si perdiderit vnam ex illis nónne dimittit nonaginta nouem in deserto & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: & veniens domum conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico autem vobis, quòd ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente magis quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nónne accendit lucernam. & euertit totam domum, & quærit diligenter donec inueniat eam? Et cùm inuenerit, conuocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quã perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.*

EXplicatis, quæ de prioribus fidei nostræ articulis, Euangelica docet traditio, nempe, quemadmodum sit orbis restitutus per aduentum, natiuitatem, mortem, resurrectionem, ascensionem in cælos Mediatoris, & Redemptoris Domini nostri Iesu Christi, successit deinde à Pentecostes festo, quo aduentum Spiritus sancti in discipulos celebrauimus, ad hanc vsque dominicam satis dilucida, de Ecclesia catholica doctrina: Quo pacto nimirum illa, per Spiritum sanctum sit propagata, conseruataque, nec non, quomodo in eam per baptismum pateat accessus, quo pacto baptizatum spiritualiter renasci oporteat: Denique quantæ felicitatis sit in Ecclesia & esse, & ad finem vsque permanere. Hodierno verò die, illum Ecclesia charitatibus vestris articulum proponit, qui priorem illum de Ecclesia, proximè in symbolo sequitur. Et est de remissione peccatorum, quemadmodum ex Euangelio audituri sumus. Nec id iniuria, primùm quod nemo ferè tam exactè officium suum faciat, nullusque tam exactè vocationi suæ respondeat, quin aliquando peccet, labatur, atque delinquat. Etenim Iaco. 3 quam rarò fiat, vt sic viuamus omnes, ne offendamus in multis, sicut ait D. Iacobus: satis luculentum nobis exhibet, huius diei lectio, testimonium. In qua princeps Apostolorum Petrus, quid sit alumnis Ecclesiæ fugiendum, quidue sequendum, apertè demonstrat: Dum fugiendam esse docet auaritiam, superbiam, rerum mundanarum curam, crapulam, ebrietatem, libidinem, ignauiam &c. Econuerso autem, humilitatem, rerum terrenarum neglectum amplectendum, sobrietati, vigilantiæ simul & castitati studendum. Atqui quotus quisque ista præstat? quis in istis inculpatum per omnia gerit animum? Non fuerat itaque congruentior, & quæ magis in rem foret, adflictis conscientiis offeri, quàm hæc Euangelij, de remissione peccatorum, doctrina. Quę omnibus proponit atque commendat, Domini erga peccatores pœnitentes, & ad frugem vitæ melioris conuersos, fauorem, curam atque defensionem, non solùm verbis amplissimis, verùm etiam factis & rebus familiariter cum ipsis conuersando & colloquendo. Quemadmodum Euangelica historia his verbis manifestè confitmat.

ERant autem appropinquantes ei publicani & peccatores, vt &c.] Inter multos qui dicti sunt ab aliis Euangelistis conuenisse ad Christum, etiam accesserunt eum

peccatores & Publicani, quales olim causa doctrinæ & baptismi ad Ioannem confluxerant. Tantam enim Dominus præ se tulit erga omnes benignitatem, vt nemo quantumuis multis & grauibus obnoxius peccatis, quãtumuis alijs abominandus, ob suam impuritatem vereretur accedere ad illum esse sanctissimum, & ab omni vitio alienissimum. Tanta rursum doctrinæ eius fuit efficacia & dulcedo, vt & eos qui iam vitijs & rebus huius seculi penitus erant addicti, ad se traheret discendi causa. Id videntes Scribæ & Pharisæi, qui nusquam aberant à Domino, vbique & semper quærentes quod carperẽt, cùm congratulari meritò debuissent peccatoribus resipiscere cupientibus, & collaudare Domini benignitatem, quòd neminem fastidiret, aut à se submoueret, solito suo more contra Dominum murmurabant, id in eo reprehendentes, quod summè fuerat prædicandum, idque ex suo ingenio & more, sanctitate alicuius indignum reputantes, quod certissimum veræ sanctimoniæ signum est. Hic, inquiunt, peccatores recipit, & mauducat cum illis. Similem calumniam Pharisæorum describunt Matthæus cap. 9. Marcus cap. 2. & Lucas cap. 5. Quod autem dicunt tale est: Hic qui nouam quandam sanctimoniam profitetur, tamen non vitat malorum consortia, sed nocentes & infames etiam peccatores ad colloquium admittit, & adeò non fugit congressum, vt cibum etiam cum illis capiat, non cogitans quòd malorum contubernio contaminentur boni. Itaque Dominus vt suum factum à Pharisæorum calumnia vindicaret, & illorum fastuosam sanctitatem coarguetet, tres parabolas proposuit, diuersis argumentis eodem tendentes, nimirum vt ex his quę in quotidiana accidunt consuetudine, intelligerent omnes, quanta cura peccatores sint ad resipiscentiam inuitandi, quantoque benignitate recipiendi cùm resipiscunt, & quantopere sit omnibus gaudendum de eorum resipiscentia & receptione, tantùm abest vt quis obmurmuret, aut inuideat, ac reprehendat. Dicit ergo Euangelista:

Et ait ad illos parabolam istam dicens: Quis ex vobis homo, qui habet, &c.] Primam hãc parabolam etiam Matthæus habuit capite 18. sed contractius illic posita est quàm hoc loco, & ad alium tendit scopum. Illic enim dicta est, vt ex ea intelligentes & quanta cura Deus quemlibet peccatorem requirat, & quanto cum gaudio resipiscentem suscipiat, duplici hoc nomine caueamus ne quem quantumuis pusillum & abiectum scandalizemus. Hic verò ad eum finem dicta est, vt intelligentes quanta cura peccatores sint requirendi, & quanta clementia suscipiendi, non obmurmuremus iis qui eos requirunt & suscipiunt, sed congaudeamus recipientibus & receptis. Porrò vt commodè parabolæ istæ tractentur, sciendum quòd in duabus his prioribus quæ similis sunt generis, Dominus ex his quæ in rebus humanis quisque erat facturus, & in quotidiana consuetudine accidere solent, ostendere voluit non esse mirandum si peccatores admitteret & reciperet. Sibi enim ad instar hominis qui ex multis ouibus vnam perditam, aut mulieris quę ex multis drachmis vnam perditam diligenter requirit, & ob repertam vehementer gaudet, aliosque ad congaudendum sibi prouocat, merito summam esse curam vt perditum & adhuc errantem quemque ad electorum numerum pertinentem in viam reducat, electisque coniungat, eoque cum Publicanis & peccatoribus lubenter cõgredi, vt ad resipiscentiam eos prouocaret, ex qua & sibi & secum Angelis Dei singulare gaudium sit prouenturũ, atque ob id Pharisæos & Scribas, qui illud iniquè ferebãt, declarare se diuersam à Deo atque sanctis eius Angelis mentem habere, ac proinde prauam & sathanicam. Hic est parabolarũ scopus à Domino intentus, quemadmodum patet ex applicatione ipsius, quanquam ea ab ipso non nisi ex parte fiat, pro more enim suo reliqua reliquit nostræ intelligentiæ. Et quidem intellecto scopo intento à Domino per has parabolas, iam hic confistere liceret, vt non inquireretur vlterius quid mysticè per hominem habentem centum oues in prima parabola significetur, quid per centum oues, quid per 99. relictas in deserto, & sic de reliquis: & in secunda, quid per mulierem, quid per decem drachmas, &c. Quæ enim de homine habente centum oues, & muliere habente decem drachmas dicuntur, non tam ob id dicuntur, vt per ea aliquid mysticè significatum intelligamus, quàm vt ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

comparatione illarum personarum cum Christo intelligerent omnes illius factum à calumnia liberum esse, & Pharisæorum murmurationem iniustam esse & impiam. Iam in comparationibus vnius cum alio non est necesse illud cui aliquid comparatur significationem habere mysticam: Tamen quoniam in his parabolis, & aliis omnibus, quanquam sint nudæ comparationes, antiquissimi patres, Græci pariter & Latini, mysticè aliquid significatũ intellexerunt per ea quæ in exẽplis humanis dicuntur, sicut etiã satis apparet ex singulari exẽplorum delectu, & rei diligenti descriptione & narratione, hinc vlterius videndũ quæ sint harum parabolarum mysticæ significationes, quæ sic cõmodè tractabuntur, si dicamus in prima quidem parabola Dominum induxisse exemplum hominis habentis centum oues, vt significaret se verum esse pastorem, cui à patre oues rationales sunt commissæ: per centum oues, significasse certum & perfectum electorum numerum. (Centenarius enim numerus perfectus est) per vnam verò ouem perditam, vnumquemque electum adhuc errantem: Per hoc quod relictis 99. in deserto, homo ille abiit ad illam quæ perierat donec inueniat eam, significauit se singulariter venisse in hunc mundum, vt peccatores requireret, nec destiturum donec inueniat quotquot ad electorum numerum pertinent. Per hoc quod homo ille inuentam ouem erraticam non increpat, aut præ ira percutit, aut occidit, sed imponit in humeros suos gaudens, aliisque coniungit, & domum veniens etiam vicinos & amicos ad congaudendum inuitat præ nimia gaudij magnitudine: significauit se non indignari oui errabundæ ob pristinos errores, sed singulari dilectione & prouidentia prosequi, nec se tantùm ob eius salutem gaudere, sed secum omnes cælestes spiritus sibi amicos & vicinos. Sic & in secunda parabola rectè intelligitur se ob id comparasse mulieri, quòd ipse esset sapientia patris: per decem drachmas, rursum certum & perfectum electorum numerum significasse, quòd & denarius numerus sit perfectus.
2. Tim. 2. Perfectus est autem electorum numerus, quia tot sunt quot esse conueniebat & oportebat. Per drachmas rectè

significantur electi, quòd imaginem & similitudinem Dei in se impressam habent, aut potius signaculum illud de quo Paulus: Nouit Dominus qui sunt eius. Per drachmam perditam idem significatum quod per ouem perditam. Per hoc quòd mulier accendit lucernam, & euertit domum, vel, vt potius legẽdum esset, euertit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam: significarum diuinam sapientiam per assumptam humanam naturam quam luce suæ diuinitatis impleuit, fugasse tenebras huius mundi, ac mundum hunc veluti domum suam repurgasse, & circumeundo per ciuitates ac vicos, mittendoque Discipulos in vniuersum mundum, diligenter quæsisse vnumquemque perditum peccatorem, deque eius salute cum suis Angelis singulari & magno affici gaudio. Hæc mystica parabolarum istarum tractatio, & per singulas partes accommodatio conuenit intentioni & scopo Domini. Cæterùm est apud patres & alia mystica harum parabolarum tractatio, qua per centum oues & decem drachmas, intelligitur Angelica simul & humana natura, vt 99. oues relictæ in deserto, & nouem drachmæ non perditæ, sint Angeli propter nouem choros Angelorum: vna autem ouis & drachma perdita significet humanam naturam perditam in Adam, ad quam inueniendam Christus relictis in cælo Angelis, venit in hunc mundum, magno & infatigabili labore quærens repertam Angelorum numero coniungere. Verùm istud non esse quod Dominus significare potissimum voluerit, patet ex conclusione qua parabolas suo proposito accommodat dicens: Ita dico vobis, quia gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente: quo satis significatur per vnam ouem aut drachmam perditam se significasse vnumquemuis peccatorem potius quàm totam humanam naturam. Neque tamen ea patrum tractatio tanquam vana est reiicienda, quia, vt dictum est in parabola Samaritani, Dominus in omnibus ferè suis parabolis, præter id ad quod primò & principaliter assumuntur, mysteria aliqua nobis voluit commendare, quemadmodum & factis ac miraculis suis, quæ mysteria in parabolis & factis Domini significata cùm pa-

tres ab initio concorditer intellexerint, verisimile est eos accepisse per manus ab Apostolis. Sin minus, vana certè ob patrum autoritatem haberi non potest huiusmodi tractatio. Quod autem dicitur in conclusione primæ parabolæ, maius esse gaudium in cælo super vno
Eccles.7 peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonagiginta iustis qui non indigent pœnitentia: duplicem habet quæstionem. Primùm enim qui sunt iusti, non egentes pœnitentia, cùm scriptura dicat non esse iustum qui non peccet, ita vt vnusquisque dicere debeat: Dimitte nobis debita nostra. Deinde quomodo maius est gaudium de vnius peccatoris conuersione, quàm multorum iustorum iustitia: cùm maius bonum sit multorum iustitia & innocentia, quàm vnius pœnitentia? Ad hæc dupliciter responderi potest. Primò, vt dicatur Dominum loqui de his qui putabant se iustos, nec egere pœnitentia, quales erant Phariſæi contra quos hæc dicta sunt, quemadmodum aliqui intelligunt illud à Domino dictum occasione similis calumniæ: Non veni vocare iustos, sed peccatores. Maius enim esse gaudium Deo & Angelis de vnius peccatoris vera pœnitentia, quàm de multorum præsumpta iustitia, nullum est dubium. Quod si, vt magis est intelligendum, accipiatur Dominus loqutus de iis qui sunt iusti secundum eum modum quo in scripturis aliqui dicuntur & sunt iusti: dicendum ipsum asserere tales non indigere pœnitentia, quia in statu salutis constituti, non egent status mutatione, quam includit nomen pœnitentiæ, nec tali egent pœnitentia, qualis hi qui ex professo sunt peccatores. Maius autem gaudium dicit esse de vno pœnitente quàm multis iustis, ad eum modum quo in hac eadem parabola dixit apud Matthæum, hominem aliquem magis gaudere super errabunda oue repesta, quàm super 99. quæ non errauerunt, videlicet quia maius actuale & sensibile gaudium est, de vnius pœnitentia quàm multorum innocentia: quomodo patet aliquis magis gaudet de vnius filij restituta valetudine, quàm de multorum filiorum qui nunquam fuerunt in periculo integra sanitate, etiamsi omnes filios ex æquo diligat, aut sanos etiam magis diligat. Cogitandum enim Dominum in mul-

in multis vulgarissimè locutum, atque de diuinis ac spiritualibus rebus disseruisse, tanquam de humanis. Cæterùm Diuus Gregorius etiam aliam indicat rationem dissoluendæ quæstionis secundæ, scribens in homilia in hunc modum: Plus autem de conuersis peccatoribus quàm de stantibus iustis in cælo gaudium esse fatetur, quia plerunque hi qui nullis se oppressos peccatorum morbis sciunt, stant quidem in via iustitiæ, nulla illicita perpetrant, sed tamen cælestem patriam non anhelant, tantoque sibi in rebus licitis vsum præbent, quanto se perpetrasse nulla illicita meminerunt. Et plerunque pigri remanent ad exercenda bona præcipua, quia valdè sibi securi sunt, quòd nulla commiserint mala grauiora. At contra nonnunquam ex qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti, in ardescunt in amorem Dei, sesequ in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, acceptis contumelijs lætantur, flagrant desiderio, ad cælestem patriam anhelant, & quia se errasse à Deo considerant, damna præsentia lucris sequentibus recompensant. Maius ergo de peccatore conuerso quàm de stante iusto gaudium sit in cælo, quia & dux in prælio plus eum mitem diligit qui post fugam reuersus, hostem fortiter premit, quàm illum qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter gessit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas vberes fruges profert, quam eam quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem producit. Hæc ille. Diuus Cyprianus libro de duplici martyrio, hæc omnia prædicta sic ferè paucis complexus est. Non hoc sic accipiendum est quasi Deo & Angelis eius gratius sit post lapsum redire ad pietatem, quam citra lapsum perseuerare in innocentia. Sed scriptura suo more loquitur secundum affectus humanos, illud testatum esse volēs, Deo gratissimam esse peccatorum conuersionem. Non enim quærit mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Atque interdum piorum hominum lapsus quamuis enormes diuina dispensatione vertuntur in summam Ecclesiæ profectum

fectum. Sic lapsus est Apostolorum princeps, sic Paulus doctor gentium, sic Maria Magdalene, quibus nunc Ecclesia præcipuè gloriatur, quorum lapsus cesserunt in stabilimentum ac solatium domus Dei. Præterea non hic loquitur de verè iustis, sed de iustitia Pharisaica, quemadmodum alibi dicit: Non est opus sanis medico, sed malè habentibus. Hæc D. Cyprianus.

DOMINICA IIII. POST TRINIT.

EVANGELIVM.

Luc. 6 *IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Estote misericordes, sicut & pater vester cælestis misericors est: Nolite iudicare, & non iudicabimini: Nolite condemnare, & non condemnabimini: Dimittite, & dimittetur vobis: Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem & illis similitudinem. Numquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: frater, sine eiciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non vides? Hypocrita eice primùm trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui.*

ORdo Ecclesiasticæ doctrinæ hic est, Auditores in Christo dilecti: Exhibita præcedenti Dominica, ex Euangelio fuit ineffabilis erga pecatores misericordia Dei patris, & philantropia Christi. Illius in suscipiendo reuertentes: huius, in requirendo ac reducendo errantes, & pro eisdem satisfaciendo. Verùm quis fructus subsequeretur, si aliud nihil, quam misericordia per totum anni circulum doceretur, facilè, ex huius temporis moribus coniectare licet. In iis namque locis, vbi sola fides beneficia Christi, & misericordia Dei prædicantur, adeo

adeo securi redduntur auditores, vt nulla teneantur bonorum operum cura, nec peccatorum vlla pœnitentia. Quam quidem ob causam, proinde factum est, vt consolationem illam Euangelicam, ne Christianorum animi dissoluerentur, statim hodiernum consequeretur Euangelium, quod non nisi meras ad bona opera exhortationes continet. Vt postquam accepimus, qua mente sit erga nos Deus pater affectus, vicissim audiamus, quales ipse nos velit habere filios, misericordia etenim patris, non solùm ad fruendum, verùm etiam ad imitandum nobis exhibetur. Vt eandem beneficentiam, quam à Deo lætanter amplectimur liberaliter etiam proximis impendamus. Euangelista igitur hunc in modum loquitur.

ESTOTE misericordes, sicut & pater vester cælestis misericors est.] Quod Lucas hic dicit, Estote misericordes, Matthæus dicit, Estote perfecti. Dominus enim locutus fuit de perfectione dilectionis pertingentis ad quoslibet, quam immolandam in Patre cælesti proponit, ne contenti scilicet essent mutila & imperfecta filiorum huius seculi dilectione & benignitate, qui benigni tantùm sunt in eos, à quibus sperant vicem rependendam. Nam in aliis quomodo præstare possimus perfectionem Patris cælestis? Hæc autem perfectio dilectionis nihil aliud est quàm misericordia & benignitas, propensum reddens hominem ad commodandum & iuuandum omnes nostra ope indigentes. Non enim hic misericordiæ nomen accipi videtur strictè, vt virtutem illam significet, quæ misericordia dicitur, qua alienis miseriis & necessitatibus indolescimus, sed quomodo frequenter accipitur in scripturis, vt sit idem quod beneficus & benignus, & respondeat apud Hebræos dictioni, hhasid, sicut etiam misericordia sæpè accipitur pro quouis beneficio, respondens scilicet dictioni Hæbraicæ hhesed. Vnde qui raro & egregio beneficio se affectum à Domino vel homine voluit significare, cum memorat scriptura dicere solitũ (vt nostra quidẽ versio reddere solet) fecit mecũ misericordiã: quod tamen per inde est atque, adfecit me singulari beneficio. Sic Genesis vige

sis vigesimo, dicit Abraham Saræ: Facies mecum misericordiam. Et Genesis 21. dicit Abimelech Abrahæ: Iuxta misericordiam quam feci tibi, facies mihi. Et hic enim postquam Lucas dicit patrem cælestem benignum esse ergà malos & ingratos, deinde infert: Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est. Vnde satis patet illi idem esse, benignum & misericordem esse. Et tamen etiam propriè accipiendo misericordiam, ad eam pertinet diligere & benefacere inimicis, vt scilicet quis miserius graui ipsorum quo laborant malo odio studeat eos beneficiis sibi demereri & sanare, secundum consi-
Prou.25 lium Sapientis, qui dicit: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: & si sitierit, potum da illi, hoc enim faciens carbones ign. congeres super caput eius. Porrò cùm dicit Dominus: estote ergo vos perfecti, non intelligendum est Dominũ tantùm loqui de perfectione illa, quæ est consilij Euangelici, qualis est illa de qua dicitur: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: quasi omnia quæ præcesserunt de dilectione etiam speciali inimicorum, sint purè consilij & non præcepti. Sunt enim & hæc partim cõsilij, partim præcepti, & talia planè, vt nisi ea obseruemus, & hic iustitiam Pharisæorum & Scribarum perficiamus ac superemus, non ingrediamur regnum cælorum, quemadmodum Dominus in principio præmisit. Scendum ergo omnes sub peccati reatu obligari ad dilectionẽ inimicorum, quod attinet ad communia dilectionis indicia: quod verò ad specialia indicia pertinet, etiam obligari, cùm necessitas vel promouendæ gloriæ Dei, vel iuuandi eos occurrit: extra verò huiusmodi necessitatis casum, consilij est, & eximiæ perfectionis Euangelicæ, specialia eis dilectionis indicia & beneficia exhibere. Qui autem ex animo omnium quærit salutem, omnibusque prodesse cupit, quique etiam suæ saluti securè cupit prospicere, is apud se non anxiè pensabit, num necessitas exigat benefacere amico, an vtilitas tantùm suadeat, sed quantum in se est, pro viribus, omni oblata occasione, quibuslibet prodesse studebit, certus hac ratione se Deo fieri simillimũ, illumque se sibi demereri, quantumuis ingrati vel impotentes ad remunerãdum sint homines quibus benefacit.

facit. Et quidem in hoc maximè præcepto deberemus Christiani id præstare, quod cuiusque secte homines faciunt, quomodo Platonici ea maximè tuentur, quæ peculiariter Platonis sunt dogmata. Hic enim locus Christianæ Philosophiæ proprius est. Vbi enim obsecro, & apud quos alios homines inuenitur, vt quis conuitiis affectus bene precetur, maledictis lacessitus oret, si spolietur vna veste, alteram spolianti addat? Quæ igitur propriè nostra sunt, in hæc accuratius incumbamus. Et tamen quod roborem nobis meritò inferat, à quibusdam philosophis gentilibus, inuenire licet hæc Christi præcepta, quamuis imperfectè, adimpleta & præstita esse, quemadmodum narrat D. Basilius de Pericle, de Euclide Megarensi, de Socrate, qui percussus alteri, ei præbuit maxillam. De Alexandro, virginũ pulcherrimarum conspectum fugiente, ne ab earum aspectu caperetur. De Clinia, iusiurandum etiam verum recusante.

Libr. de cap. vtilit. ex Gentilium libris.

Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non, &c.] Qui certam &. expeditam dictorum & factorum Domini. vt ea Euangelistæ conscripserunt, volet intelligentiam habere, enim necesse est prius meminisse illos nihil aliud spectasse, quàm vt ex paucis quæ de Christo narrant, doctrinæ & vitæ ipsius imaginem aliquam nobis proponerent, ex qua illum esse Christum & saluatorem agnosceremus, & ante oculos quæ vita digna Deo sit haberemus. Ideo nequaquam annumerare verba illius, aut suo ordine singula recentere curæ illis fuit, breuiter annotasse quædam, ex quibus reliqua coniicere quis posset, contenti fuere. Hinc ergo nõ dubitandum, Dominum in hoc prolixo sermone fusius & explicatius multa dixisse, ac pi raque alio etiam ordine, quàm Euangelistæ conscripserunt, simul eadem sæpè aliàs quoque docuisse, quando in his summa pietatis sita sit. Proinde non est curiosè nimis ad laborandum, vt singula superioribus certo ordine obseruato connectantur, aut ex ordine seruato ab vno Euangelistarum, reliquorum narrationes æstimẽtur. Quod ideo hic monere visum est, quod omnino caput Matthæi septimum, & Lucæ sextũ, ex quo hodiernum Euangelium excerptum est, miscellanea quædam cõtineat, quæ si quis velit certo

Universidad de Deusto
Biblioteca

certo ordine, aut inter se, aut cum superioribus studiosius aut curiosius connectere, is sibi vitro tenebras offuderit, & implicabit potiùs quàm explicabit. Habet tamen principium huius capitis ad superiora non omnino ouilum ordinem. Continuatio enim est eius quod dictum est in fine cap. quinti. Vnde hęc doctrina de non iudicando quenquam, à Luca statim subiungitur, postquam dixisset: Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est. Pertinet enim ad idem ad quod ea quæ illam sententiam præceduut, nimirum ad dilectionem proximo exhibendam. Itaque postquam Matthęus interposuisset doctrinam Domini de vitanda cupiditate laudis humanæ in bonis operibus hypocritis propria, & vitanda cupiditate & solicitudine rerum terrenarum, qua vulgus hominum ferè laborat, redit ad doctrinam dilectionis proximi qua iam resecatur & aliud vitium Pharisæis & Scribis peculiare, necnon & hominum vulgo passim commune. Si quidem Pharisæi quum sibi ignoscerent in grauissimis peccatis, tamen aliorum iudices erant inclementissimi, etiam ea calumniantes quæ recta erant, nisi è interpretantes quæ erant dubia, exaggerantes quæ erant leuia, & omnino, vt Dominus illis exprobat, excolātes culicē, camelum autem glutientes. Sic & ingenio vulgi inter reliqua vitia penitissimè insitum est, in alienis factis curiosum esse, eaque censere, vt cùm in seipsis verè iusti & laudati homines esse nequeant, aliorum saltem collatione nōnullam probitatis vmbrā sibi concilient. A quo sanè morbo suos docet hic Dominus debere esse alieniſſimos. Porrò quo doctrina ista Saluatoris rectè intelligatur, certū imprimis non prohiberi hic Christianis omne iudicium. Non enim prohibetur seculari magistratui & Episcopis iudi-
1. Cor. 5 care facinorosos, cùm Paulus ipse fornicarium Corinthium iudicauerit, & dixerit: Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare? Nónne de his qui intus sunt vos iudicatis? Et Dominus toties condēnauit Pharisęos, dicēs: Væ vobis Scribæ & Pharisæi. Nec rursum omne iudicium hic priuatis personis prohibetur, cùm mox in sequentibus Dominus admoneat vt caueamus à falsis prophetis: A fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos.

Ad quem

Ad quē modum dicit & Ioannes: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quod vtiq; sine iudicio quodam fieri non potest. Prohibetur ergo hic primùm iudiciū quo quis curiosius obseruans alie na dicta vel facta, in animo suo ea censet, & verbis etiā proiectis condemnat tanquā mala, cùm sint dubia, aut etiā apertè bona. Deinde iudicium quo priuatus alterius dicta & facta etiam apertè satis mala notat, nō vt emendet aut illū aut alios, sed vt famæ eius detrahat, denigratóque proximo sibi probitatis opinionē conciliet. Postremū prohibetur iudicium quo quis hominem quædam apertè mala committentem condemnat veluti desperatæ salutis. Nam prohiberi potissimum iudicium de rebus dubiis (de quibus etiā prop' & dicitur esse iudiciū) patet ex illo Pauli: Nolite iudicare ante tempus, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum. Et rursus ad Romanos decimo quarto, dū iudicium prohibet, de his rebus loquitur quæ incertū erat quo animo fierent. Quod autem etiam iudiciū detractorium prohibeatur, satis o-
Iacob. 4. stēdit illud Iacobi: Nolite detrahere alteruti' e.n fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. Iudicium autem quo fratris iudicatur desperata salus, etiam prohiberi docet illud Pauli: Tu quis es qui iudicas alienum seruū? Do-
Rom. 6. mino suo stat aut cadit. Stabit autem: potens est enim Deus statuere illum. Prohibetur ergo iudicium proximi malignum & temerariū, quod scilicet ex curiositate noxia, aut inuidentia, & odio ac peruersitate animi ex aliena ignominia voluptatem capientis aut deniquē superbia captante ex aliorū collatione opinionis proprię augmentum, & de singulis iudicare præsumente, gignitur. A quali iudicio Christianus, triplici nomine meritò abstinere debet. Primò, quod conueniat eum sua facta & dicta diligentius attendere, atq; in his suos lapsus, errata & perfectus perspicere vt non libeat ei aliena curiosius obseruare aut obseruata carpere. Secū do, quod fraternæ charitatis sit aliena vitia occultare eáque extenuare, & ad ea conniuere dubia verò eādide interpretari. Tertio, quod agnoscere se debeat proximi

Triplex de causa abstinendum à temerario

Universidad de Deusto
Biblioteca

sui conseruum esse, non iuditem,& od id iniuriã etiam Deo facere, cuius officium sibi vsurpat. Ad quàm
Iacob.4. causam respexit & Iacobus & Paulus. Hic verò Domi-
Rom. 14. nus potissimum videtur respexisse ad causam secundam, volens abstinendum ab huiusmodi temerariis & malignis iudiciis,quòd cum fraterna charitate pugnet. Postea tamen etiam primam respicit rationem, cùm subiicit: Quid autem vides festucam,&c. Porrò iudicare,est sententiam de re aliqua ferre: verum quoniam hic in malam partem accipitur,quomodo iudicare non est aliud quàm condemnare, ideo explanationis gratia additum est: *Nolite condemnare, vt non condemnemini.*] quæ tamen pars in Græcis non inuenitur, nisi apud Lucam, sicut nec in antiquis Latinis exemplaribus inuenitur apud Matthæum, in quem videtur ex Luca translatum. Quoniam autem eiusdem charitatis ac similis præmij est, non condemnare proximum aut proximi dicta vel facta,& peccanti in se fratri ignoscere, atque ob indigentiam aliquid petenti dare quibus opus est, ideo apud Lucam bene subiicitur: *Dimittite & dimittemini, hoc est,remittetur vobis. Date,& dabitur vobis.*] Hæ autẽ promissiones: non iudicabimini, non condemnabimini, dimittemini, dabitur vobis:dupliciter possunt intelligi Quidam enim eas referunt ad ipsos homines, vt sit sensus:Ne iudicetis alios, sic fiet vt ipsi vicißim non iudicemini ab hominibus,& sic de reliquis. Vnde pro eo quod nos legimus impersonaliter, remittietur vobis, Erasmus vertit, remetientur alij vobis. Cui sensui satis consonum est quod apud Lucam dicitur: Mensuram bonam & confertam dabunt in sinum vestrum. Ideo autem secundum hunc intellectum Dominus ab iniquo & prauo iudicio auocat,ea ratione,ne & nos quoque illud experiamur,quòd natura mirè inuisa res omnibus sit,sua ab aliis curiosè & odiosè vestigari,ac finistrè arbitrati. Commodè igitur monuit, vt sicut ab aliis per molestum est, nostra inimicè & citra candorem accipi,aut etiam improbè diiudicari, ita vicißim in æstimandis censendisque alienis æquitatem & candorem non posthaberemus. Qui enim aliquam æquitatis portiunculam retinet,à prauo & odioso iudicio vitæ alienæ facilè absterrebitur, si cogitet quàm graue & permolestum sibi sit,se & sua ad hunc modum iudicari. Porrò secundum hunc intellectum promissiones istæ non sic sunt accipiendæ quasi generaliter & vniuersaliter vere, & in omnibus sic se habentes. Non enim si quis candidè de proximis & factis ipsorũ sentiat,ob id à nullo ei iniquum iudicium est expectandum. Quis enim ab iniquo iudicio vnquam fuit alienior Christo, & quis tamẽ id æquè passus est ab aliis? Sed Dominus rudibus & vulgarib⁹ locutus hæc dixit,quòd vulgò ac ferè sic fieri soleat. Omnino enim qui candidè facta aliorum interpretantur,apud plurimos vicem merentur, licet non omnes. Ita contrà qui omnium censores se faciunt & citra æquitatem,ij planè & aliorum iudiciis iniquio⁹us sese reddunt obnoxios. Sic qui facilem se vel in remittendo,vel in dando præbuerit, ei vt in plurimum vicißim ab aliis remittetur,& dabitur ac beneficiet,idque cumulatißimè,quod per mensuram bonam,confertam,concussam, & exundantem intellexit Dominus. Sunt enim hæ sententiæ è vulgi sermone mutatæ, quibus Dominus hortari ad id voluit, quod infrà mo⁹e subiicit: vt omnia quæcunque volueritis vt faciant vobis homines,& nos faciamus illis. Tum monere,ita comparatũ esse,diuinit⁹, vt quales ipsi fuerimus in alios, tales alios experiamur erga nos,iuxta illud: Anima quæ benedicit impinguabitur:& qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Similes sententiæ in scripturis frequẽter occurrunt, quibus bene vel malè operantibus promittitur aliquid temporale bonum vel malum obuenturum, non quod semper contingat, sed quod vt in plurimum. Hinc est illud centuplum, quod in hac vita promittitur iis qui propter Christum aliquid reliquerint. Et illud: Qui dat pauperi,non indigebit. D. Augustinus autem & Chrysostomus, aliique veteres, has omnes promissiones ad Deũ referunt,vt sit sensus:Nolite condemnare vestros proximos, & non condemnabimini à Deo. Remittite aliis quæ commissa sunt in vos,& remittẽtur vobis peccata vestra à Deo. Date indigentibus & petentibus, & vicißim dabit vobis Deus quæ postulaueritis ab eo Sic enim sentẽtiæ istæ sunt absolutiores. Et conueniẽs omnino

Prou.13⁵

Prou.28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nino videtur, vt vtraque intelligentia simul comprehendatur, & sit sensus: Nolite iudicare alios, vt fiet vt aliorum iniquius iudicium effugiatis, aut saltem vt Dei seuerum iudicium non exaggeramini.

Mensuram bonam & conferta & coagitata, & superefluentem dabunt, &c.] Quatuor conditionibus mensuræ materialis significare voluit Dominus remunerationem copiosissimam obuenturam his, qui superiora præstiterint, hoc est, qui non condemnauerint, qui remiserint, & dederint. Prima enim mensuræ optimæ conditio est, vt sit bona, hoc est, iusta, nec ad amussim iusta, sed liberaliter iusta. Secunda, vt sit conferta, hoc est vt magis significat Græca dictio, πεπιεσμένον, pressa. Sic enim fit vt plus capiat vas. Tertia, vt deinde sit coagitata, hoc est bene concussa. Nam & hoc pacto fit vt plus contineat vas quo metimur. Quarta, vt præterea etiam superefluat, nec post compressionem & concussionem vas cõtineat totam mensuram. Si autem superiores sententiæ accipiantur secundum priorem intelligentiam, facilè est intelligere quod sit suppositum verbi, dabunt, nempe hominibus quibus beneficisti. Sed si promissiones istæ secundum posteriorem intelligentiam ad ipsum Deum referantur, quæritur qui sint illi de quibus hic dicitur: dabunt in sinum vestrum. Caietanus intelligit hũc sensum, vestra merita, vestrum non condemnare, vestrum dimittere & date, hæc dabunt mensuram bonam. Verũ rectius accipitur secundum Augustinum libro secũdo de quæstionibus Euangelicis capite octauo, secundum eum loquendi modum quo postea de pauperibus dicitur: Recipiant vos in æterna tabernacula: quia scilicet Deus propter illos quibus bene fit suo nomine, recipit in sua tabernacula, & dat præmiũ copiosum. Aut quod dicitur: mensurã bonã dabunt: impersonaliter accipiendum est, pro mensura bona dicitur. Sunt autem qui hanc sententiam intelligunt non solùm de remuneratione bonorum operum, sed etiam malorum quorum vitio veluti mensura quædam superefluens grauissima erit. Sed videtur magis hæc sententia solùm dicta de remuneratione bonorum operum. Quoniam enim dixit: Date, & dabitur vobis: eam promissionem exaggerare volens subiicit: Mensuram bonam, &c. quasi dicat: Non solùm dabitur vobis, sed etiam copiosa & abundans vobis remuneratio fiet, proportionata tamen vestræ liberalitati. Ad hoc enim significandum, remunerationem vocauit mensuram.

Eadẽ quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.] His verbis aliam Matthæus sententiam præmittit: nimirum. In quo enim iudicio iudicaueritis iudicabimini. Quæ quidem duæ sententiæ facilem habebunt & apertam intelligentiam, si superiores illæ sententiæ priori modo accipiantur. Erit enim sensus: Quali iudicio alios iudicaueritis, vicissim ipsi ab aliis iudicabimini. Si enim æqui fueritis in iudicando aliorum dicta & facta, sentietis alios quoque fere vestrorum factorum & dictorum æquos iudices. Contrà, si iniquiores æstimatores alienæ vitæ fueritis: tales quoque alios experiemini in vos. Et in summa, quomodo vos aliis feceritis, siue iudicando, siue remittendo, siue dando, aut contrà retinẽdo iniuriam, & bene facere negligendo, sic fiet ab aliis vicissim etiam vobis. Verùm si ad Deum referantur promissiones in superioribus sententiis positæ, quomodo dicetur: in quo iudicio iudicaueritis, &c. An qui iniquo iudicio aliquẽ iudicat, iniquo etiam iudicio iudicabitur à Deo? Et qui iniqua mensura mensus fuerit iniquam etiam mensuram à Deo accipiet? Itaque secundum Augustinum non est sensus: Quali iudicio iudicaueritis, tali iudicabimini: sed in quo iudicio, hoc est, per ipsum iudicium quo alios iudicaueritis, iudicabimini apud Deum, quia scilicet hoc iudicium iudicabit vos apud Deũ: eritque ratio quòd iudicabimini à Deo siue ad præmium, siue ad pœnam. Sic in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, quia illa ipsa quæ aliis vel bene vel malè feceritis, erũt vobis remunerationis vestræ causa. Prosequitur presentem locum etiam D. Augustinus epistola 49 in solutione quartæ quæstionis vbi respondet calumniæ gentiliũ, quam captabant ex his verbis Christi: in qua mensurã mensi fueritis: quod pro temporali peccato æterna inferantur supplicia. Vbi per mensuram intelligit hominis voluntatem, in qua tanta quod mensuraverit sua facta, Deus reddit siue

Universidad de Deusto
Biblioteca

beatitudinem, siue miseriam. Verùm hic sensus videtur coactior, nec vulgari modo loquendi, vnde secũda sententia desumpta est, conueniens. Illud enim, in qua mensura, &c. prouerbij vice etiam ab Ethnicis scriptoribus iactatum ostendit Erasmus in Chiliadibus. Significatur autẽ eo beneficij aut maleficij retaliatio. Proinde si ad DEVM hæc referantur, intelligendum ideo dictum: In quo iudicio iudicauerit is, iudicabimini: quia qui curiosè alienam vitam excusserit, illius vita etiam à Deo exactè diiudicabitur: & qui proximum condemnauerit, ipse quoque condẽnabitur à Deo. Qui verò æquus fuerit proximorum iudex, æquum quoque & benignum experietur Dominum. Et in genere quali mensura mensi fuerimus remetietur nobis à Deo, quia si benefecerimus, bona recipiemus ab eo: mala vero, si malè fecerimus. Hæc enim solùm ratione dictũ est: In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quare non est hic locus quæstionibus, quomodo iam dicatur: Eadem mensura remetietur vobis: cùm prius dictum sit mensuram superefluentem dabunt in sinum vestrũ? Deinde quomodo pœna æterna punitur peccatum tẽporale, si eadem mensura sit remuneratio? Ideo enim solùm dictum est: Eadem mensura remetietur vobis: quia secundum Psalmistam, Deus cum sancto sanctus erit & cum peruerso peruertetur. Et secundum Paulum Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Et secundum Iacobum: Iudicium sine misericordia ei qui non facit misericordiã. Vnde Augustinus lib. 21. de ciuitate Dei capit. 11. tractãs hanc sententiam contra eos qui ex ipsa inferebant absurdum esse, supplicium impiorum esse æternum: Non attendunt, inquit, non propter æquale temporis spacium, sed propter vicissitudinem mali, id est, vt qui mala fecerit, mala patiatur, eandem dictam fuisse mensuram, &c. Porrò hac sententia: In qua mensura, &c. Dominus Marci 4. aliud propositum vsus est. Cùm enim sit prouerbialis sententia, variis locis aptari potest.

Psal.17. *2. Cor.9.* *Iacob.2.*

Dicebat autem illis & similitudinem: Numquid potest cæcus cæcum ducere? &c.] Solus Lucas hic introducit à Domino

Domino dictas duas similitudines, cæco cæcum ducẽte & discipuli perfectione: quibus similitudinibus alio etiam loco vsum Dominum narrat Matthæus. Nam eõmemorat Dominũ dixisse de Pharisæis: Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Et cùm Apostolis prædiceret obuenturas illis persecutiones, Dominus dixisse scribitur: Non est discipulus super magistrũ, *Matt.15.* nec seruus super dominũ suũ. Sufficit discipulo vt sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius. Sed his *Idem 10.* locis ad alium finem & aliud propositum istis vtitur parabolis & adagia variis locis aptari possunt. Nã illud de *Matt.15.* cæco cæcum ducente, inducitur contra Pharisæos, qui cùm cæci essent & imprudentes, aliorum imprudentiũ quoque & cæcorũ se magistros præbebant. Et illud de discipulo Matthæi decimo, dicitur discipulis, vt animæquiores perferrent aduersitates & persecutiones, quòd ab his viderent non esse libetum magistrum suum. Hic verò cùm vario modo similitudines istæ aptentur proposito à diuersis interpretibus, conuenientissima videtur connexio indicata à Theophylacto, vt his similitudinibus intelligatur Dominus docere voluisse, eũ qui alios est iudicaturus & reprehensurus, debere ab huiusmodi vitiis quæ in aliis est reprehensurus, aut aliis similibus vitiis esse immunem. Ad hoc enim propositũ hæc esse dicta, patet ex tertia parabola aperтiore quæ subiũgitur: Quid autem vides festucam, &c. Quoniam ergo superius Dominus præcepit non iudicare, nec cõdemnare, & iam occurrere quis posset & dicere, se iudicare & condemnare fratrem suum vt corrigat & emẽdet, docet deinceps, qualis esse debeat qui hoc sine aliũ volet iudicare & reprehendere, & quale iudicium prohibuerit, nimirum quo quis alienæ vitæ seuerus est cẽsor, suæ interim negligens. Nunquid, inquit, potest cæcus cæcũ ducere? Quod si tentet nónne ambo in foueã cadunt? Quasi dicat: Si quis sit, qui alterius vitia reprehendere volet, & demonstrare veram virtutis viam, atq, in ea ipsum deducere, videndum ei imprimis num & ipse meatũ habeat siue errore veritatis, siue praua cupi-

dirate & affectu aliquo excæcatam. Nam si ipse cæcus existens parat alterius se ducem præbere, futurum certe, quod solet contingere, vbi cæcus cæco sit viæ dux, videlicet vt vterque cadat in foueam æternæ perditionis. Ad idem propositum subiicit: Nō est discipulus supra magistrum, perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius quasi dicat: Si igitur tu qui doctorē te aliorū præbes, ipse fueris in vitio, nō est spes meliorem te posse fieri quē docere paras, cùm secundum vulgare prouerbium, discipulus nō possit esse perfectior magistro suo, in eo scilicet in quo est discipulus. Eiusdē argumēti est & quod deinde subiicitur: *Quid autem videt &c.* Quia parabola redarguit Saluator maius quoddam vitiū quorūdā, qui nō soliū aliū reprehendunt in eo in quo & ipsi culpabiles sunt, sed minima in aliis notāt cū ipsi ad grauiora sua peccata perspicienda sint cæci, quos bene hypocritas vocat, vel quia sibi sumūt partes iustorū & sanorū, cùm iniusti sint & ægroti, aliena persona id quod reuera sunt occultare studentes: vel quia prætextu correctionis aliena vitia notant, cùm reuera id agāt proposito cōdemnationis. Si enim curandi fratris desiderio hoc agerēt, prius grauiora sua crimina curarent. Magis enim quisq; seipsum amat quàm fratrem, quē recte diligere nō potest, si non seipsum prius rectè diligat, cùm propria dilectio regula esse debeat fraternę dilectionis. Per festucam ergo minora peccata, per trabem grauiora peccata hic designantur. Est enim festuca secundum Calepinum nitentem autoritati Augustini, arboris nouellæ & cuiuscūque sati pullulus. Augustinus enim de verbis Domini sermone 16. Festuca, inquit, initium trabis est. Nā trabs quando nascitur, prius festuca est. Dictio tamen Græca quæ hoc loco ponitur nempe κάρφος, putatur magis significare breuissimam aliquam ligni particulam, quam vulgari lingua vocamus, *einsplint*. Vnde dicitur Græcis καρφολογία, hoc est, collectio huiusmodi particularum, quā Galenus recenset inter signa phrenesis. Atque hoc certè modo κάρφος, pulchrè opponitur trabi, cùm festuca in ea significatione quàm indicat Augustinus, magis comparari debuisset cum arbore. Significat autem Saluator hypocritas,

tas, de quibus loquitur duplici nomine peccare: primū, quòd aliorum vitia ad quæ, quòd parua sint, conuiuendum esset, curiosius obseruent, & seuerius notent: deinde, quòd sua vitia maiora dispicere negligant. Quod dū fit, duplex vlterius iam malum committitur. Nam qui peccantem in parnis admonet, cùm ad grauiora sua vitia conniueat & sibi ex aliena correptione falsam sanctimoniæ opinionem parare studet, vnde hypocritam vocat & veritatē ipsam reddit ei qui admonetur odiosam. Proinde admonet Dominus, vt qui aliorum vitia notare volet, prius saltem aperta sua vitia curet. Et tunc inquit, perspicies, &c. quando scilicet cum fructu id poteris facere, & syncera correctionis intentione. Nō prohiberur ergo his verbis Domini simpliciter, ne quis alīū corripiat, qui ipse vel eisdem, vel maioribus obnoxius est criminalibus. Si enim quis in minutioribus peccatis ex syncera charitate proximorum fiat monitor, sitque eisdem vel aliis obnoxius, non contrauenit præcepto Christi. Non enim talis sese iustificare, & alios cōdēnare, sed se pariter ac illos quoad fieri pōt est, peccatis purgare annititur. Dominus autem præcipuè voluit vt ne ex aliorum correctione & condemnatione sanctimoniæ opinionem quæreremus, aut ne veritatē odiosam redderemus, quod fit cùm apertis criminib⁹ us obnoxius est, qui alium de paruis corripit.

DOMINICA V. POST TRINIT

EVANGELIVM.

In illo tēpore: Cùm turba irruerent in Iesum, vt audirent verbū Dei, & ipse stabat iuxta stagnū Genezareth, & vidit ibi duas naues stātes iuxta stagnū: piscatores aūt descēderāt, & lauabant retia sua. Ascendens aūt in vnā nauē quæ erat Simonis, rogauit eū à terra reducere pusillū, & sedens docebat de naricula turbas. Vt cessauit aūt loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon Petrus dixit illi præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt multitudi- Lucæ 5.

nem copiosam Rumpebatur autem rete eorum Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos: & venerunt, & impleuerũt ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Stupor autem circumdederat eum, & omnes qui cũ illo erãt in captura piscium, quam ceperant Similiter autẽ Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erãt socij Simonis Et ait ad Simonẽ Iesus Noli timere ex hoc iam homines eris capiẽs. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eũ.

MVlta hactenus ad nostram peregrinationem pertinentia, & scitu iucunda, & ad salutem necessaria pertractauimus, quibus principia, progressus & status Christianę religionis breuiter, atque dilucidè declaratur. Iam Porrò, operepræcium esse videtur, vt & de laboribus, seu manuarijs officijs, euris difficultatibus, in quas primi parentis lapsus genus mortalium præcipitauit, quid euangelica decernat doctrina, rimemur. Sunt enim Cæci, quoniam Christus curam interdixisse diei crastini, & à patris prouidentia pendentibus, nihil non successurum spopondisse videtur, hac promissione freti labores, curas & exercitia cũcta reiecisse. Alij cõtra perinde quasi nulla prouidẽtia, sed fortuitò res humanæ cõtingerent, ita perẽuiter anxiantur, & per ignes, ad opes cõtẽdũt. Quapropter ordinatissimè sancitum est, vt post præcedentis Dominicæ parenesin, illustrissimam hãc nobis historiã interpretaremur. Cõtinet aũt fidei, morũ, & allegorię splendidissimos locos. Primus ostẽdit, quo feruore, quanto studio sit ad audiendum verbum Dei properãdum, dum Iudaici populi turbas, importunitate tanta ruisse commemorat, ad audiendum verbum Dei. Secundus, promptam & in nullo reclamãtem nobis in Apostolo Petro commendat clementiam. quod iussus scaphã paulisper è terra deducere, ac deinde in altum traducta, laxare retia in capturã, è vestigio nihil cunctatus, paruit. Tertius vtrumq; tam ciuilẽ, quã ecclesiasticum laborem à Christo præceptum esse significat: Dum Christus ait: Duc in altũ & laxate retia vestra in capturam. Item: Noli timere, ex hoc eris homines capiens. Quartus nihil nisi bene fortunãte Deo, nostrum laborem proficere, siquidem per totam noctem, absente Christo laborantes, nihil cœperant. Quintus tradit verbum Dei auditum, & in arcanis mẽtis recessibus fide receptum, efficere, vt exiguus labor maximum lucrum, vulgaris opera, nõ vulgarem adferat fructum. Petrus enim, qui totam noctem frustra desudauerat dũ in verbo Christi, rete, finita concione laxasset immensam conclusit piscium multitudinem, Sextus docet, Deum omnium beneficiorum auctorem, largiri dona sua, siue spiritualia, siue corporalia cunctis absque inuidia, nec improperare. Etenim, turbis largissimè communicauit spiritualem verbi sui cibum, & discipulis, & qui ante cuentum rei non discesserant, iis pisces cõtulit pro refectione corporis copiosissimè. Septimus ostendit dona Dei, non esse occultãda & recondenda, sed de his aliis, ad vtilitatem impertiendum aliquid, quemadmodum Petrus repẽtè ditatus, socios ad se conuocat, issq; liberalissimè beneficia communicat. Octauo in loco, discimus infucatam minimèque desidem curat officium detractantem, vbi iuuandus est proximus, habere non debere charitatem, dum audimus, Simonis socios tam hilariter in auxilium accurrisse. Nonus itidem locus, insolentiã, quæ fortuna pinguiore fulgente, solet emergere, damnat. Petrum etenim ista fœlicitas non inflauit sed humiliorem, deuotiorem & grauiorem fecit, Postremus denique locus, catastrophen imponens historiæ, methodum ad perennem penetrandi fœlicitatem, ostẽdit expeditissimam, si ipsos piscatores imitati, omnibus huius mundi vanitatibus & momentaneis bonis valere iussis, nudi, Christum nudum sequamur. Et hæc quidem ex historia piscatoria, quàm si quispiam ad allegoriæ modos velit exigere, statum vniuersæ Ecclesiæ, cuius fundatores piscatores fuerunt, amplissima descriptione figurabit. Cæterùm, quæ iam generatim perstrinximus, tempus est, vt iam sigillatim enodemus.

FActum est autem cum turba irruerent in eũ, & ipse stabat iuxta stagnum. Hanc historiam nõ suo loco Lucam

cā narrare vel ex ipso Luca patet. Dixerat enim superiori capite Domini ingressum in domū Simonis, quod Marcus dicit factum comitantibus Dominum Simone, Andrea, Iacobo & Ioanne. Igitur post illorum vocationem id factum esse constat. Proinde videtur Lucas per recapitulationem, cùm de domo Simonis prius fecisset mentionem, iam voluisse Petri aliorumque vocationē describere, cuius occasione contigit Dominum ingredi domum Petri & Andreæ. Porrò in hac Lucæ locutione: Factum est autem, &c. rursum Hebraica est phrasis illi satis vsitata. Abundat enim coniunctio, &, aut ponitur pro, tum, vt sit sensus: contigit autem, vt cum turbæ irruerent in eum, tum ipse staret, &c. Notat autem Euangelista maximum turbarum desiderium audiendi verbum Dei cùm dicit turbas irruisse in Christum. Ipsius verò Christi benignitatem, & ad docendum cupidos promptitudinem nobis commendat, eum testatur nihil offensum improbitate vrgentis turbæ, sed illorum desiderio satisfacere volentem, nauem conscendisse è qua commodè & compressione populi liberē quietiùs docere & melius audiri posset. Vbi & illud notandum, nullum locum Christo visum ineptum & indignum sua prædicatione. Modò enim in synagoga, modò in monte, modò in campo, modò in naui prædicat. Iam & Christi mansuetudo in eo relucet, quòd dicitur rogasse, vel, vt habent Græca, obsecrasse Petrum reducere nauim à terra, cùm posset præcipere.

Vt cessauit autē loqui, dixit ad Simonem Duc in altum & laxate. Miraculum hoc variis de causis Dominus fecit. Et primum quidem, vt doctrinam suam miraculo commendaret. Deinde, vt Dominum nauis remuneraret, vt habet Theoph. In quo admiranda est summa Dei munificentia qui Petro pro modico labore & nauis vsu tātam retribuit piscium copiam. Præterea hoc miraculo adumbrare voluit, quid per Petrum ajjósq; futurum esset. Omniū enim hic à Domino, gesta, mysterij alicuius posteà exhibendi fuerunt quædam prædemonstrationes. Nam quod in Petri nauim potius quàm alteram ingreditur Dominus, & illi dixerit peculiariter: Duc in altum, id est, profundum maris, nauim scilicet deinde

de quod illi quoque vnicè dixerit: Noli timere, ex hoc iam, &c. Petri in Ecclesia prærogatiuam & primatum à Domino dandum indicant: quódque primùm ab eo iaciendum esset rete euāgelicum in mundo, & in Ecclesia cuius Petrus caput esset, deberet esse quicūq; iussu Domini rete esset iacturus. Iam quod qui prius tota nocte laborantes nihil ceperant, in verbo Domini, id est, propter iussum eius laxantes rete, concluserunt copiosam piscium multitudinem: significat eos qui sine iussu & virtute Domini in docendo populos sudauerunt, atque in nocte ignorātiarum existentes laborauerunt, frustra sudasse: eos verò innumeros comprehēsuros, qui in luce quæ Christus est versantes, ipsius iussu euangelicum rete mūdo immitterent, quemadmodum res ipsa posteà in Petro declarauit, qui vnico sermone tria milia hominum cepit. Quòd rete rumpebatur, significabat malorum qui simul cum bonis per euangelicam prædicationem in Ecclesia congregātur, culpa rete euangelicū lacerandum, & quod in eis est rumpendum, hæreticis scilicet conantibus scindere doctrinam euangelicā, ac improbis quibūsq; Christianis suis cupiditatib⁹ & peruersis moribus euangelicam doctrinam labefactātibus quod etiam significatur per id quod bene mergerentur nauiculæ piscium copia repletæ. Quod Petrus & Andreas annuerunt sociis qui erāt in alia naui, (nam præ nimia admiratione non potuerunt voce eos aduocare) significabat Apostolos colligendis in Ecclesiam Domini hominibus nō posse sufficere, sed opus illis fore sociorum implorare & aduocare auxilium, vti posteà factum est, cùm segregati sunt Paulus & Barnabas ad prædicandū gentibus. Quod autem ambas impleuerunt nauiculas, significabat synagogam Iudæorum, quorum Apostolus erat Petrus, non posse cōprehendere omnes qui colligendi essent & capiendi: sed & gentium Ecclesiam fidelibus replendam, adiuuantibus Paulo & Barnaba, aliisque doctoribus. Quamuis enim vnica sit per vniuersum orbem terrarum Ecclesia, tamē ideo typus duas habet naues: vt significaretur Ecclesiam ex duobus populis colligendam. Itaque ne Petrus cum suis diffideret se posse capere homines, quod illi posteà promisit

rus-

rus erat Dominus, hoc miraculo præmunit eum, ostendens virtute sua facilè futurum, vt innumeri homines per eos euangelico reti caperentur, quàtumuis id videretur esse supra eorum facultatem: quemadmodũ præter spem factum est, vt qui tota nocte laborantes nihil ceperant, Christi verbo obedientes, multitudinẽ piscium comprehenderent. Postremùm hoc miraculo voluit Dominus hos animare ad sequendum se pauperem, vt ne metuerent inopiam, quòd relictis omnibus pauperem sequerentur, quando eum talem esse cognoscerent, qui suo iussu omnia posset. Hic autem admiranda est Domini dispensatio, vnumquemq; trahentis ad se per propria & familiaria sua. Sicut enim magos attraxit per stellas, ita & piscatores per pisces.

Quod cum videret Simon Petrus procidit ad genua Iesu dicens. Exi, &c.] Petrus, qui prius secundum suum nomẽ (Simon enim obedientem sonat) obedientem se Christo semel & iterum exhibuerat, magnam iam animi sui ostendit humilitatem, dum ex viso miraculo Christi dignitatem cognoscens, & suæ contrà memor indignitatis, Domini à se discessum deprecatur, agnoscens se indignum eius consortio & præsentia, ac metuens ne ob commercium indignitatis suæ cum sanctitate Domini, vindicta sumeretur iniquitatum eius à Deo, quemadmodum mulier Sarepthana sibi accidisse putauit, ob ingressum Eliæ in domum suam. Quid mihi, inquit, & tibi vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? Huiusmodi enim aliquid metuisse Petrum, patet ex verbis Domini dicentis: Noli timere. Porrò hic consideranda primùm Petri, aliorumq; in credendo simplicitas, dum factum quod Pharisæi casu accidisse calumniati fuissent, non nisi diuina virtute contigisse simpliciter fatemini; crediderunt. Deinde & animi eius summa modestia, non solùm in eo demonstrata, quod peccatorẽ se agnouit, ac indignum Domini consortio, sed etiam quod nihil ex hoc facto laudis sibi arrogaret, quãuis & nauis in qua contigisset, sua esset, & rete ipse iecisset in mare, ac ipsemet præcipuus attraxisset: quin potius ex magnitudine successus, qui plerosque elatiores reddidisset

3 Reg. 17.

dissidet factus est modestior, totam facti huius gloriam Christo transcribens, se verò nihil agnoscens quàm peccatorem. Quo sanè suo facto docuit, quid apostolico doctori sit faciendum, si quando fœliciter succedit opera prædicationis. Tametsi enim ea peragatur humanæ vocis & industriæ ministerio, tamen summa laudis totius rei Christo tribuenda est, cuius auspiciis soluitur ad dicendum lingua, cuius spiritus afflat dicentis pectus, cuiusque occulta vis attrahit animos auditorum.

Stupor enim circumdederat eum, & eos qui cum ipso erant in captura piscium.] Ostenditur hac parte Petrum dixisse superiora, non quod cupiditas inesset ei discedendi à Domino, quem vnicè diligebat & reuerebatur, sed propter admirationem, quandam vehementem virtutis humanæ maioris. Ostenditur item & socios Simonis non aliter fuisse affectos quàm Simon ipse. Porrò hic stupor typus quidã fuit stuporis consecuturi postea ex successu, prædicationis, & piscationis, euangelicę. Quis enim nõ obstupesceret, considerans prædicationem paucorum humilium & idiotarum hominum, tot milibus hominum ex vniuersis orbis nationibus intra paucos annos fuisse persuasũ, vt contemptis affectibus cognatorum, contempto dispendio rei familiaris, spreto ritu paterno, contemptis minis principum, contemptis suppliciis ac morte ipsa, simplicem Christi doctrinam sequerentur, credentes ea quæ humanis rationibus probari non possunt, sperantes ea quæ iuxta naturæ vires planè sunt desperanda.

Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iam eris capiens.] Sensus est: Pone inanẽ hunc metum, homines quo suæ conscius infirmitatis, ac metu viso miraculo expertus virtutem, totus perculsus es. Non enim istam vt vos à me abstererem, sed potius vt quid posteà futurum vos est præsignificarem. In præsentia enim satis est istius piscationis. Posthac meo beneficio Petre, ita homines eris capiens, quomodo iam cepisti pisces. Tantumque abest, vt quia peccatorem te esse agnoscis, metuere debeas ne à me condemneris, aut mali quid patiaris

tiatis, vt etiam ex piscatore piscium, sim constitutus rus captatorē hominū, quos peccatis exemptos iustitiæ consecres, ac in vitam æternam colligas. Itaque dum dicit Dominus: Ex hoc iam homines eris capiens: duplici nomine Petro aufert metum. Primùm exponendo illi quid miraculum portendat. Deindè aperiendo ad quid vocaretur etsi peccator. Portò pro, capiens, Græcè est ζωγρῶν. Est autē ζωγρία, propriè viuū capere dictione composita ex ζῶ, viuo, & ἀγρέω, venor, siue venatu capio. Proinde rectè intelligitur significari. Petrum capturum homines nō quomodo hostis in bello hostes suos capere studet, quos aut mortuos capit capere, aut ad mortem & seruitutem, sed quomodo aliquis redimere studens captiuos de manu hostium qui ceperunt eos. Is enim viuū capere studet, ac vitæ libertatique restituere. Obseruāda autem in hac responsione benignitas Domini metum mox excutientis ab eo qui se peccatorem humiliter agnoscebat, ac pro malo quod metuebatur, insignem dignitatem pollicētis. Vnde Ambrosius: Dic & tu, exi à me Domine, quia homo peccator sum, vt respondeat tibi Dominus: Noli timere indulgēti Domino peccatum fateri. Vides quàm bonus Dominus, qui tantum tribuit hominibus vt vinificandi habeant potestatem.

Et subductis ad terrā nauibus relictis omnibus secuti sunt eum.] Hinc patet vocationis Christi efficacia, ac discipulorū horū simplex obediētia & fides, qui nihil cunctati mox vocātem secuti sunt, nihil diffidentes de adimpletione promissionis quantumuis sublimis, nihil soliciti qua ratione sustentari possent sed se totos vocātis prouidentiæ & potestati committentes: Relictis, inquit omnibus secuti sunt eū. Omnia ergo Christo posthabuerunt parentes, vxores, ac quæcūque in hoc mundo possederunt. Et mox secuti sunt, non scilicet prius de rebus suis disponentes, sed subductis ad terrām nauibus.

DOMINICA VI. POST TRINITAT.

EVANGELIVM.

IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Amē amē dico vobis Nisi abūdauerit iustitia vestra plꝰ quā Scribarū & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorū. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: Qui autē occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri: racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo: & tunc veniens offer munus tuum.

PRoxima Dminica, audiuimus concionātem Dominum è nauicula turbis, in qua quidem concione, quonam pacto laborandū, vt operi respondeat precium, luculenter ostendebatur, nimirū vt in officinā nostram Christū recipiamus, & verbum Dei: Quæ omnia quæramus. Hodierno autem Euangelio demonstratur, quonam pacto munera nostra ad altare offerre, & opera nostra facere debeamus, vt grata sint Deo, nobisque salutaria. Non etenim satis est, bona præstare, nisi bona bene fiant. Audiemus itaque primum, neminem ad fœlicitatem perpetuam peruenire posse sine iustitia. Tum non quamlibet iustitiam ad salutem sufficere. Tertiò, Christianam iustitiā exigere fidem, amorem, & obedientiam mandatorum Dei. Quartò, mandata Dei, non solùm arcere manum à maleficiis sed coripsum in primis, vna cum suis affectibus, & totius animę motus facultates atque potentias effligitare. Quintò declarat fraternam concordiam potiorem omnibus sacrificiis: Quæ omnia diligenter considerata, clarissimè docent, quanta sit mortalium imbecillitas, & ad boni executionem, quā impares vires: Deinde, quàm necessarius adiutor, & Mediator Christus. Postremo, quis sit verus Christi, bonorúmq; ipsius vsus. Refert autem maximè, hoc infœlicissimo seculo, frequenter ista reuoluere, in quo videre licet plurimos, qui cum omni iustitia cōtempta palam impiè viuant, ausint tamen venditare se pro veris Christianis, cœlóq; dignissimis, Nos itaq; quidnam de his omnibus iustitiæ doctor determinet audiamus.

DIco autē vobis, quia nisi abūdauerit iustitia vestra plus quàm scribarum] Græca non habent autem, sed coniun-

coniunctionē causalē γὰρ, enim. Quomodo & Augustinus legit in expositione huius sermonis, & Dionysius item Carthusianus, ac Rupertus. Redditur enim ratio quare dixerit se venisse ad implendum legem, & quare seruanda sint mandata sua quibus legem est perfecturus & impleturus.

Redditur autē supetius dictorū, ratio, cum asseueratione quadam terribili, qua ita confirmat quę præmisit, vt etiam simul paret transitum ad exegesin aliquot legū Mosis, & fundamentum dicendorum iaciat, ne miretur auditores quod quædam præcipiat, quæ non præcipiūt nec præstant scribæ Iudæorum doctores, & Pharisæi aliis religiosiores. Est ergo hic sensus: Dixi me nō venisse vt legem soluerem, sed vt implerem & minimum fore in regno cœlorum, qui vel minimum aliquod eorum quæ dicturus sum soluerit ac soluendum docuerit. Id adeò verum est vt certò affirmem nisi iustitiam vos consecuti fueritis abundantiorem & pleniorem ea qua se Scribæ & Pharisæi venditant, qui tamen omnium iustissimi in populo habentur, municipatus regni cœlorum frequaquam forte participes. Potest autem hæc sententia intelligi dicta specialiter ad Apostolos, & eorum locum in Ecclesia tenentes, doctores scilicet, ad quos superiora singulariter pertinent, vt ideo comparetur iustitia doctorum Euangelicorum cum iustitia Scribarum & Pharisæorum, quoniam & isti erant populi doctores, & significetur doctores Euangelicos perfectiora & facere & docere oportere, quàm faciebant & docebant Scribæ & Pharisæi. Verùm quoniam præcepta illa, quibus postea statim explicat quæ sit iustitia illa abundantior quā requirit, ad omnes pertineāt Christianos, rectius hæc sententia intelligitur dicta toti populo & omnibus Christianis. Ideo autem iustitia Christianorum comparatur iustitiæ Scribarum & Pharisæorum, quoniam hi & apud Iudæos optimi habebantur, ac iustissimi, & sibipsis placebant tanquam consecuti iustitiam perfectam. Itaque significat nos optimis & pro sanctissimis habitis apud Iudæos, debere esse meliores. Notandum autem non dicere Dominum: Nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam iustitia legis

gis aut Prophetarum, sed Scribarum & Pharisæorum. Omnia enim ferè præcepta quæ Dominus subiungit, erant in lege & prophetis, sed non erāt apud Scribas & Pharisæos, qui ex lege ea non intelligebant. Vnde non contrariatur hic locus illi dicto Saluatoris: Si vis ad vitam ingredi, serua mādata: legis scilicet & prophetarum. Quod autē id velit hoc loco Dominus, ex eo etiam constat, quod cùm toties repetat: Audistis quia dictum est antiquis: allegat eo modo scripturā quo Scribæ & Pharisæi illam interpretabantur, vt illud: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: cùm de odio nullus sit euidens scripturæ locus. Notandum secundò, non comparari iustitiam nostram cum hypocrisi Pharisæorum & Scribarum, aut quouis alio eorum vitio, sed cum eorum iustitia, hoc est virtute & æquitate, quàm ex aliqua parte habebant. Ideoq; non dicitur, Nisi meliores sitis Scribis & Pharisæis, sed, nisi abundauerit, &c. significans nos debere præstare eorum iustitiam, & tamen etiam illi aliquid debere superaddere. Iustitia autem maior quæ à nobis requiritur, primùm quidem consistit in iustitia non solùm exteriorum operum, quàm solam sectabantur Scribæ & Pharisæi, vt patet ex oratione Pharisęi Lucæ 14. Ieiuno bis in sabbatho, &c. sed etiam internarum affectionum. Secundò, consistit in eo, vt nō faciamus quæ in lege veteri necessitate quadam permissa sunt, vt patet de libello repudij vsura, & vindicta sumenda. Tertiò in eo, vt non cortici legis inhærentes, legem impleamus secundum intellectum & explanationem Scribarum & Pharisæorum, vt patebit infrà de odio inimici. Et in summa, maior iustitia quæ à nobis requiritur, est qua legem seruamus, nō secundum explanationem Scribarum literæ nimis inhærentium, sed secundum legis præcipuam intentionē, quàm hic Saluator explicat. Debet quidem iustitia nostra etiam in eo excedere iustitiam Scribarum & Pharisæorū, vt eam non solùm in operibus collocemus, sicut illi, sed etiam & ante omnia in fide Iesu Christi: deinde, vt eā non in externis cæremoniis potissimū sitam existimemus, quemadmodum illi, sed in spiritu. Verùm ad hæc nō videtur hic respexisse Dominus, qui

Matt. 19.

Matt. 5.

hic iustitia solùm locutus est, quatenus ad opera siue interna, siue externa pertinet, & ad cõuersationem cum proximis,

Audistis quia dictum est antiquis: Nõ occides, qui autẽ occiderit reus.] Postquam per superiora Dominus auditores parauit ad audienda & recipienda sua præcepta, incipit iam quod promisit præstare, implere scilicet legem, & docere quomodo abundare debeat iustitia nostra. Incipit autem ab eo mandato, quod in decalogo primum est inter mandata negatiua secundæ tabulæ, docens nõ satis esse cauere ab homicidio, quemadmodũ illo præcepto Scribæ & Phariſæi tantum putabant esse prohibitum, sed & ab omni ira in fratrem abstinendum. Quonia autem rudibus turbis, & ex media plebe delectis discipulis Dominus loquebatur, ideo magis, vt vulgo iactata apud maiores præcepta Dei acceperant, quàm vt legabantur in scripturis, explicanda & perficienda præcepta legis suscepit. Quòd si Scribis & Phariſæis locutus fuisset, potius scripturam quàm vulgo dicta citasset: sicut legisperito roganti quid faceret vt vitam æternam possideret, dicebat: In lege quid scriptum est, quomodo legis? Dicit itaque Audistis quòd dictum sit olim à Deo in monte Synai priscis patribus: Non occides, hominem scilicet, propria autoritate. Et quod sequitur: Qui autem occiderit, reus erit iudicio: cùm in lege Moysi non sit ad verbum, satis indicat Dominum voluisse hæc præcepta vt vulgus recepta ea à veteribus & Scribis tenebat, perficere partim explanando & addendo, partim corrigendo. Habetur autem hæc sententia sensu Exodi 21. vbi non vnum, sed varia sunt instituta iudicia iuxta varios homicidij casus, quæ omnia hac vna sententia comprehenduntur. Cæterùm iudicij nomine, Scribæ hac sententia in docendo populo, vt est verisimile, vtentes, fortè intellexerunt, diiudicationem qua de homicida explorabatur, an sciens vel insciens, data opera vel per casum proximum suum occidisset, de quo etiam habetur Exodi 21. & latius Deuter. 19. Vel certe per iudicium intellexerunt pœnam & condemnationem, quod tamẽ non perinde quadrare videtur sequenti sententiæ in qua iam

Luc. 10.

Exod. 10.

aliter

aliter illa oratio: reus erit iudicio: accipienda erit quamuis id non videatur esse absurdum.

Ego autẽ dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit.] Impleturus Dominus homicidij legem tres facit gradus peccantium citra homicidium per iram & indignationem, & tres item pœnarum gradus. Leuius enim est irasci tantùm fratri, & iram in corde retinere compressam, quàm si erumpente ira dicat quis fratri racha vel fatue, Ira leuius quid sonat reum esse iudicio, quàm reum esse cõcilio, & hoc rursum leuius, quàm reum esse gehennę ignis. Quod autem trium istorum peccatorum leuissimum est, nempe irasci fratri, par facit in condemnatione homicidij in lege non quod æquè grauę sit peccatorum irasci tantum, & occidere hominem: sed vt doceret Euangelicę doctrinæ perfectionem, & sic Christiano studendum esse effugere omnem iram in fratrem quomodo Scribæ & Phariſæi vitabant homicidium. Dicit autem: Ego dico vobis, & non sicut Prophetæ: Hæc dicit Dominus Deus: insinuare volens suã autoritatem æqualem autoritati eius qui veterem dederat legem. Porrò in Græcis codicibus additur iam passim in primo gradu εἰκῆ, hoc est, temerè vel sine causa. quod & Diuus Chryſostomus legit, intelligens non omnem iram interdici, sed tantùm iniustam & importunam & similiter legit Diuus Augustinus in expositione huius sermonis, volens eandem partem repeti etiam & subintelligi in sequentibus duobus membris. Verùm Diuus Hieronymus eam partem omnino vulcandam è libris, nec haberi in emendatioribus latis, sed & Augustinus libro Retract. 1. cap. 19. in Græcorum libris non inuenire dicit, in quibus tamen solis iam inuenitur. Verisimile est autem ab aliquo hanc partem adiectam explanationis causa, quod durius videretur omnem qui irascitur fratri reum dici iudicio. Ab Euangelista enim non appositam, nec ab ipso Saluatore hinc satis constat quod etiam iustam iram, hoc est, quæ iustam videtur habere causam. Dominus hic prohibere voluerit. Peccat enim, qui etiam ab alio læsus & iniuria affectus irascitur. Si enim, inquit Hieronymus, iubemur verberanti alteram maxillam præbere, & inimicos

micos nostros amare, omnis iræ occasio tollitur. Nec obstat quod aliquando sine peccato quis alteri irascatur, aut etiam racha & fatue dicat. Primum enim non prohibentur hic primi iracundiæ motus qui in nostra non sunt potestate, sed ira deliberata & perfecta, cui scilicet consensus accedit. Deinde nec huiusmodi ira, qua quis vitio hominis offenditur, ad quod significandum quidam putant dictum: qui irascitur fratri: hoc est, non vitio hominis, sed homini, quem, quòd frater sit, diligere deberet. Itaque per datiuum, fratri, satis significatur Dominũ loqui de ira tali quæ pugnat cum dilectione fraterna. Aut si non hac ratione dictum est qui irascitur fratri: sed potius secundum Hebraicam phrasim, fratris nomen hic positum est pro quocunque homine, & pro proximo, dicendum Dominum hic loqui de ira vulgari, quæ est motus animi maleuolentis alteri, aut vltionem dolotis cupientis. Huiusmodi enim ira semper, etiam si sit in iudice iustè puniente nocentem, peccatum est. Atque ob huiusmodi iram designandam intelligunt, additam partem illam εἰκῆ apud Græcos, aut sine causa, apud Latinos, hi qui illam partem hoc loco legunt, vt ne quis putet eos intelligere, illam irasci εἰκῆ, vel sine causa, qui nulla accepta iracitur iniuria. Addens, temerè, inquit Euthymius secutus Chrysostomum, non omnimodam abstulit iram, sed intempestiuam. Dicitur autem oportuna, quæ sumitur aduersus eos qui contra Dei præcepta viuunt, quando nõ ad vindicandum nos, sed ad vtilitatem eorum qui malè viuunt, ex dilectione, & amore fraterno irascimur cum congrua honestate. In sequẽtibus autem duobus membris quo sint sententiæ vtiuetsaliter veræ, subintelligendum ex primo membro: Si quis iratus dixerit racha si quis iratus dixerit fatue: accipiẽdumq; semper de ira ea de qua primum membrum intelligitur. Nam & Christum supra Marci tertio, iratum Iudæis legimus, & sæpe grauiter quoque conuitiatum Pharisæos. Sed vt Petrũ durius culè increpuit ob summam erga ipsum dilectionem, cùm ei diceret: Abi post me sanata: quod paulò plus erat quàm abi post me fatue: si studio paternæ gloriæ ac correctionis malorum, odióque vitiorum suis

Quid ira.

Mat. 16.

suis nominibus appellauit Pharisæos, nullo erga eos motus affectu malo. Sic Dominus Lucę vltimo discipulos duos stultos vocat & tardos corde, & Apostolus Galatas insensatos. Porrò quid sit racha, quod in secundo ponitur membro, triplex ex sententia aliquam habens probabilitatem. Augustinus enim edoctus, vt ipse asserit, à quodam Hebrẽo, putat dictionem raca nihil certi significare sed Hebræis interiectionis instar esse, qua animi tantum indignatio significatur, addens quosdam existimare dictionem racha deriuatam à Græca dictione ῥάκος, qua pannosus significatur & homo nihili, sed corũ deriuationem reiiciens, eo quod certum sit racha non esse dictionem Græcam. Et quidem secundum hãc dictionis acceptionem, manifesta est ratio quã interpres hanc dictionem reliquerit non versam, videlicet quòd interiectiones quibusdã linguis sic sunt propriæ vt in aliam linguam verti non possint commodè. Item optimè constat gradatio in his membris. Primum enim est vt quis irascatur, & eum motum retineat corde cõceptum. Huic proximum est, si commotio indignantis extorserit vocem non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem. Hoc verò grauius est, si non solùm vox indignantis audiatur, sed etiam certum conuitium & vituperatio eius, cui quis irascitur, vt si fatuum vocet, aut alio quodam conuitij nomine. Chrysostomus autem lingua Syriaca putat racha significare idem quod, tu. Itaque etiam secundum eum per raca non significatur graue & atrox conuitium, sed indicium contemptus, veluti cum seruis heri stomachosius loquentes dicunt, Abi tu, dic illi tu. Verùm hæ duæ sententiæ quantumuis conueniant huic loco, tamen hac ratione parum sunt probabiles, quòd nusquam apud Hebræos racha pro huiusmodi interiectione accipiatur, nec in Syrorum lingua, qua scriptæ sunt Bibliorum paraphrases 6. quas Thargum vocant, racha vllo modo significat, tu. Proinde probabilior est Hieronimi sententia tertia, vt racha (vel potius raca sine aspiratione saltem in secunda syllaba, cùm Græcè sit dictio Hebraica, vel ipsius Chaldaica, deriuata ab Hebræa, certum aliquod conuitium significans. He-

Galat. 1.

Quid racha.

braicè enim Rec, inanem significat, vanum aut pauperem, à verbo quod significat euacuare, attenuare & pauperem esse. Inde pro more Chaldæorum adiectione literæ Aleph fit reca vel raca. Non significatur tamẽ hac dictione isto loco, cerebro carens siue vacuus, quemadmodum tamen vult Hieronymus. Sic enim nihil interesset inter dicere fratri raca, & dicere fratri fatue. Sed per raca significatur potius homo inops & pauper, vacuus omnibus bonis, quomodo accipitur Iudicum vndecimo, vbi nos legimus Congregatique sunt ad eum viri inopes. & 2. Parali. 13. Congregatique sunt ad eum viri vanissimi, His enim locis pro inopes & vanissimi, Hebraicè est recim. Sic & 2. Reg. 6. vbi Hieronymus eandem dictionem vertit, scurram. Nudatus est Rex quasi si nudetur vnus de scurris. Itaque idem conuitium nomine Hebraico raca significatur, quod Græcis nomine ῥακᾶ, quamuis vnum nomen ab altero verisimiliter non deriuetur. Et facilè quidem iam licet ostendere gradationem, quæ est inter duo membra vltima. Minus enim est obiicere alicui inopiam aut vanitatem quàm stultitiam. Vide autem iam etiam gradus trium reatuũ, iudicij concilij, (per, c, enim scribendũ & non per, s, scilicet ostendit dictio Græca συνέδριον, quæ consessum iudicum significat) & gehennæ ignis. In iudicio enim, quod interdũ ab vno solo peragitur in causis leuioribus, & in quo facti fit discussio, adhuc datur locus defensioni, multúque spes est elabendi & effugiendi condemnationem. Ad concilium autem non nisi graues causę deferuntur, quemadmodũ Athenis in curia Martia grauiores causæ agitari solebant, atque in eo non tam de damnãdo reo quàm de supplicij genere & modo deliberatur. Gehenna verò ignis nec damnationem habet dubiam, quemadmodũ iudicium: nec damnati pœnam habet dubiam, sicut consilium. In gehenna enim ignis certa est & damnatio & damnati pœna. Sic ferè Augustinus. Vnde constat secundum eum illud: reus erit iudicio: non accipiendum hic vt sit sensus: obnoxius erit condemnationi vel condemnabitur, sed potius vt sit sensus obnoxius erit discussioni & examinationi, hoc est, iam tale quid commisit, ob quod perstrahendus

dus est in iudicium. Sciendum autem, Dominum in tribus istis gradibus iræ & reatuum attemperasse doctrinam suam ad captum simplicium. Non enim semper minus peccat qui tacitus irascitur, quàm qui conuitiis debacchatur: sed pro captu vulgi per eũ qui tantũ irascitur, proposuit exemplum iræ leuis, quæ nondum decreuit vltionem: per racha, iræ grauioris & per fatue, iræ grauissimæ citra homicidium. Sic quod irascentem dicit reum iudicio: dicentem racha, reum concilio: dicentem fatue, reum gehennæ ignis, significare voluit, eum qui vel tantùm irascitur, tale quid commisisse, vt metuere debeat condemnationem, quamuis illa omnino necdum videatur certa & definita: qui verò leuiori conuitio fratrem impetierit, tale quid commisisse, vt metuere iam non debeat solum ne condemnetur: sed veluti certus de promerita condemnatione, metuat grauem aliquam eo ademnationem: qui verò grauiori eõuitio alium incesserit, iam certò expectet debitum sibi grauissimum æterni cruciatus supplicium. Porrò quod in Euãgeliis à Christo per gehennam sæpe significetur infernus aut supplicium æternum damnatorum, hanc habet rationem. Fuit iuxta Hierusalem ad radices mõtis Moria, vallis quædam fontibus Siloë irrigua, ac nemorosa, plenáque delitiis & amœnitate, quæ dicebatur Gehem Hinnom, id est, vallis filij Hinnom, vel omisso nomine ben, Ge Hinnom id est, vallis Hinnom, vel, vt nos habemus, Ennom. Vtroque enim nomine vocatur Iosue 15. & 18. Iudæi autem à loci amœnitate captandæ occasionẽ, in hac valle erexerũt excelsum idolo Moloch, cuius filios exustos igni deuouebant & immolabant, quemadmodum Ethnici Saturno facere solebant, vt verisimile sit nomine Moloch, qui Deus erat Ammonitarum Saturnum in scripturis intelligi. Hinc excelsum illud, & vallis item illa, dicta est Tophet, à ritu scilicet sacrificantium Moloch, cui cùm adolebantur infantes, pulsabantur tympana, ne audirentur eiulatus eorum dum exurerẽtur, & parentum corda commouerentur. Toph enim Hebræis tympanum dicitur. Hunc locum pius Iosias postea contaminauit, coniectis in eum mortuorum ossibus, vt scribitur 4. Reg. 23.

vbi sic legimus: Contaminauit quoque Topheth quod est in conualle filij Ennom, vt nemo consecraret filium suum aut filiam suam per ignem, Moloch. Sed & Dominus Hierem. 7. & 19. minabatur Iudæis venturum tempus, quo excelsum illud nõ vocaretur amplius Tophet & Geben Hinnom, id est, vallis filij Hinnom, sed vallis occisionis, & sepelirentur occisi in Tophet, eo quòd non esset alibi locus. Hinc ergo duplici ratione factum est, vt nomen illius loci, nempe Gehinnom, acciperetur pro inferno & supplicio æterno. Primùm, quia huiusmodi locus iam à Iosia, & per vltionem Domini à Iudæis sumptam contaminatus, summæ erat deiectionis abominationis, in quem cadauera & quæque abominanda reiiciebantur è Hierusalem. Secundò, quia eo loci crudeli & grauissima pœna exurebantur infantes. Hoc enim etiam respectu factam esse nominis translationẽ, ad significandum inferni supplicia, hinc patet, quòd Isaiæ 30. nomen excelsi, nempe Tophet, ad inferni ignem transsumitur, priusquam locus redditus esset abominabilis. Sic enim Isaias: Parata est ab heri, Tophet, à rege præparata profunda & dilatata. Nutrimenta eius ignis & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succedens eam. Quod autem dicit Hieronymus super Matth. cap. 10. Nomen gehennæ in veteribus libris non inueniri, sed à Saluatore primùm ponitur accipiendum, in veteribus libris non inueniri in eo significatu, sed à Saluatore primùm sic vsurpari, quamuis verisimile sit iam apud Iudæos etiam ante Christum in eo significatu vsurpari solitum. Nam nomen ipsum in veteri testamento frequenter occurrit. Vbicunq; enim nos legimus vallis Ennom. Hebræis est Ge Hinnom. Nam Ge vallem significat. Aspiratio autem quæ est in Hebræo nomine, necessariò à Græcis omissa est dicẽtibus γέεννα. Quod autem Dominus aliquando addit nomini gehennæ dictionem ignis, facit propter exaggerandam incredibilem vim cruciatuum, qui impios manent: intelligenda est autem hæc oratio, gehenna ignis, Hebraica phrasi, pro eo quod est, gehenna ardens & ignita.

Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris,

quia.] Postquã tribus sententiis docuit Dominus nõ solum ab homicidio abstinendum, sed etiam ab ira ac minima fratris læsione quæ verbali fiat conuitio: hîc iam duabus sententiis docet quid si faciendum ei qui fratrem in aliquo læsit, conuenientem certè seruans ordinem, eo quòd sciret fieri non posse, quin inter fratres nonnunquam offensæ quædam orirentur, & vnus alterum læderet, saltem vel racha vel fatue dicendo. Videtur autem hæc prior sententia, quàm ex superioribus inferri indicat cõiunctio, ergo, sic cum superioribus hęrere: Cùm charitatis fraternæ tanta sit habenda ratio, vt cauendum sit ne vel fatue vel racha dicendo, aut etiam tacita ira eam violes, cùmque fraternæ charitatis violatorem adeò detestetur Deus, vt eum qui vel fatue tantùm dixerit fratri, addicat gehennæ ignis igitur si, vt fit, contingat aliquem fratrem suum quauis in re læsisse & offendisse, ante omnia ei opera danda vt scissa concordia resarciatur, & fratri reconcilietur, adeò vt huic rei etiam sacrificij oblationem postponat, quæ non potest Deo esse accepta ab eo qui fraternæ charitatis violator est, gehennæ ignis apud Deum obnoxius. Diligenter autem aduertendum, quàm efficaciter Dominus hac lege & sententia impellat ad studium reconciliationis. Remedium enim daturus ei qui fratrem offẽdit, non sat habuit dicere: Si ergo offendisti fratrem tuum, reconciliare ei, sed necessitatem satisfaciendi fratri offenso demonstrat ex displicentia diuina, dum offensam in fratrem docet esse impedimentum ad offerendum munus Deo, vt intelligamus non solum in fratrem nos peccasse, sed etiam in ipsum Deum, nec tamẽ posse nos nostris sacrificiis Deo reconciliari, quamdiu non fuerimus reconciliati fratri. Rursum nõ dixit: Reconciliare fratri tuo priusquam offeras munus Deo, ne tempus reconciliandi concedere videretur vsq; ad tempus offerẽdi munus Deo, sed vt ante omnia negotia & quàm citissimè, doceret incumbendum reconciliationi. Si, inquit, offeras, & ibi recordatus fueris, &c. Si enim diuinum negotium, etiam cùm in manibus est, intermittendum est, & posthabendum reconciliationi fraternæ, multò magis alia negotia: & si tunc dũ quis ante altare recorda-

recordatur offensæ, recurrendū est ad fratris reconciliationem, multò magis id prius agendum erit. Efficax est ergo valdè hæc sententia ad suadendum studium reconciliationis, eò quòd doceat primùm concordiam fratrū Deum malle quam sacrificia & oblationes. Deinde non esse Deo accepta sacrificia, ac proinde nec quæuis alia opera nostra, si desit charitas mutua, ac ob id ante omnia studēdū reconciliationi, si læsa est charitas. Nec solū efficax est hæc sententia, vt quærat reconciliationem qui læsit, sed etiam ad hoc vt qui læsus est, facilè fratri reconciliationem quærenti condonet, ne Dei honorem & sacrificia illi offerenda remoretur & impediat. Aduertēda hic ita Dei benignitas: qui vt promoueat mutuam fratrum charitatem, cum alioqui liber sit, sui iuris, nec vlli astrictus, suam gratiam vult pēdere à fratris gratia, ita vt suam impertiri nolit, nisi fratris gratia, impetrata. Aduertendum item, quomodo Dominus eiū hoc mandato iustitiam nostram abundantiorem facit iustitia & Scribarum & Pharisæorum, siquidem hi statim ad sacrificia confugiebant & vocabant quasi per ea cuncta statim crimina expiarentur, etiam neglecta fratris reconciliatione contra quos vt alibi Dominus dicit, Deum malle misericordiam quàm sacrificium: ita hic significat eundem malle charitatem fraternam quàm sacrificiū. Figura quædam huius præcepti & exemplum præcessit in Iacob patriarcha, qui non nisi frater Esau sibi reconciliato legitur altare erexisse, in quo sacrificium obtulit. Porrò quòd dicitur: frater tuus habet aliquid aduersum te: dupliciter intelligitur. Augustinus enim intelligit eum habere aliquid contra alium, qui ab eo læsus est, hoc est qui habet vnde cū alio expostulet, & eius habet de eo conquerendi. Itaque non dicitur: si tu habes aliquid cōtra fratrem tuum: sed, si frater tuus habet aliquid aduersum te: quia non præcipitur ei qui ab alio læsus est, vt tantæ oblationem reconcilietur fratri, quamuis magnæ sit perfectionis, si quis læsus fratrem inducat ad reconciliationem secum ineundam. Quamuis tamen non sit necesse ei qui læsus est vt reconciliationē quærat, necesse tamen vt ante oblationem dimittat iniuriam fratri. Aliud est enim reconciliari fratri,

Quid sit frater tuus habet aliquid aduersum te.

tri, aliud dimittere fratri. Chrysostomus verò, post eum Theophyl. intelligunt eum habere aliquid aduersus alium, cui cum alio non bene cōuenit, sed qui inimicitias cum illo gerit siue iustas, siue iniustas, & ob id absolutè dictum: si frater tuus habet aliquid aduersum te, nec additum, iustè, vt intelligatur etiam ei qui læsus est præceptum esse vt reconciliationem eius quærat, qui ab ipso dissidet, & se læsum ab eo putat, etiamsi non sit. Atque ob id etiam Chrysostomus putat non esse dictum, reconcilia tibi fratrem tuum: sed, reconciliare fratri tuo: quod tam offenso conuenit quàm offendenti. Et hæc quidem intelligentia videtur magis conuenire perfectioni Euangelicæ, quàm hic tradit Dominus. Videtur tamen Chrysostomum, dum reconciliationem quærit à læso, tantùm requirere remissionem delicti in se commissi, ita vt sententia eius ferè coincidat cum Augustini. Vnde Euthymius Chrysostomi sectator & explanator: Fertur, inquit, indifferenter sermo, & ad eum qui affectus est iniuria, & ad eum qui iniuriam irrogauit. Et si quidem malè passus es, iniuriam remitte illi, nec patiens esto: quòd si iniuriam irrogasti, medere iniuriæ, nihilque relinquas eorum quæ ad reconciliationem faciunt. Hæc ille. Verùm quid sit fratrem habere aliquid aduersum aliquem, patet ex Apoc. 2. vbi simili locutione dicitur. Habeo aduersus te pauca, pro eo quod est, sunt quædam de quibus tecū expostulē. Porrò si ante oblationem sacrificiorum legalium, de quibus ad literam loquitur Dominus, (hæc enim cùm Christus diceret, ista adhuc offerenda erant vigente adhuc lege Moysi) reconciliatio quærenda erat, multò magis ante oblationem sacrificij nostri nouæ legis, cóq; magis quo hoc est charitatis & mutuæ concordiæ symbolum, vnde & communio & synaxis dicitur. Sunt autem etiam laudes gratiarum actiones, orationes, & eleemosynæ, quæ dant sacrificia quæ Deo offerimus, & omnino omnia bona opera in Dei honorem facta, sacrificia quædam sunt. Proinde docemur sacrificium laudis, orationis, aliorumque bonorum operū Deo placere non posse, nisi reconciliati hæc Deo offeramus. Vnde Paulus vult viros orare in omni loco, leuātes puras manus sine ira & disce-

Apoc. 2.

disceptatione. 1.Timoth.2.Et Petrus vitos vult mulieb-
bri sexui tanquam infirmiori vasculo impertiri honorem, vt non impediantur orationes, per contentiones
scilicet & disceptationes.1.Petri 3.Cæterum hæc Domini sententia non sic est accipienda, quasi semper necessario sit agendum secundum eam vt verba sonant.
Contingit enim aliquando vt vel non expediat adire offensum, & reconciliationem quærere, vel tempus & locus non permittat, vt si frater offensus eo loco quo non facilè aditi possit. Itaque intelligenda est cum eo sale discretionis, cum quo similia præcepta affirmatiua debent intelligi, si scilicet tempus, locus & prudentiæ ratio ita permittat: nec tam spectanda sunt præcepti huius verba, quã scopus & intentio Saluatoris, qui est, vt quantum in nobis est omnia postpositis omnibus faciamus, quò offensum fratrẽ reconciliemus nobis, adeò vt etiam sacrificium Deo iamiã offerendũ intermittamus, cum ita fieri potest, quo memores offensæ fraternæ, eum qui offensus est placemus, priusquam sacrificio absoluamus. Quod si autem fieri non potest vt offensum adeamus, illuc reconciliemur, animo saltẽ & cordis bono ꝓposito, istud quod hic præcipitur peragendũ est, videlicet vt pro virili, & iuxta offensæ qualitatem offensum placare proponat, priusquam oblationem suam Deo offerat. Proinde ad mysticã huius præcepti intelligentiam confugit Augustinus, intelligens eum qui læsit alium, non pedibus corporis, sed animi motibus pergere debere ad offensum, eique humili affectu se prosternere in conspectu Dei, ac inde venientẽ, hoc est, intentionem suã reuocantem ad id quod agere cœperat, offerre munus suũ Deo. Sed simplicius fuerit præceptum istud intelligere, vt dictum est.

DOMINICA VII. POST TRINITAT.

EVANGELIVM.

IN illo tempore: Cùm turba multa esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent, conuocans discipulos suos ait illis, Misereor super turbam: quia ecce iam triduo sustinẽt me nec habent quod manducent: & si dimisero eos ieiunos in domos suas, deficient in via. Quidã enim ex illis à longè venerũt. Et responderunt ei discipuli sui: Vnde istos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt, Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes gratias agens, fregit, & dabat discipulis suis, vt apponerent: & apposuerunt turbæ: & habebant discipulos paucos, & ipsos benedixit, & iussit apponi. Et mãducauerunt, & saturati sunt, & sustulerunt quod superauerat de fragmentis, septem sportas: Erant autem qui manducauerant, quasi quatuor millia, & dimisit eos.

EX hodierno Euangelio, recitatum de septem panibus miraculũ, quàm fuerit prudenter in illius tempus relatum, neminem arbitror, adeo rerum mundanarum ignarum, qui nõ ex iis, quæ geruntur in agris, intelligat. Colligunt agricolæ lætantes manipulos, Domini benedictione, de paucis granis multiplicatos. Non immeritò ergo monentur, cui sint hæc accepta ferenda, & quonam pacto sit iis fruendum, vt autorem locupletationis agnoscentes, honoribus & gratiarum actionib. debitis hunc prosequantur. Non enim Ceretis beneficio, sed neque laborum vestrorum studio, contigerunt, quas infertis fruges, quia neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Deus inquam est, qui administrat semen seminanti, & auget incrementa frugum, & panem ad manducandum præstat. Huic vni grates debẽtur & laudes: & nostra interest, cauere, ne impinguati, incrassati, dilatati recalcitremus, aut donis Dei licẽter ãbutamur, vtque ex hac Domini munificentia, discamus in omni necessitate, quã optimè de eius clementia confidere. Talia fere, quoniã ex præsenti Euangelio perdiscimus, aptissimè tempori messis congruere videbatur: quamquã & alia ordinis & doctrinæ Ecclesiasticæ ratio, suppeditari queat. In præcedẽti námque Dominica, paulo durius, & quod affectibus nostris repugnaret, Euangelium audiuimus: huic autem modo succedit doctrina suauior, mirificã & ineffabilem consolationem præbẽs, quocunque modo grauatis. Hic enim est Euangelicus ordo, hæc ratio

doctrinæ

doctrinæ sacre, sic solitus est Christus acerbis & mordaculis permiscere suauia, & mellitiora acidis temperare. Quod si alterutrum intermittas, periculum erit, ne quis in alteram partem, videlicet desperationis, aut securitatis incumbens corruat. Itaque alma mater Ecclesia, tristibus & quæ ad desperationem adigere poterant, læta permiscuit: rursus, consolatoria & promissiones Euangelicas ita tradit, ne carnalibus ansam præstent vanæ securitatis, sicut ait Petrus: Quasi liberi & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem. Hæc præfati, interpretationem aggrediamur, nec singulorum verborum energiam excutientes, quia id in simili historia, nuper in Quadragesima, Dominica, Letare, abūde præstitimus sed sufficiamus aliquot inde doctrinas ad vsilitatem nostram colligamus.

Cum turba multa esset cum Iesu, nec haberet, &c.] Post miraculum quo Dominus pauit quinq; panibus quinque millia hominum, conuenienter etiam istud facit secundo, hac iteratione ostendens & indesinentem suam bonitatem, & sequentibus se nihil vnquam etiam temporalium defuturum. Se enim etiam temporalium rationem habere, & fame laborantibus misereri. Speciatim verò hic obseruandum, primò quidem in turba, quanto Domini desiderio tenerentur, quòd & ex longinquo illum sint secuti, & triduo perseuerauerint apud illum, ne tunc quidem de abitu & cibo curando cogitantes cùm de famè periclitarentur. Adeo eos rapuit & miraculorum & doctrinæ gratia. Verisimile autem eos aliquid cibi secum sumpsisse, quod ad vnum aut alterum diem sufficere posset, quam illud: *dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.*] indicare videatur, toto triduo illos non multum cibi habuisse, quod & illud significat: *Nec habent quod manducent.*] Non enim dicitur, non habent amplius quod manducent. Secundò verò obseruandum in Christo ingens miserationis & benignitatis eius exemplum. Cùm enim turbæ ob suam vtilitatem Domino adhærerent, & apud illum manerent, tamen misereri se dicit turbæ, eò quòd triduo perseuerarent secum. Quo docemur,

mur Dominum, ita misereri sequentium se, cùm malum aliquod inciderint, hæc si ab illis ipse commodū aliquod reportaret, cùm contrà res sese habeat. Quod autem Dominus conuocatis discipulis exposuit, priusquam miraculum faceret, & suam misericordiam ac voluntatem, & turbarum inopiam ac periculum, ob id maximè fecit vt tentaret eorum fidem, & ex memoria prioris miraculi excitaret in eis fiduciam petendi simile inopiè turbarum subleuationem illi quam aliquādo experti fuerant, vt dicerent: Si miseraris illorum inopiam, nec vis illos ieiunos ablegare, pasce ergo eos quomodo nuper. Simul tamen & his verbis ad discipulos habitis significauit, nō ostentationis gratia se ad miraculū hoc prosiliisse, sed coactum iusta miseratione. Ob quod etiam non primo aut secūdo die, sed tertio die ad miraculum hoc peruenit, quando iam certū habebatur, etiamsi quædam attulissent, omnia tamen tunc fuisse consumpta. Quamquā & ideo etiam in tertium diem miraculum hoc dilatum à Domino intelligatur, quo turbarum constans desiderium dignum tanto miraculo innotesceret. Postremò in discipulis obseruandum, quanta adhuc stupiditate tenerentur & dissidentia, qui cùm prioris miraculi fuissent spectatores & ministri, iam tamē dicunt: Vnde nobis in deserto panes tantos, hoc est, tam multos, vt saturemus turbā tātam, hoc est, tam multam, Ponitur enim quantitas continua (vt dicitur) pro discreta. Dicunt autem hæc verba, vel quia obliti erant prius miraculum, vel potius quia præ nimia tarditate nondū intelligebant Dominum quōdcunque vellet, semper, posse quod semel potuit. Nā Marcus inquit, Nondum enim intelligebant de panibus. Erat enim cor eorum obcæcatum, & mox postea Dominus eos de panibus solicitos increpat de tarditate dicens: Nondum cognoscitis, nec intelligitis, &cet. Vide ergō quam nihil externa omnia efficiant, cùm non docet intus spiritus. Nondū enim erat spiritus Apostolis, saltem perfecte, datus, quia Iesus nondū erat glorificatus. Cùm ergo Dominus iam exiguitatem fidei & fiduciæ Apostolorum expertus fuisset, interrogat quot panes haberent, non quasi ignorans, sed vt conuenienti

ordine ad miraculū procederet, vtq; miraculi certitudo & magnitudo ex confessione discipulorum notior fieret, propter quod etiam, sicut prius, & turbam iubet discūbere, & per Apostolos cibū turbis apponit. Quod autē iam septem panibus quatuor tantùm milia pauerit, cùm prius quinque tātùm panibus milia quinq; saturauerit, demōstrat Deo perinde esse, multos vel paucos ex multo siue modico saturare, cùm necesse fuerit. Quare autem reliquiarum mēsura nō quidem numero panum, prius verò numero Apostolorum respōderit, conuenientem reddit Chrysostomus rationē nempe vt ex huiusmodi diuersitate ac diuersa correspōdentia, discipuli facile rememorarētur & huius & illius miraculi, ita vt miracula hæc duo nō tantū fiat admirāda, ob id quod post tantę multitudinis saturationem ex tam paucis panibus multum reliquiarum superfuerit, sed etiam ob id quod tantum vtrobique superfuerit reliquiarum, quantum Christus pro suorum vtilitate super esse voluit. Quamquam autem hic tantùm septem sportarū reliquiæ superfuisse dicātur, illic autem duodecim cophinorum reliquiæ, non tamen hinc consequitur reliquias nunc fuisse panciores. Non enim idē significant sporta & cophinus. Cophinus autem Græca dictio, dicta putatur à ieuitare, quasi κοφίνος, significatque quod Latinis dicitur corbis, à quo detiuata videtur vox Germanica *Corf*, quàm certum est significare vas paruæ magnitudinis & capacitatis. Nomine autē sportæ, pro quo Græcè dicitur σπυρὶς, significari maius vas, vel illud satis arguit, quòd per sportā Paulus se demissum dicit per murum. Vnde fieri potest reliquias septē sportarum vel æquasse, vel etiā superasse reliquias duodecim cophinorum, cùm id quod nostra lingua sportā vocamus, nempe *Ein mand*, duplo maius aut etiam amplius sit corbe. Fuerunt autem hæc omnia, cophinus & sporta, apud antiquos certarum mensurarū etiam nomina, quomodo si hic accipiantur, non erit necesse inquirere, vnde in deserto aut cophinos aut sportas Apostoli sibi putuerint, cùm dici possit. 12. cophinos aut 7 sportas eos sustulisse eò quòd reliquiæ eas mensuras duodecies aut septies replere potuissent. Porrò quòd ad allego

allegoricā huius historiæ pertinet tractationē, id quod Dominus hic corporaliter fecisse legitur, etiā spiritualiter & fecit & facit quotidie. Misertus enim hominum ob triduanum eorum ieiunium, quod scilicet passi fuerunt & ante legem & sub lege, dimittere eos tertio die in aduentu scilicet suo, ieiunos noluit, ne penitus in via huius vitæ deficerent, sed septem panibus & paucis piscieulis additis pauit quatuor hominum milia, hoc est vniuersos credētes in quatuor mundi partibus habitantes. In septem panibus, qui nō dicuntur, vt quinq; illi, fuisse hordeacei, rectè intelligim⁹ Euāgelicā doctrinam, propter spiritualis doctrinæ perfectionem quæ est in ea. Non enim Dominus tantùm quinque illos panes hordeaceos, hoc est, asperam legem Moysi in quinq; libris contentam, sua fractione & benedictione reddidit satiandis hominibus sufficientem, sed & alios septem panes apposuit, euāgelicam scilicet doctrinam in euāgelistarum scripturis contentam. Addidit aūt & piscieulos paucos, nempe Apostolorū epistolas, velut obsonij loco. Sed hoc additamētum pusillum est, si ad apparatum euangelicum respicias. Tale est cōuiuium euāgelicum, ex pane scilicet constans & piscibus, nimirum humile quidem, frugale ac parcum, si speciem tantùm verborum spectes: sed tamen exhibens & quæ ad vitā sunt necessaria, & quæ fastidium tollere possunt: ac rursum adeo copiosum & largum, vt & omnibus satiandis sufficiat, & semper abundè supersit quod colligatur à doctoribus. Copia enim & dapsilitas euangelici conuiuij non est sita in multitudine disciplinarum, veluti ciborum generibus ad fastidium vsq; multis: aut in cōdimentis ex omnium humanarum literarum mixtura cōfectis, sed in virtute sermonis à Deo traditi ac bona fide dispensati, quem qui fide percipit, nō discedit fame laeus, sed satur, cùm aliq omnes disciplinę, quantumuis varię & exultæ, meatem hominis saturare nequeant. Quòd turbæ pascēdæ à se Dominus præcepit super terram discūbere, mysticè significat, quid facere debeat qui spiritualibus panibus Iesu volet saturari, nimirum eadem omni fastu depositō seipsum debere in terrā deiicere, agnoscendo quis sit, & vnde prodierit, ac cōponē-

Mysticus sensus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dos esse affectus eius: vt cõquiescant in eo carnis cupiditates. Quod discipuli à Domino acceptos panes & pisces iussi sunt apponere turbæ, admonet quid facere debeant, qui panes euangelicos populo sunt proposituri, nimirum vt à Christo illos accipiãt consecratos & fractos, & eius iussu populo apponant. Sunt enim qui panem scripturæ diuinæ non secundum voluntatem Iesu populo proponunt, vt qui eam detorquent ad suorum errorum patrocinium, aut ad cupiditates & gratiam hominũ aut qui sibi vendicant autoritatẽ dispensandi verbũ Dei, ac pascẽdi alios. Itaque docemus hic & quæ sit vis sermonis euangelici, & qualis debeat eius esse auditor, & qualis eius dispensator. D. Bernardus ser. 4. in festo Omnium Sanctorum, septem istis panibus putat intelligi posse mystice bona septem quæ post hanc vitam expectamus & in quorum expectatione hic interim reficimur, quorum tria ad animam spectant iuxta triplicem eius partem. Nam rationalis perficietur sapientia, cõcupiscibilis iustitia, irascibilis lætitia. Quatuor verò ad corpus iuxta quatuor elemẽta ex quibus constat. Nã & donabitur immortalitate, ne rursum in terrã ex qua est redire cogatur, & impossibilitate, ne ex inordinatis humoribus sit amplius passionibus obnoxium: & agilitate, quod aeri conuenit: & claritate, quod cõuenit igni.

DOMINICA VIII. POST TRINIT.

EVANGELIVM

Matth. 7. *IN illo tẽpore dixit Iesus discipulis suis. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimẽtis ouiũ: intrinsecus autem sunt lupi rapaces. à fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligũt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor quæ nõ facit fructũ bonum excidetur & in ignẽ mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est ipse intrabit in regnum cælorum.*

Perico-

PEricope hæc Euangelij prolixæ illius in monte habitæ concionis peroratio est. in qua duabus parabolis ostendit Dominus auditoribus, qualiter suam doctrinam recipere debeant, & in quem finem retinere. Primò, sub similitudine lupi personati hoc ante omnia postulat, vt Euangelium suum tanquam indubitatum cæleste atque diuinitus ad se missum oraculum, firmiter constantissimeq; retineãt, nec vllis terroribus aut illecebris se patiantur ab eo diuelli, & quicquid cũ eo pugnat aut dissidet, quamlibet boni speciem præ se ferat, tanquam pestem ac toxicum fugiendũ. Deinde sequẽti parabola sterilis arboris excindendæ, significat doctrinam, suam non ita fore recipiendam, vt tolũm ore gesterur, aut memoria teneatur, sed vt operis effectis compleatur. Prima ad doctrinam & ecclesiastes, secunda ad auditores & doctrinę effectũ pertinet. Hostis humanæ salutis, hoc vnum indefessis studiis satagit, vt nobis si possit, orthodoxam & sinceriorem doctrinam, vel eripiat, vel corrumpat. Quod si non assequitur, tõtus in hoc incumbit, vt saltem insecunda in nobis, ignaua & sine fructu permaneat. Concionator prauè docens, sæuus lupus: Christianus qui scit volũtatem Domini sui & non facit, lignum aridum est, incendio deputatum. Quæ cum bona fide simpliciter & ex sinceræ charitatis, candore, discipulis fuerunt à Christo in cautionẽ prædicta, admodum nouum & à Christo quàm alienissimum est, ab aduersariis veritatis & religionis nostræ non nisi ad stomachum & proximorũ iniuriã frequentati, dum in hodierni Euangelij enarratione, in dicteria atque conuitia locum communem ipsis vsitatũ quàm deseruerũt sunt lupi rapaces, Papistæ, Pontificij, sacrificuli, &c. Et dum causæ suæ æquitari diffidunt, omisso religionis negotio, quod ipsis minimè cordi est priuata simultate blasphemo ore & dicacitatis, quo graniter laborãt, morbo orthodoxos proscindũt. Quasi verò nostre choleræ CHRISTVS fenestram aperire voluisset, vt odiũ scilicet, rancorem, inuidiam, reliquósque perstilentes effectus enomeremus idque in Ecclesiam matrem reformatæ religionis prætextu. Orem non fictis lachry-

mis deplorandam. Quæso per Deum immmortalem, quàm Ecclesia ex istiusmodi calumniis vtilitatem & infinitis pudendisque latratibus, & virulentibus conuitiis, fructum huc vsque retulit? Dum pro verbo Dei rancidas & amarulentas infectationes plebs deuorare cogitur. Qui turpius in legato, quàm quòd omissis Domini sui, pro quibus missus erat negotiis, suam, 2. Cor. 5. duntaxat rem? Legatione fungimur pro Christo, ait Apostolus, tanquàm Deo exhortante per nos. Cæterùm Marci. 16 istius legationis instructio, vt vocant, est verbum Euãgelij diuulgandum omni creaturæ. Id autem non est 2. Tim. 3. obtorto collo torquendum, vt nostris affectibus priuatis inseruiat, sed ad docendum, arguendum, erudiendum, corripiendum in iustitia, vt integer sit homo Dei. Verum nos conuiciatoribus hisce omissis, ex iis quæ præcedunt & subsequuntur, Christi sensum diuina fauente gratia, elicientes: sepositis affectibus, textum ipsum interpretabimur.

Tenedite à falsis prophetis &c.]Post traditam septimo capite Matthæi, ex quo hodiernum excerptũ est Euangelium veræ & absolutæ pietatis summam & adhortationem ad ingrediendum viam arctã, cõmodè nũc subiicitur de vitãdis falsis prophetis, quòd hi adducere studeãt à vera pietate, & via illa stricta quę ducit ad vitam, cùm tamen sese profiteantur viæ huius doctores esse & ductores, idq; caillidè simulata quadã sanctimonia præ se ferant, à quibus proinde summa cũ vigilãtia cauendum esse admonet: quod sicut perniciosissimum est si recipiantur, ita dignosci non possunt, nisi adhibita diligenti quadam cautione & attentione. Dicit ergo: Attendite, hoc est diligenter & prouidè cauete vobis à falsis prophetis, vel, vt habẽt Græca, vnica dictione, à pseudoprophetis. Hos vocat omnes falsos doctores, qui officium videdi ea quæ aliis nõ sunt manifesta profitentur, siue futura prædicant, siue non. Nã & prophetę veri dicũtur in scripturis, qui spiritu prophetico prophetarum scripta aliis explicare possunt etiãsi nulla futura ipsimet prædicant. Sunt ergo pseudoprophetæ duplices. Quidam enim aperte Christianissimum iupugnant, Christum negantes, & quæ aperte

Pseudoprophetæ qui

tè sunt fidei in illum contraria docentes, qualis fuit Mahumetes qualis & erit ille Antichristi pseudopropheta: de quo in Apocalypsi: De qualibus loquitur etiã Dominus infra, Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem ducantur (si fieri potest) etiam electi. Alij sunt qui Christianissimum & Christi nomen profelli, sub Christianæ & Euangelicæ doctrinæ prætextu docẽt quę sunt Euãgelio & veritati contraria, quales sunt quos cõmuniter hereticos appellamus, de quibus aperte Paulus: 1. Tim. 4. Spiritus manifestè Hos dicit, &c. autem falsos doctores pseudoprophetas hic vocat, vel ob id quod hactenus sic vocati erant apud Iudæos, quotquot falsa docerent, & huiusmodi appellatione commune faceret eos malorum illorum, quæ patribus eorum contigerunt per pseudoprophetas. De his ergo omnibus dicit: Qui veniunt ad vos, ex se scilicet, non missi à Deo. Id enim significat verbum, veniunt. Porrò vestimenta ouium sunt quæcunque pertinent ad externam sanctitatis declarationẽ, qualia sunt, miracula, ieiunium, eleemosyna, oratio, castitas, diuitiarum contemptus, inclamare semper Euangelium, vti sacramentis Ecclesiasticis, & alia, quęcunque sanctitatem & integritatem præ se ferunt. *Intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*]quia cùm sanctitatem & simplicitatem foris ostentent, intus, hoc est, in animo & latenter nihil aliud sunt quàm lupi, nimirũ quia re vera gregem Dominicum & oues Christi simplices & innocentes dilacerare studeant. De qualibus & Paulus: Attendite, inquit vobis & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quã acquisiuit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos Act. 20. non parcentes gregi. Et ex vobismetipsis exurgent viri loquẽtes peruersa, vt abducant discipulos post se. Et quidem sunt aliqui extrinsecus lupi, veluti aperti veritatis hostes, de quibus infra loquitur Dominus dicens: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum: verùm ab illis intrinsecè lupis plus est periculi, quòd sub habitu ouis lupũ agãt. Nihil est negotij lupũ ab oue diguoscere, si vterque edat suam vocem, si vterque sua pelle

Vestimẽta ouium.

tectus veniat. Verùm quid facias, vbi lupus ouillo vellere, ouilla voce ouem simulans irrepserit in ouile, non vt ouis fiat, sed vt crudelius oues lanier. Certè vigilanter attendendū, & maximè pastoribus vt aliquo signo deprehensum lupū ab ouibus separēt, condigno supplicio sumpto de ipso, vt fiat quemadmodum legimus in Æsopicis fabulis: Lupus enim ouis pelle indutus, ouiū se immiscuit gregi, quotidiéq; aliquā ex eis occidebat. Quod cùm pastor animaduertisset, illum in altissima arbore suspendit. Interrogantibus aūt cæteris pastoribus cur ouē suspendisset, aiebat: Pellis quidem vt videtis est ouis, opera autem erāt lupi. Cæterum quoniam huiusmodi lupi latent, & oues se esse metiuntur, docet Saluator quomodo dignosci poterunt ab his qui propius eos & quæ eorum sunt inspexerint. *A fructibus inquit eorum cognoscetis eos.* Circa quod tamen oritur difficultas. Si enim veniunt in vestimētis ouium: hoc est, exterius se oues esse ostentent, nec de absconditis & interioris homo iudicare possit, quomodo ex fructibus suis cognoscētur occulti isti lupi? Dicendum, quod quantūuis se lupi isti occultare studeant, tamen facilè deprehēdi poterunt ex aliquibus edītū fructibus, quāquam non ex omnibus fructibus. Sunt aūt fructus eorum ex quibus cognosci possunt, duplices, nempe doctrina & opera. Et quidem ex doctrina eorum nōnunquam apertissimè cognoscuntur, videlicet cùm manifestè contraria doctrinæ veritatis prædicant. Vnde Ioannes hoc iudicio docet cognoscere pseudoprophetas, dicens: Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierūt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei, omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est, & omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est. Sic & nobis semper videndum cum nouus aliquis prædicator exurgit, qui noua aliqua inculcat, num illius doctrina conueniat cum recepta veritatis doctrina, ad quam tanquam ad lydium lapidem omnis doctrina examinari & probari debet. Et quidem de huiusmodi fructu, doctrinæ scilicet, locutum hic etiam Dominum, cùm dixit: A fructibus eorum cognoscetis eos

Fructus duplices, doctrina & opera.

1. Ioan. 4.

eos: patet ex his quæ hoc loco subiicit Dominus apud Lucam: Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, &c. Alij autem fructus per quos cognosci possunt non esse rex Deo, sunt opera exteriora. Nā quantumuis simulent & dissimulent, tamen alicubi produnt se spiritu diuino esse destitutos, dum si quis vitam & mores eorum attentius obseruet, reperiet illos sibi placentes, gloriæ sitientes, assentatores, inuidos, maledicos & obstrectatores, nonnūquam & ventri deditos & suis temporalibus commodis seruiētes, & omnino suum negotium agentes potius quàm veritatis. Huiusmodi enim notis fere notantur in scripturis, & maximè apud Paulum. Nā rogo, inquit, vos scattes vt obseruetis eos, qui dissentiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo Domino nostro nō seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones benedictiones seducunt corda innocentum. Ad Galat. 6. notat pseudoprophetarum tum superbiam, tum persecutionum pro veritate recusationem. Quicunque, inquit, volunt placere in carne, hi cogunt vos circuncidi, tantùm vt crucis Christi persecutionem non patiantur. Neque enim qui circuncidūntur, legem custodiunt, sed volunt vos circuncidi, vt in carne vestra glorientur. Et Æmulantur vos non bene, sed excludere volunt vos vt illos æmulemini. Et multi inquit, ambulant quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est & gloria in confusione ipsorum. Sic & aliis multis locis. 2. Corinth. 11. 1. Timoth. 4. & ad Titum. 1. 2. Petri 2. notantur ambitionis, auaritiæ, supercilij, doli & inuidētiæ. Cùm aūt pseudoprophetæ & ex doctrina, & ex operibus suis cognosci possint, aliquādo quidem apertius eos prodit doctrina, vt quando apertè Euāgelio contraria & manifestè impia docent, aliquando verò ipsa opera doctrinæ eorum falsitatem declarant apertius, vt cum talia docēt, quorum falsitas, non ita facilè à quouis aduerti possit. Itaque si corū doctrina & opera exactè perpendantur, aut doctrina condemnabit eorum opera, quantumuis in speciem bona, aut opera

Rom. 10.

Gal. 4.

Philip. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

condemnabunt eorum doctrinam, quantumuis in ſpeciem vera.

Nunquid colligunt de ſpinis vuas, &c.] Dominus declarare volés quomodo pſeudoprophetæ & hypocritæ ex fructibus ſuis dignoſci poſſint, oſtẽdit id ex ſimilitudine arborum dupliciter. Nam in ſpecie id oſtendit, cùm dicit: Nunquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Pro quo Lucas: Neq; de ſpinis colligũt ficus, neq; de rubo vindemiant vuam. Neque curandum vtrũ horum dixerit Dominus, cùm ſenſus vtriuſque idem ſit. In genere verò id oſtendit, cùm dicit: Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit, &c. Loquitur autem de arboribus fructiferis. Nam alioqui non omnis arbor ex fructu ſuo cognoſcitur. Ne autem putaretur arbor bona bonos ſimul & malos poſſe proferre fructus, ſubiecit per exaggerationem: Non poteſt arbor bona malos fructus facere, &c. Potrò inter arbores bonas & malas poteſt fieri comparatio, vel ſecundum genus, vel ſecundum ſpeciem, vel ſecundum individua. Secundum genus quidem, vt cùm dicimus, pomum eſſe bonam arborem, malam autem rubrum, & pomum meliorem eſſe ceraſo. Secundum ſpeciem verò, vt cùm dicimus pomum huius ſpeciei meliorem pomo alterius ſpeciei. Sic etiam de individuis. Verùm circa applicationem huius parabolæ eſt nonnulla difficultas. Quomodo enim applicabitur illud: Neque enim colligunt de ſpinis ficus, &c. Nam de malis hominibus ſæpe percipitur doctrina veritatis, Domino præcipiente de phariſæis & Scribis: Omnia quæcunque dicunt facite, ſecũdum opera verò eorum nolite facere. Deinde quomodo dicitur mala arbor non facere bonos fructus, cùm mali frequenter bene prædicent, vt bene docendo frequenter in auditoribus bonum fructum fidei & charitatis producant, quomodo etiam bona arbor non facit fructus malos, cum nullus ſit quantumuis bonus, qui non ſubinde mala faciat: ſicuti nullus ferè tam malus, qui non faciat aliquando bona quædam opera? Ad primam & ſecũdam quæſtionem reſpondet hoc loco Auguſtinus: Quòd ſi aliquando malus ſit vtilis, nõ hoc ipſe facit, ſed ſit de illo diuina pro

Quomodo mali proſint.

na prouidẽtia procuráte. Impij enim per diuinã prouidentiam legẽ Dei prædicantes, poſſunt eſſe audiẽtibus vtiles, cùm ipſi non ſint ſibi vtiles. Non ergo qui eos audiunt, & faciũt quæ ab eis dicuntur, de ſpinis colligunt vuas, ſed per ſpinas de vite legunt vuas: tanquam ſi manum aliquis per ſepem mittat, aut certe de vite quæ ſepi fuerit inuoluta vuam legat, non ſpinarum eſt iſte fructus, ſed vitis. Ita ferè Auguſtinus. Ad tertiam verò quæſtionem, qua quæritur, quomodo arbor bona dicitur non facere malos fructus, & cõtra arbor mala bonos, cùm malus homo bona, & bonus mala faciat, faciis etiam eſt reſponſio ſecundum Auguſtinum. Nam, vt ipſe in varijs locis docet, per arborem bonam, volũtas bona eſt intelligenda: per arborem malã, voluntas mala. Iam manifeſtum eſt bonam hominis voluntatem mala non facere, nec contra malam voluntatem bona facere. Nam quæ bonus homo mala facit, à malo procedit quod eſt in homine: & quæ malus bona facit, à bono procedunt quod eſt in ipſo. Verùm ſi diligenter attendamus, hæ reſponſiones non videntur ſatisfacere. Nam quod ad primam attinet, doctrina veritatis à malo homine prædicata, æquè eſt fructus & opus ipſius, atque prædicata à bono, cum ſit vtriuſque libero arbitrio profecta. Et quod ad ſecundam pertinet, per arborem bonam & malam Dominum voluiſſe intelligere homines bonos & malos, non autem voluntatem malam & bonam, patet tum ex eo quòd per hanc ſimilitudinem velit oſtendere quomodo poſſimus homines ex factis eorum cognoſcere, ſicut arbores ex ſuis fructibus: tum quòd ſubijciat: omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur: ſignificans hominem infructuoſum e mundo tollendum, & proijciendũ in ignem inferni: tum quòd apud Lucam, veluti pro explicatione parabolę dicitur à Domino: Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum, & malus homo, &c. Pro difficultatum ergo ſolutione ſciendum: Dominum hic non vocare fructus hominum, ea quæ conſequuntur ex dictis vel factis ipſorum in alijs hominibus, ſed tantum ipſorum dicta vel facta fructus ipſorum vocari: vt exempli gratia, ſi malus aliquis veritatem prædicet

Fructus ſunt ipſorum hominum facta vel dicta.

dicet propter quæstum vel vanam gloriam, auditores tamen ex ea prædicatione ædificentur, ipsa ædificatio non vocatur hic fructus ipsius mali, sed ipsa prædicatio veritatis, quæ quamuis vtilis sit audientibus, & in seipsa bona, tamen quatenus à malo homine mala intentione procedit, malus est fructus malæ arboris. Sic si quis praua intentione pauperi det eleemosynam, subuentio non est fructus eius, sed ipsa elargitio quæ praua intentione vitiata est. Quod autem dicit Dominus, homines nō colligere vuas de spinis: non voluit significare homines nihil boni sibi colligere ab impiis hominibus, sed ideo dixit homines non colligere vuas de spinis, quia spinæ non proferunt de se vuas quemadmodum patet ex eo quod sequitur: Sic omnis bona bonos fructus facit, &c. proinde significare tantum voluit illa sententia malos non producere fructus bonos: quamuis ex malis illorum fructibus quidam nouerunt sibi bonos fructus colligere, Deo ex malis bona eliciente. Secundò aduertēdum, quòd inter arborem & hominem quòd hic per similitudinē arboris parabolicè designatur, quamuis multa sit similitudo, multa tamen etiā est dissimilitudo. Nam cùm arbor sit per naturam suā bona vel mala, cáque natura sit inuariabilis, arbori bona solùm profert fructus bonos, & mala solùm malos. Et rursum, arbor bona sicut non potest mutare speciē suam & fieri mala, ita non potest vnquam facere malos fructus, & similiter est de mala arbore. Homo verò cū per voluntatem suam sit malus aut bonus, sitque voluntas ipsa mutabilis, imò duplex sit in eo voluntas, vna spiritus quæ ad bonum fertur, altera carnis quæ ad malum semper propendet, hinc fit vt propter voluntatis mutabilitatem homo bonus: possit fieri malus & sic facere malos fructus, & propter voluntatis duplicitatem, homo qui dicitur bonus, propter voluntatem spiritus, prædominantem, etiam faciat malos fructus propter voluntatem carnis non omnino in homine mortuam. Et similiter dicendum est de homine malo. Quæ cum ita se habeant, ea quæ Dominus dicit ad literam de arbore bona vel mala: non debent in applicatione parabolæ omnia eadem modo hominibus accommo-

commodari. Non enim cùm dicit. Sic omnis arbor bona bonos fructus facit, &c. Et: non potest arbor bona malos fructus facere, &c. per arborem significat hominē nō metaphoricè: sed parabolicè. Hoc est, ad literam loquitur quidem de vera arbore, sed vult vt simile quid intelligamus de homine, quale experimur in arbore. In parabolarum autem applicatione non oportet in hoc studere, vt quæcunque rei tribuuntur vnde sumitur in parabola exemplum, eadem eodem modo rei adaptentur & conueniant propter quàm parabola assumpta est. Itaque per hoc quod hic dicit Dominus: Non potest arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos fructus facere: quod simpliciter & absolutè verum est de arboribus veris, de quibus ad literam est sermo, nō est intelligendum Dominum voluisse significare, ita etiam hominem bonum nunquam facere aut non posse facere malos fructus, malum quoq; nunquā facere aut non posse facere bonos fructus sed tantum significare voluisse, nō posse fieri vt hominis boni fructus omnes vel plures & potiores sint mali, & contrà potius debere eius fructus omnes vel plures & potiores esse bonos. Et similiter non posse fieri, quin hominis mali omnes vel plures & potiores fructus sint mali, ita vt facile sit, saltem ex quibusdam fructibus eius, dignoscere falsitatem & malitiam eius, quantumuis eam multis conetur tegere virtutum speciebus. Hunc enim esse sensum à Domino intentum patet ex eo, quod posita similitudine arborum infert: Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Certum est enim eum non velle, ex singulis fructibus posse discerni pseudoprophetas, sicut ex singulis fructib⁹ potest cognosci arbor, cùm veniant in vestimētis ouium per quæ dignosci nō possunt. Deinde idē satis patet ex eo, quod Dominus explicans parabolam apud Lucam dicit: Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum, &c. Non enim vult quòd solùm profert bonum. Aliquādo enim ex eo quod adiacet ei malo, profert malū verùm cùm thesaurus cordis eius bonus sit, hoc est, plenum sit cor eius sapientia & virtute, fieri nō potest quin saltem potiores & plures eius sermones sint boni. Sic mal⁹ nō semper

semper profert mala ex malo thesauro cordis sui, sed aliquãdo ex adiacẽte sibi adhuc bono, aut ex thesauro scripturarum profert bona: fieri tamen non potest quin frequẽter è plenitudine deprauati cordis loquatur mala & peruersa quia vt in plurimum os loquitur ex abũdantia cordis. Bene ergo concludit Dominus: Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ex qua tamen sententia nõ cõsequitur, omnes eos doctores esse pseudoprophetas, quorum fructus sunt mali. Omnes enim quorũ fructus sũt mali, ex hoc ipso deprehenduntur esse mali, sed falsi doctores tunc esse deprehenduntur, cùm hi qui nouam aliquam doctrinam adferunt, iactant eam proficisci à spiritu, aut se afflatos spiritu eam proferre: doctrina tamen eorum & vita inuenitur veritati & virtuti esse cõtraria, ac proinde nõ profecta à spiritu sancto. Ex falsitate enim quæ inuenitur in eorum doctrina cum scripturis pugnante, deprehenduntur falsi doctores, & rursũ ex mala vita cognoscuntur nõ esse afflati spiritu, quemadmodum gloriantur. Non enim hic à Domino datur signũ ex quo dignoscí possunt omnes veri doctores, sed tantũ quo prophetæ possunt dignoscí veri sint an falsi, hoc, est, qui se venditant spiritu sancto afflatos, ex quo noua quædam & inuadita proferũt. Vnde hæc non pertinent ad eos prædicatores, qui nõ se tanquam spiritu sancto afflatos exibent, sed tantũ tanquam discipulos Ecclesiæ, ea docentes quæ lectione studiò & auditu ab Ecclesia didicerunt, qui an veri an falsi sint, non ex eorum vita deprehenditur, sed ex regula & doctrina Ecclesiastica. Cæterùm sunt quid illud quod dicitur de fructib⁹ per quos pseudoprophetæ sũt agnoscendi, intelligũt non de fructibus personæ & vitæ cuiusque, sed de fructibus doctrinæ, vt cũ Christus dicit: à fructibus eorum: intelligatur de fructibus eorũ non quatenus sunt homines, sed quatenus sunt doctores. Sicque facilior erit respõsio ad ea quæ hic obiicũtur, & generale erit signum quo omnium doctrina poterit dignoscí, & ex quo omnium hæreticorum doctrina, & maximè nostri seculi, facilè poterit confutari. Secundum quem intellectum pulchrè distinguitur inter fructus & folia, vt intelligatur Dominus dicere voluisse

se: Nolite attendere ad folia eorum, ad verborum probabilitatem, & ornatum, aut reliquam virtutum speciẽ quam ostentant, sed ad fructum qui ex doctrina ipsorũ consequitur: siquidem & arboris bonæ vel malæ distinctio non percipitur satis ex foliis, sed euidentissimè ex ipsis fructibus. Qui autem hunc indicant intellectum, similitudinem arboris bonæ & malæ applicant non ad voluntatem, aut hominem bonum vel malum, sed ad doctrinam malam aut bonam, hoc modo: Sicut nõ potest arbor mala bonos, nec bona malos fructus proferre: ita non potest esse doctrina mala, ex qua verè boni fructus tantùm procedũt: nec potest esse bona, ex qua mali fructus prodeant. Verùm hæc applicatio non conuenit ei quod sequitur: Omnis arbor quæ non facit fructũ bonum, excidetur: vt alia multa prætereantur. Proinde deberet applicatio fieri hoc modo: Sicuti arbor bona deprehenditur ex eo quòd fructus bonos profert, & cõtra mala ex eo, quòd malos faciat: sic verus propheta cognoscetur ex eo, quòd sua doctrina in auditoribus bonos fructus producit: falsus autem si suæ prædicatione malos fructus progignat. Nec videtur improbandus huiusmodi explicatio, nisi quòd illud quod subijcit Lucas de bono & malo homine, magis conuenire videtur superiori enarrationi. Iam ex illa enarratione etiam patet malè ex illo loco: Nõ potest arbor bona malos fructus facere, &c. & Manichæos intellexisse duas naturas, quarum altera bona esset, altera mala: & alios quosdam hæreticos, inter quos Iouinianus, hinc collegisse, hominem natum ex Deo nunquam posse peccare. Non enim per arborem bonam & malam, naturarum diuersitatem, sed voluntatum aut hominum diuersitatem significare voluit Dominus. Deinde sententia illa: non potest arbor, &c. debet intelligi, quamdiu permanet bona, non solùm vt applicari possit homini, sed etiam vt ad literam sit vera. Nam arbor bona aliquando per naturæ defectum fit mala, & sic profert malos fructus. Quoniam autem Dominus pro dignoscẽdis pseudoprophetis induxerat similitudinem arboris bonæ & malæ, obiter etiam adijcit eam sententiam qua prius vsus fuit Ioannes Baptista: Omnis arbor quæ non facit

cit

cit fructum bonum, &c. qua sententia simul consolari voluit, eos qui à malis arboribus diuexantur, & exterrere eos qui malis arboribus sunt similes. Notandum autem circa hanc sententiam Græca nō habere futurum, excidetur & mittetur, sed præsens, excidituir & mittitur, quemadmodū & suprà in verbis Ioannis Baptistæ. Quo magis iam manifestum sit quod prius dictum est. Dominum non metaphoricè per arborem significare homines, sed parabolicè, vt quod videmus fieri in arboribus, idem de hominibus intelligamus, vt sit hic sensus: Videtis vulgo fieri quotidie vt arbor quę non facit bonum fructum, excidatur è terra, ne frustra terram occupet, & in ignem mittatur: ita certò & hominibus fructuosis euenturum est, vt excisi è terra, mittantur in ignem inferni.

Non omnis qui dicit mihi Domine, &c.] Augustinus sic coniungit superioribus, vt quoniam dixit à fructibus suis cognosci pseudoprophetas, hic iam doceat iuter fructus per quos cognosci possunt, non esse censendū si innocent & prædicent nomen Christi. Pertinet enim & hoc ad vestimenta ouium, sub quo maximè decipere solent hæretici. Sed ex Luca magis apparet Dominum hæc dixisse de auditoribus, non autem de pseudoprophetis. Iam enim concluſurus sermonem, docet non satis esse credere in ipsum, & audire verba ipsius, sed ad salutem necessarium esse vt quis audita opere præster. Quid autem, inquit, vocatis me, Domine Domine, &c. Est autem hæc geminatio ex proprietate sermonis Hebraici, qui quod exaggerat, congeminatione auget: sicut in Psalmis frequenter hæc geminatio repetitur, affectus vehementiam significans, & esse huius interrogationis sensus: Quid ore subinde me compellatis Dominum, cùm non faciatis quæ præcipio, Si enim Dominum vetè agnoscitis, obtemperate iussis meis, quemadmodum debetur à seruis dominis suis. Si verò non agnoscitis, quid sibi vult in me Domini vocabulum, Nihil sanè profuerit hnorifica compellatio, si desit debita obedientia, imò potius condemnabit, cùm arguat aut hypocritam, aut infidelem seruum qui ore Dominum confiteatur, factis autem neget. Porrò quod apud Matthæum dicitur: qui facit voluntatem patris mei: Lucas vero dicit: & non facitis quæ dico: manifestè significat vnam eandemque esse patris & filij voluntatem, & patris verba esse quæ filius dicit, Voluntas autem patris quā facere debet ingressurus regnum cœlorum, in duobus cōsistit, nempe in fide filij Dei, & dilectione, quæ non potest esse sine obseruatione externa mandatorum Dei. Quæ duo coniunxit Ioannes: Et hoc est, inquit, mandatū eius, vt credamus in nomine filij eius Iesu Christi, & vt diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.

DOMINICA VII. POST TRINITAT.

EVANGELIVM.

IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Homo quidam erat diues, qui habebat villicū: & hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona illius. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: iam enim nō poteris amplius villicare. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationē? Fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, vt cùm amotus à villicatione fuero, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam & sede citò & scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu vero quantū debes qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe literas tuas, & scribe octoginta. Et laudauit dominus villicum iniquitatis quia prudenter fecisset: quia filij huius seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula: Luc. 16.

NOn ineptè veteres, auditores in Christo dilecti, parabolam œconomi hoc autumni tempore, recitari statuerunt, vt esset non modò colonis, sed & nobis omnibus pietatis exemplū: quò admonerēmur, nos dispensatores duntaxat, non dominos esse rerum, quas exagris, & vndecunque percipimus, in hoc

creditarum, vt fideli dispensatione temporalium, bona lucraremur æterna. Hodiernum itaque Euãgelium docet, neminem fidere debere, neq; in opibus, honoribus, delitiis, neque in potentia, magistratu, aut vllis fortunis, propterea quod paruo tempore durẽt, & quantumuis emineant, sint tamen momentanea, atque caduca. Deinde, vt vnusquisq; studeat, ita vti rebus in hoc mũdo cõsessis, siue sint fortunæ, aut naturæ bona, aut quicquid possidet donorum, gratiarúmque quò non solùm in hac vita ex eis emolumenta percipiant corpora, verũ multò magis prosint animabus in vita futura. Vtque necesse non sit, dum præsentabimur ad tribunal æquissimi iudicis, metuere expostulationem iniquæ vsurpationis rum creditarum. Discimus etiam hodierna exhortatione, vnum ex præcipuis Euangelij paradoxis, & quod cum vsu, & opinione hominũ huius seculi, è diametro pugnat. Nempe hoc, quàm optimè sibi consulere ac contra instantem necessitatem prospicere, qui beneficentia sua pauperes quàmplurimos sibi reddant obnoxios, habeantq; amicos. Summam enim prudentiam mundus iudicat, si quis quoquo pacto fauorem, gratiam, & amicitiam apud magnates, & opulentos valeat obtinere. Quod si diuitum contingat ipsos adipisci fauorem aut gratiam, pape, quàm sibi placent, quomodo plaudunt, vt nunc demum se viuere credant. At inopes, flocci faciunt talium fauorem & amicitiam, quoniam opibus & honoribus destituuntur, contemnunt. Verùm multò aliter docet CHRISTVS, & probat, maiorem pauperum fore vsum in necessitate suprema, quàm diuitum aut potentium. Tunc temporis enim & ipsi futuri paupertimi, nihil quicquam à diuitibus vel diuites à suis fucatis amicis auxilij percipiẽt. Quod exemplum epulonis confirmat, qui plurimos habuit amicos, splendore ac magnificentia diuitiarum sibi comparatos, cæterùm, in extrema necessitate constitutus, nullum omnino ex eis patrocinium inuenit quos nec appellare ausus fuit, ad solum Lazarum pauperem confugit. Sed de his in Euangelij enarratione copiosius.

Homo

HOmo quidam erat diues.] Postquam tribus parabolis decimosexto capite Lucæ Dominus confutauit calumniam Pharisæorum & obmurmurationem, quartam iam adiecit de dispensatore iniquo ad redarguendam præsentiam Pharisæorum auaritiam. Nam horum gratia & occasione hanc etiam parabolam esse dictam patet satis ex sequentibus, cùm dicuntur hæc omnia auari Pharisæi audisse, & ob id derisisse Dominum. Cùm autem, superiores tres parabolas dixerit ad Pharisæos, nunc ad Discipulos sermonem conuenit quamuis Pharisæorum notare volens auaritiam. Sciebat enim huius doctrinæ nõ esse capaces, nec eam approbaturos Pharisæos, vnde Discipulos suos alloquitur, volens eos à morbo illo Pharisæorum curare & præseruare, cuius notandi & de eo differẽdi occasionem præbuerunt Pharisæi sua præsentia & obmurmuratione. Porrò priusquam parabolæ huius scopus & mysticus sensus explicetur, quædam circa literam sunt annotanda, Et primùm quidem, quod interpres non satis rectè hic posuit nomen villici & villicationis, & verbum, villicare. Pro villicus enim est Græcis dictio Latinis auribus nõ insolens οἰκονόμος œconomus, id est, dispensator, quomodo vertendũ magis fuisse docet Diuus Hieronymus quæstione 6. ad Algasiam, vbi hãc parabolam tractat, & docet differentiam inter villicum & œconomum vel dispensatorem. Villicus, inquit, propriè villæ gubernanator est, vnde à villa villicus nomen accepit: οἰκονόμος autẽ tam pecuniæ quàm frugũ, & omnium quæ dominus possidet dispensator est. Vnde & οἰκονομικὸς Xenophontis pulcherrimus liber est: qui nõ gubernationem villæ, sed dispensationem vniuersæ domus (Tullio interpretante) significat. Hæc ille qui in sequẽtibus pro villicationis, legit dispensationis: & pro villicare, dispensatore. Secundò notãdum, quòd cùm dicitur, cẽtum cados olei, pro cados, Græcè est batos, quo modo & Diuus Hieronym' legit loco prædicto. Nec est idem cadus quod batus, Nam cadus, idem est quod metreta, & est dictio Græca, sicut & metreta, continetque sextarios sexaginta hoc est, decem congios. Batus autem continet sextarios septuagiata duos, vt testatur Iosephus

Quid Batus.

Quid eo rus. Iosephus lib.antiquit.8. & est Hebraica vox, sicut & dictio quæ sequitur.Corus,Hebræi enim dicunt Bath, vnde batus,Cor,vnde Cor°,quod & Hhomer illis dicitur:Batum tamen & cadum siue metretam pro eadem mensura accipisse diuum Hieronymum patet ex eo,quòd 2.Paralip.2,pro Bath vertit metretam, cùm legimus:Dabo in cibaria tritici coros viginti milia,& hordei coros totidem; & vini viginti milia metretas, oleique sata viginti milia.Hic enim Hebræis pro metretis & pro satis est Bath.Idē Hieronymus libro decimoquarto Commētin Ezechielis cap. 45. Decima, inquit,pars cori in speciebus liquidis vocatur batus siue cadus. Sic enim legendum puto, cùm libri habeant vadus pro cadus. Hinc non mirum quod hic pro batos legamus cados.Vt autē patet ex Ezech.cap.45.Batus mensura erat liquidorum, æqualis Ephi mensuræ aridorum, quarū vtraque decima fuit pars Cori. Vnde constat villicum istum iniquitatis plus remisisse ei qui centum coros debebat,quàm ei qui cētum Batos,quāuis huic remiserit quinquaginta,illi verò tātùm viginti.Nam viginti cori cōtinent 200.batos:sicut:100 cori batos 1000 Corus autē,vt scribit Iosephus lib.15.antiquit,cap.18.continet modia Attica decem, quamquā Græci eo loco non habeant modia,sed medimnos.At Budæus ostendit medimnum valere sex modios.Illud mirum,quòd idem Iosephus libr.3 antiquitatum circa finem scribit corum valere quadraginta & vnum medimnos Atticos.Bati capacitas(cui cognita, omnium mensuraram Hebraicarum haberetur notitia)haberi forè posset geometrica & arithmetica arte ex descriptione matris ænei.3.Reg.7.& 2.Paralip. 4.quod dicitur 2.Reg.7.continuisse duo milia bathos, & 2. Paralip.4. tria milia metretas,vbi ꝑ metretas Hebræis est bathos quod tamen mirum,quomodo concordat cū eo quod dicitur in 2.Regum. Sed de mēsuris hæc pro præsenti loco sufficiūt.Cæterum quod dispensator iste dicitur dixisse:Accipe cautionem tuam,vt est vtrobique τὸν γράμμα vel literas tuas,aut scriptum tuū,& scribe hoc vel illud:sic videtur intelligēdum, vt ipse tradiderit eis in manus eorum, syngraphas obligatorias olim

olim ab eis scriptas,eáque rupta, aliam iusserit ab eis scribi,in qua tātùm fatērētur se debere 50 vel 80.Quo autē sequitur:Et *laudauit dominꝰ villicū iniquitatis quia prudenter fecisset*:quidam putant non verba esse Christi sed Euangelistæ interrūpentis Christi sermonē, vt per dictionem,dominus,non intelligatur diues ille,de quo est parabola,sed ipse Christus,eò quòd nō videatur verisimile quòd dominus dispēsatoris fraudatus laudasset illum.Vnde in Parap.sic habet Erasmus: Ea fraus si comperta fuisset illi diuiti,non fuisset impunè œconomo,sed tamen Dominus Iesus ad exēplum beneficētiæ laudauit apud Discipulos suos fraudulentū illius sed tamen prudens consilium,& ad huius imitationem adhortat° est suos.Verū magis apparet hęc [illegible] esse verba Saluatoris, eò, quòd statim sequatur ab eo dictū Et ego dico vobis.Itaque,magis intelligendum,Saluatorem quòd sic proposito suo conueniret, fingere dominum illius dispensatoris veluti liberalem, delectatum ingenio illius,laudasseq; eum nō quòd fraudem cōmisisset, sed quòd prudēter cessisset, sibi prospiciens in futurum,quemadmodum cum audimus ab aliquo patratum facinus sed ingeniosè,etsi damnemus factū laudamus tamē ingenium,dolemúsque eum aut alios non in aliis rebus melioribus tale ingenium exercere, quod & hic Saluator quasi ægrè ferens sibiicit *quia filij huius seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt*] Vbi illud,in generatione sua,perinde est, ac si vt apertius verti posset,diceretur,in genere suo,& additum est ad significandum quòd non absolutè sunt prudentiores filiis lucis,sed in genere suo,hoc est,eo modo quo tales dicūtur prudētes.Sensus ergo est,ꝙ filij huius seculi suo modo prudētiores sunt callidiores ad prospiciendum sibi de iis quæ ad præsens seculum pertinent, quàm filij lucis ad curandum ea quæ ad vitam illam pertinent quàm ipsi spectant Aut illud,in generatione sua,idem est quod,inter suos,vt intelligatur Dominus significare duas generationes,vnam filiorum huius seculi,& alteram filiorum lucis,& illos istis esse prudentiores in sua generatione,hoc est,inter suos, & in iis quæ ad eos pertinēr,& quæ ipsi gerunt & curant. Ca-

ietanus,intelligit tantùm significari à Domino, quòd filij huius seculi sint in in suis rebus prudẽtiores,quàm in eisdem rebus sint filij lucis,qui mundana non curãt. Verùm alter sensus,dictus, quo intelligitur significari illos in suis reb⁹ & suo modo esse prudẽtiores filiis lucis in suis rebus plenior est & proposito Domini magis cõueniens,nõ quòd illorum prudentia semper vincat. horum prudentiam,sed quod vt in plurimum sic fiat Cæterũ orationes illæ:filij huius seculi,filij lucis:phrases sunt Hebraicæ,quibus significatur homines addicti huic seculo,& qui iam lucem Euangelicam amplexi sunt. Benè autem opponit filios lucis filiis huius seculi significans seculum hoc tenebrosum esse, & filios eius esse filios tenebrarum, quod ad exaggerationem & reprehensionem nostræ oscitantię facit, quod eis qui luce donati sunt maior conueniebat prudentia, quàm his qui tenebrarum sunt filij. His præmissis, vt ad mysticam parabolæ huius tractationem & explicationem intentionis DOMINI deueniamus, id primò certum sit,quòd villicus iste iniquitatis,qui à Domino nobis ad imitandum proponitur,nõ quoad omnia quæ de ipso narrantur imitãdus proponitur. Non enim aut domino nostro faciẽda est aliqua fraus,aut ipsa fraude & alienis eleemosynæ erogandæ,neque eos à quib⁹ recipi volumus in æterna taberuacula, tanquã debitores Domini nostri fas est intelligere,cùm iusti & sancti potissimum significẽtur,hoc loco,qui eos introducant in æterna tabernacula, à quibus necessitates eorũ in præsenti vita sunt subleuatæ. Proinde in hac maximè parabola summa duntaxat spectanda est,nec singula sic sunt persequẽda,vt in quibuslibet partibus similitudinem propriã quæramus,& singula villici nobis accommodemus,quemadmodum nec in reliquis parabolis id esse faciendum,suprà sæpe dictum est. Quę autẽ sit huj⁹ parabolæ summa,ex his quæ Domin⁹ parabolæ subiecit facilè licet colligere,cùm explicãs quorsum hæc dicta sit adiicit. Et ego dico vobis,facite vobis,&c. quãquam hic nõ cuncta explicet in parabola spectãda, sed tantùm id quod est præcipuum,reliqua nostræ intelligentiæ relinquẽs. Summa ergo parabolę in tribus cõsistit.

sistit. Primùm, vt intelligamus nos omnes bonorũ tẽporalium non esse dominos, sed tantùm dispensatores ac ob id exactam à nobis rationem poscendam aliquãdo, vt summa cum solicitudine curandũ nobis sit quo illa ad voluntatem Domini dispensemus. Secundò, ad hoc tendit parabola,idq; præcipuè,vt sicut dispensator ille cùm intelligeret se sua priuandum dispensatione, solicitus fuit vt futuræ vitæ prospiceret,nec aliud præsentius reperit, quàm vt bonis domini sui in suum commodũ vtens quamdiu posset, pararet sibi amicos ex bonis domini sui,qui ipsum suo munere destitutum alerent:ita & nos cogitemus aliquãdo nos à temporalibus horũ bonorũ dispensatione amouẽdos,ac o[illegible] solliciti simus qua ratione nobis in æterna vita, vbi non erit horum in manu nostra dispensatio, prospiciamus, sciamúsq; illam demum prospiciendi nobis rationem esse commodissimam,si ex acceptis diuinitus facultatibus benefaciamus liberaliter pauperibus, per quos in æterna simus recipiẽdi tabernacula,cùm defuncti fuerimus dispensationis nostræ officio. Tertiò, ad hoc tẽdit parabola, vt intelligamus quòd si dominus iniqui dispensatoris passus dispendia,laudat dispẽsatoris prudentiam,quòd aduersus dominum quidem fraudulenter,sed pro se prudẽter egerit:multo magis à Domino nostro,qui & ditissimus est,& nullum damnum potest sustinere & cuius præceptum est vt pauperibus benefaciamus,laudandi sumus,si bonis eius nostræ dispensationi commissis ab ipso,ita in nostrum commodũ vtamur,vt per ea nobis paremus locum in æternis mãsionibus. His tribus in parabola obseruatis, cætera relinquenda sunt tãquam pro exempli commoda narratione tantùm dicta,vt non sit inquirendum quid significatum sit per hoc quod villicus dixit: Fodere non valeo, mendicare erubesco:& quod vni remisit 50. batos olei, alteri verò 20. coros tritici. Nõ enim eadẽ est ratio eorum quos ex bonis domini sui dispẽsator iste sibi amicos parauit,& eorũ quos ex datis diuitiis nobis parare debemus amicos. Illorum enim amicitia parabatur per hoc quod eis tãquam domini debitoribus debitum remittebatur ex parte:horum verò paratur per hoc quod

eis tanquam amicis domini tribuuntur & cõmunicantur nobis concessa. Accedit ad hæc quòd parabola hæc ex earũ parabolarum est genere, in quibus comparatio sumitur ex dissimilitudine, quemadmodum docet D. Augustinus lib. 2. quæst. Euang. cap. 34. & 45. vt ob id minus sit mirandum, si nõ omnia quæ in parabola dicuntur nobis, mysticè applicare possint, quemadmodum ferè possunt in alijs parabolis. Quanquam enim nobis ex parte imitandus proponatur dispensator iniquus, in multis tamen non est imitandus, quodque in eo nobis imitandum proponitur, magis significatur ex dissimilitudine, argumento à minori affirmatiuè, quàm argumẽto simili, Quod enim significare voluit Dominus istud est. Si dispensator ille pro temporali vita adeo fuit solicitus, & tanta astutia vius est vt futuræ inopiæ occurreret, multo magis vos maiori præditos prudentia, de æterna vita vobis conuenit simili ratione prouidere. Et si ille laudatus est à domino iniuria affecto, quod prudenter sibi prospexisset, multò magis vos laudandi ab eo sitis & non patitur damnũ, & hoc vos facere præcepit. Diuus Hieron. loco superius notato adducit Theophilum Antiochenæ Ecclesiæ sextum post Petrũ Episcopum, quem dicit etiam quatuor Euangelistarum in vnum opus dicta compegisse, atque in suis Commẽtarijs parabolam hanc intellexisse de Paulo Apostolo, vt is sit per villicum iniquitatis significatus, cui & attribuit singula paraboIæ, sed certum est Episcopum illum tantùm per accommodationem parabolam illam Paulo applicuisse, nec existimasse hunc fuisse sensum à Domino hic intentum. Hinc tamen obseruandum quam antiquæ sint, & ex Apostolorum temporibus deriuatæ tractationes allegatoricę etiam accommodatitię tãtum, & docendi tantùm gratia excogitatæ, quanquam idem Hieronymus in libro de scriptoribus Ecclesiæ, dũ meminit huius Theophili, dubitet num Commentarij in Euangelium qui eius nomine tunc legebantur, fuerint illius. Restat excutienda vltima sententia illa quæ parabolæ conclusio est.

Et ego dico vobis: Facite vobis amicos de mammona] Mãmona iniquitatis, Hebraica phrasi posita est pro mammona iniquo. vt postea dicitur, quemadmodum suprà villicus iniquitatis pro villico iniquo. Porrò mammona, non Hebræa, sed Syriaca vox, teste Hieronymo, diuitias significat. Ideo autem Hieronymus diuitias mammona dicit vocari, quòd de iniquitate collectæ sunt, vnde apparet eum intellexisse hanc dictionem esse compositam ex præpositione Min, id est, à & Nona à verbo Iana, quod est violentiam inferre, & aliena diripere. Id si verũ est, colligere hinc licet quare Euangelistæ hanc dictionẽ seruauerint, & rursum quare additũ sit iniquitatis, nimirũ explicandi vocabuli gratia. Est tamen & alia ratio quare Dominus non simpliciter dixerit de mammona, sed de mammona iniquo, nempe propter similitudinem maiorem inuestigandam inter nos & iniquum villicum quem imitandum proposuit, vt scilicet sicut ille de iniquis diuitiis sibi parauit amicos, & nos de iniquo mãmona faciamus. Cauẽdum tamen, ne quemadmodum Augustino teste aliqui hinc intellexerunt, etiam nos intelligamus. Dominum nos admonere vt aliena diripientes, ea in elee[illegible]synas erogemus, sicque nobis paremus apud Deum amicos. Diuitias enim iniquas, vnde nos vult parare amicos nõ intellexit quas ab aliis per nefas accipiamus, sed quascunque etiam iusto titulo possidemus, & quæ vel nostra industria, vel ex hæreditate nobis obuenerunt. Earum enim quas iniustè habemus nõ sumus à Deo cõstituti dispensatores, quia nec à Deo eas accipimus, sed eas tãtũ à Deo accipimus quas iuste possidemus, quas tamen Dominus hic iniquũ vocat mammona, eo quòd, vt inquit Hieronymus quæstione prima ad Hedibiam omnes diuitiæ de iniquitate descendunt, & nisi alter perdiderit, alter non potest inuenire. Vnde, inquit, & illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima: Diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Cui consonat illud Menãdri: Nonquam vir æquus, diues euasit cito. Atque hæc videri potest singularis ratio, ob quã diuitias Dominus dixerit iniustas, nempe quia ab iniquitate descendunt & parantur, si nõ alia, saltem ea iniquitate, quo nimio studio & diligentia congregantur, aut qua illicite seruãtur, non erogãdo ea pauperibus quemadmodum oportebat,

tebat, quandoque vero & frequenter ea iniquitate, quæ nõ satis iustis modis ab alijs accepta sibi vsurpat & appropriat aliquis Possunt tamẽ & aliter diuitiæ dici iniquæ aut mammona iniquitatis, nimirum quia sunt materies omnis iniustitiæ & iniquitatis, aut secundum Augustinum, quia non sunt veræ diuitiæ, quæcunque huius seculi diuitiæ, sed falsæ, & iniquè sibi nomen illud vendicantes, vnde & postea iniquo mammonæ opponitur id quod verum est Ex qua verborũ Christi explicatione huic parabolæ subiecta, videtur hæc potissima esse ratio, cur hic mammona dicat iniquitatis. Cæterum amici quos de mammona iniquitatis Dominus nos vult parare, vt nos recipiãt in æterna tabernacula cùm defecerimus, hoc est, cùm ex hoc mũdo emigrare cogemur sunt potissimum sancti & fideles pauperes, eique maximè, qui omnia sua propter Dominum reliquerunt, aut perdiderunt, pleni diuitijs spiritualibus, quales erant illi in Ierusalem pauperes, pro quibus collectas fieri adhortatur in epistolis ad Corinth. Paulus, quas ipse per seipsum Ierusalem detulit. Huiusmodi enim proprie cõuenit illud: recipiant vos in æterna tabernacula: nõ autem impijs & infidelibus pauperibus, qui ipsi non sunt ingressuri ea tabernacula. Dicũtur autem illi recepturi suos benefactores in cœlum, simpliciter quidem, quia propter illos Christus eorum benefactores recepturus est, qui sibi imputat factum quod illis impenditur, iuxta illud: Quod vni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. &: Quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, non perdet mercedem suam. Subtiliori verò ratione, tum quia simul cum Christo regnabunt & dominabuntur populis, ac iudicabunt nationes, & proinde simul etiam cum eo recipiẽt benefactores suos in cœlum: tum quia illis communicãt sua merita & diuitias spirituales, qui ipsis sua tẽporalia impertiũtur, iuxta illud Pauli: In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundãtia vestræ inopiæ sit supplementum. Quanquam autem hac sententia Dominus videntur maxime adhortatos diuites ad elemosynas erogandas pauperibus sanctis & iustis, quibus maximè tãquam

1. Cor. 16.

Mat. 25.

2. Cor. 8.

quam domesticis fidei & Dei amicis elemosynæ sunt faciẽdæ, tamen quoniam etiam omnibus pauperibus, quanquam inimicis & hostibus fidei, est benefaciendũ, potest etiam hæc sententia generaliter accipi, vt sit adhortatoria ad faciendam eleemosynam quibuslibet pauperibus, qui qualescunque sint, & quanquam non ipsimet ingrediantur æternas mansiones, dicũtur rectè benefactores suos recipere in cœlum, ob rationem prius dictam, quia propter beneficia eis impensa Christus illos recipit in cœlum. Porrò D. Ambrosius significat se per amicos qui nos recipiant in cœlum, intelligere ipsos Angelos & sanctos qui regnant in cœlo cũ Christo quos nobis amicos facimus, dum quibuslibet pauperibus affectu misericordiæ benefacimus. Sic enim scribit: Facite vobis amicos de iniquo mãmona, vt largiẽdo pauperibus, Angelorum cæterorũmq; sanctorum gratiam comparemus. Expendenda est autem presse vis & pondus huius sententiæ Dominicæ, qua nulla alia efficacior esse potest ad eleemosynæ commendationẽ, ad quã homines sunt tardissimi, cùm nihil sit magis ad salutẽ necessarium & vtile. Cùm enim per parabolam insinuetur nos omnes bonorum temporalium tantùm esse dispensatores, & dispẽsatio in bonum & commodum domini sit facienda: hac tamen sententia demonstratur, quomodo in maximum nostrum bonum commissorũ nobis bonorum dispensationem facere possumus, cum gratia veri domini. Deinde cùm diuitias dicat esse mãmona iniquitatis, tamen ostendit Dominus quomodo iniustitiam illam nobis vertere possumus in iustitiam, cùmq; diuitijs homines ferè quærant sibi facere quæstũ, & lucrum augere, ostendit qua ratione sibi per eas maximè prospicere possint, nõ in aliquot annos, sed in perpetuum, quomodo scilicet verè cẽlus augeatur, & redditus parentur perpetui Postremùm, cùm diuites ferè velint à pauperibus multum rogari, & velut benefactores ab eis haberi, Dominus contrà significat pauperes potius é diuitibus quærendos & ambiendos, ac necessitatis beneficia eis obtrudẽda, vt eos apud Deum habeãt patronos & intercessores. Vnde D. Gregorius li. 21. Moralium cap. 14. Multum, inquit, ad edomandam dantis superbiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

petbiam valet,si cùm terrena tribuit,verba solicitè cœlestis magistri pẽset qui ait:Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis,vt cùm defeceritis,recipiãt vos in æterna tabernacula.Si enim eorũ amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes proculdubio pensare debemus,quia patronis potius munera offerimus, quàm egenis dona largimur.Qui itaque nunc temporale subsidium pauperi tribuit,ab eo postmodum perpetua recepturus,vt ita dicam,quasi ad frugem terram excollit, quæ quod accepit,vbertius reddit.

DOMINICA X. POST TRINIT.

EVANGELIVM

IN illo tẽpore Cùm appropinquaret Iesus Hierusalem.videns ciuitatẽ fleuit super illam dicens: Quia si cognouisses & tu,& quidem in hac die tua,quæ ad pacem tibi. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te & circũdabũt te inimici tui vallo,& circũdabũt te,& coangustabũt te vndique,& ad terrã prosternẽt te,& filios tuos, qui in te sunt. Et nõ relinquent in te lapidẽ,super lapidẽ, eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Et ingressus in templũ,cæpit eiicere vendentes & ementes, dicens illis: Scriptũ est,quia domus mea domus orationis est,vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat quotidie docens in templo.

Matth.7

SVperiori dominica.Christus adhortabatur alumnos suos ad spiritualem sagacitatem prudentiámque rerum futurarum,exemplo dispensatoris iniqui; vtdecet vt maturè dũ adhuc superstites essent,ex iis,quę suapte natura interdicere necesse est,quálsque volentes, nolẽtes,relinquere cogerentur, reponerẽt in sinu pauperum,quod in futuro secuto dum egebũt possent repetere.Ideirco per anthithesin quasi in hoc Euangelio dispendia demonstrantur,quæ vsu venient iis,qui insãti,ne dicam exæcati,rerum præsentium affluentia,fœlicitatéque terrena,nihil de futuris cogitant , nec authorem suæ fœlicitatis agnoscunt: vt intelligeremus, quantopere succenseat,persequatur & vindicet Dominus

hus hęc duo cõtẽptum gratiæ suæ,& abusum donorũ suorũ,hoc est,dum oblatã gratiã fastidimus,aut susceptam,conam inamus. Ob primum sequutum est vtbis excidium,ob secundum verò Reipublicæ & religionis illius extrema deletio,quorum alterum in fletu , alterum in electione vendentium & ementium è templo figuratur. Quæ nos audientes & completa cernentes merito horrore concutiemur , piáque mente precabimur,vt spiritualem nostram Hierusalem,Ecclesiam dico Catholicã,Christus misericorditer velit tueri,ne simili vnquam euertatur excidio.Hoc fine nobis ista recitantur,tales à nobis meditationes & preces,hæc audita requirunt:quemadmodum ex Euangelica historia latius percepturi sumus.

ET vt appropinquauit videns ciuitatem, fleuit super illã dicens &c.] Duo circa Domini fletum sunt ob seruanda.Primùm , quàm Dominus nihili fecerit mundanam illam gloriã & honorificas populi acclamationes,cùm inter eas etiam flere libuerit. Deindè , quanta charitate ciuitatẽ ingratã,& se persequatẽm prosecutus fuerit,cùm inter tã faustas populi aggratulationes recogitãs mala ciuitati nobilissimæ & florẽtissimæ ob ipsius cæcitatẽ obuentura,adeo est misericordia commotus,vt etiam lachrymas profuderit, non super se occidendũ à Hierosolymitanis,sed super illam id est,propter illam & filius exitium.Adimpletum est sãne nunc in Christo illud Psalmi : Si oblitus fuero tui Hierusalem , oblitioni detur dextera mea.Si nõ proposuero Hierusalẽ, in principio lætitiæ meæ. Cæterùm quod Dominus dixisse dicitur:Quia si cognouisses & tu,& quidem in hac die tua quæ ad pacẽ tibi, &c,admodum est obscurum,& ob id variè à diuersis est enarratum,Pro intelligentia autem eius assequenda,imprimis sciendum coniunctionem, quia, hic sicut & alias frequẽter: quod ad sensum attinet,otiosam esse, additamque ex phrasi Græca qua ἐν, id est,quia vel quòd,præmittitur sententię,quæ ab aliquo recitatur esse dicta,vt sit particula narratiua.Quod sequitur:Si cognouisses & tu.Diuus Gregorius,& post eũ Nicolaus, &,alij

Psal.136

& alij plerique distinctionem perfectam hic facientes intelligunt. vt si sensus: Si cognouisses mala tibi imminentia quemadmodum ego cognoui, etiam tu fleres, quemadmodum ego Quo verò subditur: Et quidem in hac die tua quæ ad pacē tibi: Nicolaus sic intellexisse videtur: Fleres vtiq; etiā in hac tua die quæ est tibi ad pacem, hoc est, in hoc tempore in quo Deo permittente prospere & fœliciter viuis. Verùm relatiuum quæ, non potest referri ad diem, quia ex Græcis constat esse pluralis numeri, vt subaudiendum sit verbum plurale, quia Græcis est τὰ πρὸς εἰρήνην σου, id est, ea quæ ad pacē tuā sūt vel pertinent. Proinde rectius D. Gregorius intelligit sensum esse: Et quidem in hac die tua, habes ea quæ ad pacē tuam pertinent, hoc est, in labili hoc tempore quod tibi non diuino honori impendis, ttadiste carnis, voluptatibus, ac bonis præsentibus ad fœlicitatem ter, renam abuteris. Cuius iam intellig itreddi rationem, cùm subditur: Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis Si enim, inquit, cordis eius oculis mala quæ immi nebant, abscondita non essent, læta in præsentibus prosperis non fuisset. At si hunc sensum Dominus significare voluisset, dicendum fuerat: & quidem in hac die tua, habes ea quæ ad pacem tuam pertinēt, quia abscōdita sunt nunc mala tua ab oculis tuis. Iam verò nō dicitur: quia absondita: sed, Nunc autem abscōdita sunt: quæ aduersatiua non conuenit intelligentiæ prædictæ. Sciendum ergo quòd ea pars: quæ ad pacem tibi: referenda est ad verbū, cognouisses, vt fit sensus, Si cognouisses etiam tu ea quæ ad pacem tuam faciunt. Et quoniam adhuc oratio pendere videtur, eò quòd alterum verbum desit quod requirit coniunctio, si, intelligunt quidam sermonem esse defectiuum, quomodo flentes solent verba abrūpere præ affect' magnitudine. Et Erasmus quidem subintelligendum pro sententiæ perfectione putat verbum, curares, vt sit sensus iste: Si cognouisses etiam tu ea quæ ad pacem tuam faciunt, curares ea amplecti vt quæreres ea. Euthymius verò subaudit, nequaquam perires. Simili modo citatur hic locus in epistola Hesychij ad Augustinum, quæ est epistola 79 in dib. epistolarum Augustini, & repetitur ab Augustino epistola

epistola sequēte. Sic enim illis locis legitur Et tu si cognouisses tempus visitationis tuæ forsitā permansisses, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Rectius tamen & simplicius accipietur coniūctio, si, hic posita optatiuè, pro vtinam, quemadmodum sæpe accipitur. Sic enim nō erit opus huiusmodi subauditione, eritq; sensus ploranti accommodus iste: O si vel o vtinam etiam tu nosses quæ faciāt tibi ad pacē. Sic sanè & Theophylactus intellexisse videtur & Diuus Hieronymus, qui in Isaiam diuersis locis, & in Micheæ caput 2. citans hunc locum, nihil adiicit quo sententiam compleat, quemadmodum nec Theophylactus. Secundum hunc sensum aduersatiua quæ sequitur, sic subiicienda, Optarem sanè te etiam nosse quę pertinent ad pacē tuā, ait, quod vehementer est deplorandum, hæc sunt abscondita ab oculis tuis, quæ te optarim cognoscere. Verum etiā secundum hunc intellectum, quemadmodum & secundū eorum intelligentiam qui subaudiunt, curares, vel nequaquam perires, aut aliud simile, non videtur quomodo quod sequitur cohæreat: Quia venient dies in te, &c. Non enim apparet, ad quid referri possit causalis coniunctio, quia, Theophylactus videtur coniunxisse hanc partem cum parte præcedenti: nunc autem abscondita sunt vt vertendum potius sit: Nunc autem abscondita est ab oculis tuis, istud nempe: quod venient dies in te, &c. Nam etiam sic Græca verti possent, quod verbū ἔκρυβη singularis numeri possit referri vel ad illud τὰ πρὸς εἰρήνην σου: vel ad id quod sequitur: Quod venient dies in te, &c. At aduersatiua illa locutio, Nunc autē exigit vt verbum ἔκρυβη referatur ad τὰ πρὸς εἰρήνην σου, vt significetur eadē esse incognita, quæ ius optabātur esse cognita. Dicendum itaq; per hoc quod subditur: Quia venient dies in te: reddi à Domino causam sui cum fletu & ploratu desiderij, vt totius sententiæ hic sit sensus: O vtinam etiam tu quemadmadum ego, aut potius quemadmodū hæc turba, cognoscerets ea q̄ faciūt ad pacē tuam hoc est, ea quæ ad tuam faciunt fœlicitatem. Eaque saltē vel iā cognoscerets in isto die tuo, cū te ad cognoscendum hæc tot ac tanta inuitant. Nunc enim dū mehabes regnum cœlorum tibi annunciantem, offerūtur

tibi

tibi ea quæ ad pacem tuam & salutem pertinẽt, id quod ex vita & doctrina mea, totque præclaris virtutibus prídem debueras agnoscere, & vel nunc tandem ex hoc meo secundum Prophetarum vaticinium aduentu. At nunc quod summè est deplorandũ, non agnoscis quæ te agnoscere oportebat, sed abscõdita sũt ista ab oculis tuis, id est, tibi sũt incognita, iustoque Dei iudicio tibi velata. Quod ob id flebilibus vocibus & gemitu deplo ro, quia venient dies in te id est, super te vel contra te. &c. Hic fẽsus quã se probe habeat, facilè aduerter qui animo cõceperit quibus affectibus pectus Domini hęc dicentis exæstuaueris Sed & D. Hieronymum sic intelexisse hunc locum, satis licet colligere ex modo quo hunc locum frequenter citat. Nam in Isaiæ cap. 5. velut lamẽtationis verba Christus protulerit, sic citat: Si scires & quę ad pacem tibi, quia venient dies super te, & circundabũt tibi inimici tui munitiones, & vallabũt te, prosternent te & filios tuos. Similiter in cap. 29. & ca. 59. omittens illam partem: Nunc autem abscõdita sunt ab oculis tuis. Ex superiori autẽ enarratione patet per pacem hic intelligẽdam salutem, prosperitatem, & omnium rerũ fœlicitatem. Hoc enim Hebraica phrasi nomine pacis significari, supra aliquando est annotatũ. Ea autem quæ ad pacẽ Hierusalẽ pertinebant, erant fides in Christum & prædicationis eius susceptio, quã si suscepissent Iudæi, omnibus bonis & spiritualibus & temporalibus gauisi fuissent, pacem habentes cum Deo & cum hominibus. Non enim si in Christum credidissent à Romanis deuastati fuissẽt, quos sibi metuebãt hostes si Iesum in suum regem susceperent. Dicit autem in hac die tua: siue significans particulariter illũ diẽ quo venit ad Hierusalem tanquam rex asello insidens, quod Zacharias Phropheta peculiariter filiæ Sion dederat in signum agnitionis Messiæ: siue potius totum illud tempus significans, quo cum Iudæis conuersabatur prædicando, & miracula operãdo. Illud enim tẽpus dicitur dies Hierusalẽ, hoc est, tempus quo à Deo visitabatur & quo illi salutis suę occasiones variæ offerebãtur, quę postea non ita erant illi offerẽdæ, quando illis relectis, grãtia Euangelica ad gentes erat migratura, quando tu

tura erat dies salutis gentiũ, & implẽdũ in Iudęis quod Dominus eis prædixit: Quæretis me, & non inuenietis. Ex superiori item enarratione patet, vertendum potius fuisse, cognoscetes quàm cognouisses, sicut & Hieronymus semper legit scites. Nam quod Græce est γνῶτε, cùm sit aoristus, etiam verti potest, cognoscetes vel scites.

Quia venient dies in te. & circundabũt te inimici tui vallo.] Hebraica phrasi dictum est: Venient dies, & circundabũt te inimici: tui pro eo quod est Venient dies in quibus circundabunt te inimici tui, &cæt. Qualis locutio frequens est apud Prophetas, vt Ierẽ. 33. Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo verbum bonũ quod locutus sum, &c. Et aliis multis locis. Porrò quoniã bis apud nos ponitur verbum, circundabunt, nẽ quis putet eiũsdem esse repetitionem, sciendum Græcis non esse vbique idem verbum. Habent enim περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακα σοι, καὶ περικυκλώσουσί σε καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν, id est, circummittent inimici tui vallum tibi, & cingent te. Hæc autem omnia contigisse ordine quo hic Dominus prædicit, testatur Iosephus li. 6. & 7. belli Iudaici Libro ex quo hæc to docet, quomodo Romani aggressi obsidionem ciuitatis Hierosolymitanæ, in circuitu Hierusalẽ tres aggeres erexerint, ac deinde etiam alios: postea vero etiã murum vnum in circuitu ab eis extructũ triduo, diuino impetu eos adiuuãte & incitante, testatur, eos ciũdatam ciuitatem ita fuisse coangustatam, vt nemini exitus vel introitus patuerit, atque hinc intolerabilẽ famem ortam in ciuitate, quæ eos etiam proprios filios edere coegerit. Lib. 10. vero septimo cõmemorat quomodo capta ciuitas solo sit æquata, & occisorum innumeri: qui hic Hebraica phrasi dicũtur filij Hierusalẽ, q ciuitas velut mater sit habitãtium & progenitorum in ea. Occisorum enim siue fame, siue gladio, per omne tempus obsidionis dicit fuisse vndecies centum millia, quorum plerósque dicit fuisse gentiles, hoc est, Israelitas vel contribules, non autem omnes indigenas, quia ab omnibus regionibus ad azymorum diem festum cõgregati bello subito circum fusi sunt. Itaque eo tẽpore hæc cœperunt adimpleri quæ Dominus prædixit, quo tempore hæc Dominus nunc prædixit. Cæterùm quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

hic dicitur: *Nõ relinquẽt in te lapidem super lapidem.*] intelligendum est dictum hyperbolicè ad significandum maximam & extremam destructionem. Neq; enim verisimile est tam fuisse curiosos aut potius otiosos Romanos, vt eis vel vacauerit, vel libuerit singulos lapide ad inuicem auellere, & alioqui aliquo turres relictas à Tito testatur Ioseph⁹ qui li. 7. sic maximã ciuitatis desolationẽ describit, vt ex eo intelligere liceat quàm verè hæc à Domino sint prædicta. Sic enim habet capite 18. Postquã quos occideret, quidue raperet non habebat exercitus, quòd iratis animis omnia deerant, iubet eos Cæsar totam funditus iam eruere ciuitatem, ac tẽplũ relictis, quidem turribus, quæ præter alias eminebant, Phasselo & Hippico & Mariamne, muriq́ue tanto, quantum ciuitatem ab occidente cingebat. Id quidem vt esset castrum illi custodiæ causa relinquẽdis: turres autem, vt posteris indicarẽt qualem ciuitatem, quamue munitissimam Romanorum virtus obtinuisset. Aliũ verò totum ambitũ ciuitatis ita complanauere dirutum, vt qui ad eam accessissent, habitatã aliquando vix crederẽt. Hæc ille. Quod autem à Tito relictũ fuit, deinde ab aliis principibus etiã subuersum scribitur, vt perfectè impletũ sit quod Dominus prædixit, ciuitate Hierusalem sic penitus deleta, vt & post reædificata, non eundem locum obtinuerit, (cùm iã mõs Caluariæ sit inda ciuitatem) nec idem nomen. Nam post reædificationem primùm Ælia dicta est, ab Ælio Adriano imperatore, eius conditore. Addit autẽ Dominus causam prædicti excidij Hierosolymitani, eò quòd, inquit non cognouerit tempus visitationis, hoc est, tempus quo Deus te per filium suum ad saluãdum te visitauit de qua visitatione dicit Zacharias in suo Cantico: Visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. &: Visitauit nos oriens ex alto. Animaduertendum autẽ circa Domini verba ad Hierusalem dicta quædã ipsi ciuitati propriè conuenire, vt quod dicitur: Circundabunt te inimici tui vallo, &c. quædam verò ei non conuenire, nisi synecdochicè ratione ciuiũ eius, vt cũ dicit Dominus se optare vt illa cognosceret quæ ad pacẽ ei⁹ sunt abscõdita autem hęc illi esse, nec cognoscere eã tempus visitationis

sitationis suæ. Porrò ex hoc fletu & verbis istis Domini discẽdũ nobis imprimis, quàm Dominus non gaudeat, sed planè doleat interitum impiorum, vt verè per Prophetam dixerit: Nolo mortẽ peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. Et subiicit veloti lamentãdo: Conuertimini conuertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini domus Israel? Et Ieremiæ 8. significat quàm desideret & expectet peccatorum pœnitentiam, dicens: Nũnquid qui cadit, nõ resurget? & qui auertus est, non reuertetur. Vbi etiã post pauca cõqueritur populum Israeliticum non cognoscere ea quę ei ad pacẽ offerũtur & tempus visitationis suæ: Miluus, inquit, in cœlo cognouit tẽpus suum, turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autẽ meus non cognouit iudiciũ Domini. Discendũ secundò quòd & nos exẽplo Christi ex animo dolere & deplangere debeamus impiorum cæcitatem & perditionem, etiamsi sint inimici, eorũmq; perditionem deplorandam magis quàm mala quæ ab eis nobis inferũtur, quomodo Dauid defleuit mortuũ Saul & Abnerem. Sic & Ieremias præuidens vastationẽ Iudaici populi: Ventrem, inquit, meum doleo, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me, non tacebo, quoniã vocem buccinę audiuit anima mea, clamorẽ prælij. Et post pauca subiicit causam vastationis, similiẽ eiq; hic redditur: Quia stult⁹ populus me⁹ me nõ cognouit, filij insipientes sunt & vecordes: sapientes sunt vt faciãt malum, bene autem facere nesci erũt. Discendum tertiò, quàm graue & intolerabile sit futurũ gehẽnæ supplicium, cùm temporale Hierusalem excidium tantum præuisum à lõgè Christo etiam excusserit lachrymas, quod tamen longè inferi⁹ est supplicio æterno, vtpote cuius illud tantum est vmbra quędam & exemplum: quemadmodum Petrus subuersionẽ Sodomæ & Gomorrhæ factã testatur in exemplum æterni supplicij, parati iis qui impiè aguntCauendum proinde etiã nobis, ne similiter lachrymis Christi & eorum qui Christi affectum induerunt, digni simus si cũ terrena Hierusalem etiã nos qui delecti sumus vt essemus Deo ciuitas sancta & Hierusalem spiritualis, non agnoscamus

Ezech. 33

Ieremi. 4.

2. Pet. 2.

nec amplexemur varias salutis & pacis occasiones, quę à Deo nobis peculiariter Christianis offertur. Nūc enim nostra dies, est, in qua ea curare possumus quæ ad pacē pertinet. Venient alij dies qui non nostri erūt, sed diuinæ remunerationis, quando qui oblatas modò salutis occasiones non sunt amplexi, tradentur inimicis suis, dæmonibus scilicet, torquendi qui eos veluti vallo circundatos, ita in in ferni pœnis cōcludent & coarctabunt, vt nullum vnquam egrediendi locum sint concessuri, fame, gladio, & peste, hoc est, dirissimis tormentis & morte æternā eos affligentes. Ad hunc enim modum sufficit in genere verba Christi mysticè nobis accommodare, quorum accommodationem prolixiorē & exactiorem si quis requirat, legat Originem & Gregorium super hac historia.

Et regressus in templum cepit eiicere vendentes & ementes.] Cùm dicitur tum hoc loco, tū apud alios Euangelistas, inuenisse Christum in templo vendentes oues, &c. nomine templi videntur etiam debere intelligi ipsa atria, in quæ sacrificia offerebantur, & orationi vacabatur, ac porticum ipsam templi, in qua etiam orabat populus & docebatur. Non enim verisimile est in eo quod proprie templum dicebatur oues & boues venditos, cùm ibi non offerētur. Porrò hunc mercatum in templo Iudæi instituerunt prætextu aliquo ex lege desumpto. Nā Deut. 14. legimus mandatum, vt qui lōgius à tēplo habitarent, sua dona domi, venderent, alia emptuti ea pecunia in loco Domini. His ergo inseruire volebāt videri illi, quos Dominus eiecit: quo commodius exteri inuenirent quod offerrent, cùm re vera prophano quæstui studerent. Putat autem Beda sacerdotes cum venditoribus pepigisse, vt animalia accepta ab his qui obtulerāt, rursum ipsi vēditores à sacerdotibus emerēt, sed minoris, vt iterū cum lucro aliis hospitibus vēdere possent. Ita Erasmus. Verùm istud ex litera haberi non potest, nec multum est verisimile, cùm oblata animalia mactari mox debuerint, nec Christus aliud culpauerit, quàm quod in loco sacris actibus deputato prophanos actus exercerent, turpi lucro intenti, hoc est, ei lucro quod in loco illicito quærebatur. Quo autē paratior esset negotiatio,

tiatio, id quod in prophano mercatu fieri consueuit, aderāt & numularij, qui minutiore moneta mutarēt magnam, aut aurum argento, aut peregrinam pecuniā eius loci moneta verterent, quales & hodie dicūtur esse Romæ in gradibus D. Petri. Hi verò dicuntur hic à Ioāne significanti* κερματισται, & κολλυβισται. Nam κέρμα, Græcis significat æris minutias, & congeriē numorum quibus fit permutatio: vnde vbi nos legimus, numulariorū effudit æs: pro æs Græcè est τὸ κέρμα. Κόλλυβος autē significat obulū qui pro permutatione datur, hoc est, vt vulgò dicitur, cambio. Itaque Christus quo ostenderet zelum suum pro honore patris sui & autoritatem suam cum summa cōiunctam potestate declarare, [illegible] que doceret in domo Dei nullum quærendum esse temporale lucrum, sed omne tale lucrū pro turpi & inhonesto lucro habendū: imò vt in vniuersum ostenderet in domo Dei nihil agendū præter sacros actus, facto flagello è funiculis ibi fortè vbi erāt oues & boues repertis abegit è templo omnes, tum oues tum boues, veluti canes è domo Dei profligans. Nā hi funiculis [illegible] solent. Quamquam autem esse potuit, vt quemadmodum apud Matthæum fecit, eiceret etiam vēdentes, non est tamen verisimile quod hos flagello expulerit, sed illo tantùm oues eiecit & boues. Nō enim cùm dicitur facta flagello omnes eiecit de tēplo: dictio, omnes, referri nō debet ad homines, sed ad oues & boues. Nō enim Græca habēt oues quoque & boues: quomodo nos habemus (vnde cōmuniter intelligitur significasi Christū flagello eiecisse, non solùm homines, sed etiam oues & boues) sed τὰ τε πρόβατα καὶ τοὺς βόας, hoc est, ouésque & boues, ita vt explicētur ea quæ sub dictione, omnes, cōprehenduntur, vt sit sensus: omnes eiecit de templo, videlicet tum oues, tū boues, adeo vt nullū ouē vel bouem in templo reliquerit. Et quidē Lucas cap. 19. inquit ipsum eiecisse vendentes, aut saltem, nō eiecisse flagello, manifestius ex eo patet, quod vendentibus columbas dixerit: Auferte ista hinc, &c. Hoc enim demōstrat mānsionem eorum qui columbas vendebāt potē eiectionē ouium & boum. Flagello quidem vius fuerat ad eiciēdum oues, & boues sed ad eiciēdum columbas inutile

Universidad de Deusto
Biblioteca

le erat flagellum, (concluſæ enim erãt in ligneis cauеis, vt moris eſt) ideóque monet venditores earum: Auferte iſta hinc: quaſi dicat: Oues & boues ego eieci, vt viditis, vos ergo ſimiliter tollite iſta hinc. Itaque in hoc Chriſti facto ac verbis mirabilis eius autoritas & poteſtas eſt declarata, cùm inter omnes vẽdẽtes nemo vni homini adhuc ignoto obſiſtere auderet, nemo qui non imperanti mox obediret, diuinitate nimirum ipſius mentes eorum perterrefaciente, & ad obediendũ cogente. Præter prædictas autem facti huius rationes, & alias duas aſſignare licet. Et primùm quidem dicere poſſumus Chriſtum tum facto, tũ verbis ſuis voluiſſe [illegible] iã in proximo eſſe vt ceſſent omnia legis ſacrificia, ac pellantur è conuerſatione ſanctorum Iudæi, quemadmodum priori facto demonſtrauit gentium vocationem. Vnde Cyrillus. Perſpice, inquit, quæſo alius, quomodo futurus rerum habitus duobus his proximis Chriſti actibus deſignatur: A Galilæis enim [illegible] habitabãt inuitatus ad nuptias, atq; honoratus & miraculo profuit, & vini lætitia repleuit, ac in eadem cũ eis menſa & conuiuio fuit. Sic ab initio ſtatim doctrinæ Chriſti, vniuerſę gẽtes fidem Chriſti ſuſcepturæ monſtrabãtur, quæ per fidem in cœleſtẽ thalamũ peruenturæ ſpirituali conuiuio vnà cum ſanctis Apoſtolis & ipſo Chriſto æternaliter perfruẽtur, nullo priuati gaudio. Lætitia enim, inquit, ſempiterna ſuper caput eorum: quod expreſſius dicitur: Multi enim *Matt. 8.* venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cũ Abrahã, Iſaac & Iacob, Iudæos verò incredulos à ſancto rum conuerſatione retrudet, ac ſupplicijs, peccatorum ſuorũ catenis deuinctos tradet, nullo modo inique factis ſacrificijs ſuis placatus. Auferte, namque, inquit *Iſa. 1.* iſta hinc. Hæc Iſaias mihi prædixiſſe videtur: Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinẽ vitulorum & agnorũ & hircorum noluí. &c. Hæc ille. Secundo hoc facto etiã ſaluator præripuit Iudæis iuſtæ accuſationis occaſionem. Nã quia ſabbato curaturus erat multáq; ſimilia factur' quæ Iudæis legis trãgreſſi videbantur, ne hæc tanquam Deo contrari' facere videretur, hinc primùm aufert huiuſmodi ſuſpicionem.

Nam

Nam qui tantum zelum erga domum Dei demõſtrauit, tantáque vehementia hac indignatione propter hãc vſus eſt, vt nulli omnino parceret, ſed ſeipſum in periculum coniiceret, & tum caupones illos, tum Iudæos id ipſis permittentes in ſe exacuit, omnia ſuſtinere paratus pro honore templi, neqpaquam poſſet tẽpli Domino eſſe cõtrarius. Sic fere Theophylactus poſt Chryſoſtomum.

DOMINICA X. POST TRINIT.

EVANGELIVM

Luc. 8.

IN illo tẽpore dixit Ieſus ad quoſdam, qui in ſe confidebãt, tanquam iuſti, & aſpernebantur ceteros, parabolam iſtã. Duo homines aſcenderunt in templum, vt orarent: vnus Phariſæus, & alter Publicanus. Phariſæus autem ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus: Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſſideo. Et publicanus ſtans longè, nolebat nec oculos ad cœlũ leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Amen dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo: Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.

QVoniam in præcedentis Dominicæ concione, miſerabilem, atque cunctis mundi nationibus expaueſcendam Iudaicæ gentis ob contemptam viſitationis gratiam, abuſuſque nefandos, irrecuperabilem demolitionẽ à Chriſto audiuimus, nõ abs re peruncta ri quis poſſet, & quid nam in cauſa fuerit, cur illius populi proceres, tot variciniis de toto Chriſti negotio tam luculenter inſtructi, præſentem, neque agnoſcere voluerint, neque recipere: Cum tamen cernerent id quod diſſimulare non poſſent, neque negare, cuncta ſcripturarum monumenta, in CHRISTO compleri. Hanc percunctationem ſoluit hodie charitatibus veſtris, iam recitatum Euangelium, dum ambitioſam illorum nobis præſumptionem, & impiam de

Universidad de Deusto
Biblioteca

seipsis confidentiam, exponit. Etenim qui sibi plus satis sapere, sufficque solis opusculis gratia exclusa diuina cœlestia regna mereri stultè sibi policentur, quomodo Christi doctrinam, merita redemptionisque patrocinia sibi necessaria iudicarent. Quæ hic nobis dicta sunt, vt omnem fastum, philautiam, quæ aliud non est, quàm vana, stulta, nostri & nostrorum opusculorum admiratio procul à nobis abigamus. Deinde in hoc Euangelio præcipuus nostræ religionis articulus, non minus succinctè, quàm luculentur exponitur, quibus nimirum meritis peccatoris iustificatio conficiatur, hoc est, quo pacto peccator cum Deo redire possit in gratiam & ex iniusto iustus, ex improbo probus & sanctus
Matt. 21 fiat. Ad hæc obscuriores non paucos scripturæ locos illustrat & nodos alioqui difficiles soluit. Qualis est Auferetur à vobis regnum Dei, & in eo vos publicani
Matth. 8. & meretrices præcedent. Multi venient ab Oriente &
Ioan. 9. Occidente & recumbent, filij regni eicientur foras. Et In iudicium ego veni in mundum, vt non videntes vi-
[illegible]. Qui loci, quoniam, Iudæorum abiectionem, gentium verò electionem inhnuant, animos causam ignorantium, non immeritò stupore percellunt. Et cur Iudæorum sabbatismi, circumcisiones & multi sub legis iugo deuotari labores non maiorem prærogatiuã aut gratiam commeruerint, gentes autem absque legalium defatigatione, fœlicitatem assequantur cœlestem. Ex hodierno Euangelio discimus arrogantiam,
Esa. 26. ambitionem, fastum, & sumptus admirationem causam dedisse tam seueræ reprobationis. Qui enim sibi om-
Esa. 66. nia tribuunt, ac suis tantum in operibus, non in domino confidentes, diuinæ gratiæ nullum apud se locum,
Luca. 16. quę tamen omnia opera bona operatur in nobis, relinquunt. Quæro, qui possent ei placere, cuius spiritus nõ nisi super humilem & trementem sermones suos requiescit, quisque quod altum est, nõ modò apud homines in terris, verum etiam apud angelos in cœlo fastidit? Gentes verò seipsas detestantes, dum soli Deo attuntur & eius misericordia, (quemadmodum in oratione sua publicanus) spem omnem collocant, sit vt omnem salutis honorem Deo soli tribuant, vltrò fa-

tentes,

tẽtes, gratuito Dei dono sibi gratiam & salutem obuenisse. Hęc sola cœlos penetraudi, atque ad fauorem supernæ numinis pertingendi, methodus est: nullus Deo *Psal. 50.*
gratior cultus, quàm spiritus contribulatus, siue quod idem est, Cor contritum & humiliatum. Ex quo quidẽ fontẽ, sacrificia laudis, quibus Deus honoratur, scaturiunt. Quod nobis humilis & submissa Publicani oratio, clarum & manifestum efficiet.

Dixit autem & ad quosdã qui in se cõfidebant, tanquã &c.] Præmiserat eodẽ hoc capite Lucas parabolã, qua docetur orationis perseuerãtia, Itaq; cõmodè iam subiicit parabolam qua docetur etiam humilitas in oratione seruanda. Dixit autem hanc Dominus non ad Discipulos, vt quæ apud Lucam præcedunt, sed ad quosdam qui in se confidebant, tanquam iusti scilicet essent, id est, qui confidebant in se quòd essent iusti (sic enim habent apertius Græca) & præterea aspernabantur cæteros. Sic enim Pharisæos notare voluit Euãgelistas, duplici nomine peccantes. Primùm, quòd propter externa quædam opera confidebant, esse iustos, cùm non essent iusti, quódque in se cõfidebant, cùm si quis confidere possit se esse iustum, nequaquam id in se debeat confidere, sed in Domino, quemadmodum fecit Paulus dicens: Ipse spiritus testimonium reddit spiritui *Rom. 8.*
nostro, quòd sumus filij Dei, Qui alioqui ad se respiciẽs dicit: Nihil mihi conscius sum, sed nõ in hoc iustificatus sum. Secũdò, in eo peccabãt, quòd sic sibi iustitię *1. Cor. 4.*
nomine placerent, vt cæteros aspernarentur tanquam iniustos & peccatores. Et quidem huiusmodi contemptus aliorum, consequitur ex temeraria illa iustitiæ cõfidentia cùm contrà qui humiliter se in Domino iustos esse confidunt, vt Dei gratiam agnoscunt, ita simul indignitatem suam & imperfectionem in multis agnoscunt, vt non possint alios præ se contemnere, sed peccatoribus condolentes precẽtur illis eandem Dei gratiam, quam se accepisse humiliter confidunt. Vnde rectè Diuus Gregorius homilia 34. super Euangel. Vera, inquit, iustitia compassionem habet, falsa dedignationem, quamuis iusti soleãt rectè peccatoribus dedignari. Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliud est quod agitur typho superbiæ: aliud quod zelo disciplinę. Proinde in his Pharisæis licet obseruare quatuor illas arrogantiæ species, quas idem Gregorius pulchrè enumerat lib. 23 Moral. capite 7. Quatuor, inquit, sunt species quibus omnis tumor arrogãtium demonstratur. Cùm bonum aut à semetipsis audiue se æstimãt, aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putãt, aut certè cùm tactãt se habere quod non habent, aut despectis cæteris singulariter videri appetunt quod habent. Cõtra huiusmodi ergo Dominus parabolam hanc proponit, qua eorum notat arrogantiam, & simul consolationem suggerit peccatoribus ex animo pœnitentibus, proposito exemplo, quo & quàm noxia sit arrogantia, & quàm efficax apud Deũ humilitas ostẽditur. Porrò parabola hæc eius est generis, quo ea quæ est de diuite epulone. Nam & hic dubium est an sit exemplum hoc rei veræ gestæ, an non gestæ quidem, sed ad auditorum vtilitatem confictum tanquam rei gestæ. Siue autem sit res verè gesta, siue non, parabola dicatur, quòd exemplum istud ad hoc sit propositum, vt ex eo intelligatur quod in fine Dominus vniuersaliter infert, nempe quòd omnis qui se exaltat humiliabitur, & contrà. Notandum autem, quòd participium, dicens, quod in multis legitur libris, nec est in Græcis codicibus, nec in plerisque Latinis manu descriptis. Habet autẽ parabola sic: *Duo homines ascendebãt in tẽplũ.* (situm enim fuit templum Salomonis in mõte) Ascendebant autem vt orarent. Hæc est enim sola causa ob quam templum sit adeũdum, iuxta illud: Domus mea, domus orationis vocabitur. Vnus horum erat Pharisæus, & alter erat Publicanus. Pharisæus stans, pro more quidem orantium tunc recepto (nam & Publicanus postea stetisse dicitur) sed tamen ipso habitu corporis animi confidentiam & elationem præ se ferens. Nam etsi etiam Publicanus stetisse dicatur, tamen à longè dicitur stetisse, & oculis in terrã flexis quod curuaturam eius significat, vt ex oppositione intelligamus significatum istum stetisse iuxta altare, & stetisse nõ solùm corpore erecto, sed & animo. Stãs ergo apud se orabat. Bene sanè apud se orasse dicitur, qa nõ orabat apud Deũ, qui

qui eius orationem nõ audiuit, nec approbauit. Verùm quomodo orasse dicitur, qui nihil petisse legitur, sed tãtùm Deo gratias egisse? Dicendum, quòd orare in scripturis nonnunquam generaliter accipitur, vt etiam includat in se gratitũ actionem, & sit generaliter idem quod colloqui cum Deo. Sic enim Anna Samuelis mater orasse dicitur, cùm cãticum illud in laudem Dei decantaret, quod tamen nullas continet preces, sed Dei tantùm prædicationem. Aut fortè ironicè Dominus dixit eum hæc orasse: quasi dicat: videte quæ orauit, qui cùm ascenderet vt oraret, nihil tamen à Deo petiuit, sed seipsum tantùm laudauit. Sic videri potest intellexisse Diuus Augustinus, dum scribit: Quid rogauerit Deum quærẽs in verbis eius, nihil inuenies. Ascendit orare, noluit Deum rogare, sed se laudare. Deus, inquit, gratias tibi ago. Cur ergo reprehenditur, dicet aliquis, qui Deo gratias egit, & illi omne bonum quod habuit attribuit? Verùm non reprehenditur quia Deo gratias egit, sed quia gratias agẽdo & malè sibi placuit, & alios præ se superbè contempsit. Sic enim sibi placuit, vt in suæ gratiarum actione suas tantùm laudes commemoraret, & ob quasdam virtutes se iustum esse confideret, adeò vt nihil sibi ad iustitiæ complementum petendum putaret, nec precandam peccatorum remissionem, atque vt etiam quas habebat virtutes, suis meritis suæque industriæ deputaret. Nisi enim se suis meritis illa à Deo accepisse credidisse, nequaquam sic alijs insultasset, quod alterum sanè eius fuit vitium, necessariò concomitãs, φιλαυτίαν, & alicuius in seipso complacẽtiã. Nec simpliciter quidem peccauit in hoc aliorum contemptu, quia nõ satis illi fuit in genere se præferre peccatoribus, sed & eum qui secum ascenderat orãdi causa Publicanum aggressus est, cõdẽnans eum cuius cor non nouit, imò in quo pœnitentiæ & correctionis signa aduertere potuisset, quia vidit templum Dei ingredientem, externisque gestibus pœnitentiam præ se ferentem, vt ob id meritò non solùm à condemnatione eius abstinere debuisset, sed & prouocari ad spem correctionis ipsius, & communem pro eius correctione & Dei indulgẽtia precationem. Complectitur autem eius

1. Reg. 11.

oratio

oratio duas partes conuenienti ordine dispositas, quemadmodum duæ sunt partes iustitiæ. Primùm enim dicit quæ ei aberant mala, quia prima iustitiæ pars est declinare à malo: & secundò dicit quæ ei aderant bona, quia secunda iustitiæ pars est, facere bonum, iuxta illud: Declina à malo, & fac bonum. Non sum, inquit, sicut cæteri hominum: non quòd se omnibus omnino hominibus præferre voluerit. Id enim nimiæ fuisset insipientiæ, sed cæteri homines determinantur per sequentia, cùm subditur: Raptores, iniusti, adulteri: quãquam per hoc quòd non dicit: sicut homines raptores, iniusti, &c. sed sicut cæteri homines raptores, &c. satis significatur quid [illegible] maiori hominum parte superbè & impiè iudicauerit. Non dicit autem: gratias tibi ago quòd nõ sum
Gal. 1. raptor, adulter: sed nõ sum sicut alij quo manifestè singularitatis vitium in se notauit, cuius est seipsum præferre, & sibi placere ex relatione sui ad alios. Hoc autè vitiũ quò eximeret Paulus, scribẽs Galatis dicit: Opus autẽ suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & nõ in altero. Vnusquisq; enim onus suum portabit. Secũda orationis eius pars est: Ieiuno bis in sabbatho, decimas do omniũ quæ possideo. Quibus verbis non se tantùm ab apertis & magnis illis vitijs liberum, sed & magnis & singularibus virtutibus præditum ostendit, & se non tantùm superiorem esse hominibus apertè malis, sed & bonis plerisque gloriatur. Ieiuno, inquit, non tantùm quibus diebus omnes secundum legem & maiorum statuta ieiunant, sed bis in vnoquoque sabbatho, hoc est, hebdomada. Sic enim Hebræi hebdomadam vocant à præcipuo eius die, qui hebdomadæ finis est. Ieiunabant autem Pharisæi feriâ secunda & quinta, si fides est Theophylacto. Decimas do, non tantùm, quemadmodum vulgus, frumenti, vini, & olei, sed etiam omnium quæ possideo, decimans etiam mentam, rutam, cyminum, ac minutissima quæque. Hic obseruandum qualia sint ob quæ hic Pharisæus, & qui huic similes sunt, sibi iustitiam vendicant, nimirum externa tantùm, & magis humanorum mandatorum quàm diuinorũ obseruationes cùm ante omnia curanda sint quæ ad mentem pertinent, pietas, misericordia

sericordia, humilitas, & id genus cæteræ virtutes, & quæ Deus præcepit, priori sint habenda loco. Potest & hoc dici de partib⁹ orationis Pharisaicæ, quòd virtutes quas commemorat vitiis opponantur ab ipso recensitis, vt [illegible]ium quod ad carnis facit castigationem opposuerit adulterio, quo quæritur carnis voluptas. decimarum autem persolutionem, rapinæ quæ fit vi, & iniustitiæ illi quæ fraude fit & dolo. Et hactenus quidem de Pharisæo. Sequitur de Publicano, in quo tres notãtur suo ordine conditiones, omni verè & dignè pœnitenti necessariæ & sufficientes, quarum prima est propriæ indignitatis agnitio, & quæ ex illa nascitur suiipsius dejectio & erubescentia. Hæc enim notatur cùm dicitur [illegible] stetisse à longe, procul scilicet ab altari semotus, vt qui se indignũ se reputabat propius accedere ea loca in quibus Deo sacrificaretur, & velut præsens coleretur. Rursum idem notatur per id quod sequitur: nolebat nec oculos ad cœlum leuare: censens scilicet eos indignos visione superna, vt qui maluissent bona terrena spectare & quærere, agnoscẽsq; se indignum qui eo cõ[illegible]ceret intuitum, vbiis suam haber sedem quem se cognouit offendisse. Cùm autem dicitur: nolebat nec oculos, hoc est, ne oculos quidem, significari videtur quòd multò minus manus in cœlũ leuauerit, & ex opposito ipsum Phatisæum non oculos tantùm, sed & manus in cœlũ confidenter iactasse. Aut simpliciter significatur quòd non solùm indignum se reputabat qui propè staret, sed & vt in cœlum intenderet. Secunda cõditio, est serotus de cõmissis peccatis dolor, qui in isto notatur, cùm dicitur percutisse pectus suum, præ contritionis scilicet dolore, & veluti reprehẽdens cor suum, quòd admissorum criminũ origo illi fuisset, & causa. Pectoris enim percussio: interioris prauitatis seria est redargutio. Hic autem ex coniunctione aduersatiua, sed magis videtur significatum, quòd nec manus, nec oculos voluerit in cœlum tollere, sed manu quàm in cœlum tulit Pharisæus, percutiebat pectus suũ. Cæterùm vt peccator veniam assequatur, non satis est agnoscat suam indignitatẽ, sesèque deiiciat, ac ex animo doleat, sed ne ex indignitatis cõsideratione in desperationem prolabatur

& abun-

& abundatiore tristitia absorbeatur, adiungere prædictis conditionibus debet & bonã de diuina benignitate confidentiã. Hæc enim si illis desit, pertrahetur per illas homo in desperationem: si autem sola adsit sine humilitate & contritione, pariet præsumptionem, nec impetrabit remissionem. Dicit enim propheta: Cor contritum & humiliatum Deus non despicies: significãs eũ despecturum cor non contritum, nec humiliatũ. Hæc autem fiducia Publicano adfuisse notatur, cum & orasse & paucissimis orasse dicitur. Neq; enim orasset, si de Dei erga se indulgeatia confisus nõ fuisset: nec tã paucis orasset, si nõ multum confisus fuisset. Nõ enim credidit [illegible] exaudiẽdum in multiloquio, more Ethnicorũ [illegible] *Deus, inquit, propitius esto mihi peccatori*] Oratio sanè brevis in verbis, sed efficax & magna sensu, quam ob id à Publicano prolatã Dominus proponit, vt & nos ad eũ modum orare discamus, cũ si modo hæc parabola non sit res verè gesta, sed à Domino conficta, hæc oratio à pectore Domini porcesserit. In qua hoc obseruandum, quòd [illegible] ublicanus nihil aliud quam misericordiam petit, & talem misericordiam qua Deo reconcilietur. Nulla enim prætendit merita, nullas adfert excusationes in peccatis, sed liberè se peccatorem confitetur: & dum sibi Dei implorat propitiationem, hoc est, placabilitatem, significat id maximè animũ ipsius torquere quòd Deum offensum haberet, nihil magis optare quam vt illum habeat placatum & amicum. Hoc enim significat Græca dictio ἱλάσθητι hoc est, placatus esto: hoc & Latina dictio significat, propitius esto, hoc est, clemẽs & benignus, quasi propiciãs. Cui dictioni Latinæ bene conuenit, quòd Publicanus ipse à longè steterit, Deum autem precetur sibi propè fieri: quasi diceret: ego tibi appropinquare nec possum, nec debeo, tu prope me veni: sed hæc annotatio locum non habet in Græca dictione. Notandum & illud in oratione ista, quod non dicit, nobis peccatoribus, sed mihi peccatori. Superbia enim Pharisæi effecit, vt respiceret se comparatum ad alios: humilitas autem Publicani effecit: vt seipsum in sese respiceret, & non compararet se ad alios peiores aut æquales, sed de sese loqueretur quasi solus fuis-

fuisset peccator. Ad hunc ferè modum precatus est & Dauid Psalmo 24. dicens: Propter nomẽ tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim. Vbi Septuaginta pro propitiaberis, habent dictionem hoc loco positã ἱλάσθητι. Porrò cum in Pharisæo audieris superbum accusatorem, in Publicano autẽ humilem reum, audiamus nunc & iudicem sententiam pronunciantem. *Dico inquit, vobis.*] Sic enim habent Græca, & antiqui codices Latini, & non: Amen dico vobis quanquã Amen etiam legat Diuus Augustinus. Descẽdit hic iustificatus, id est, Dei gratia ex peccatore iustus effectus, ab illo Pharisæo, hoc est, magis quã ille, id est, descendit tam iustus quam Pharisæus, non quod Pharisæus etiam descendit iustificatus vel iustus, sed [illegible] ratione impropria, quia scilicet iste non descendit iustus. Aut potius Publicanus dicitur iustior descendisse quam pharisæus quia & Pharisæus aliquam habebat iustitiam, operum scilicet iustitiam, qua & coram hominibus, & suo iudicio iustus habebatur: sed hanc iustitiam vicit iustitia Publicani, vt quæ Dei esset [illegible] dia, & cotã Deo iustitia, cuius laus nõ ex hominibus, sed ex Deo est. In hac autem Domini sententia obseruandũ & quãta sit Dei benignitas, qui tam breui oratione, totãq; parua pœnitentia superatus mox pœnitentem in gratiã recepit: & rursum quanta sit apud Deum humilitatis vis ac: contrà quam noxium sit arrogãtiæ malum quod pulchrè expendit ex hoc loco Diuus Chrysostomus homilia quinta, de incomprehensibili Dei natura, sic scribens. Vt planius intelligas, quàm sit bonum nihil magnum de se opinari finge animo bigam duplicem, quarum sub altera virtus iuncta sit cũ superbia sub altera peccatum cum humilitate. Videbis enim bigam illam peccati virtute facilè anteire palmámq; decursionis cœlestioris obtinere non peccati pernicitate, sed cõiugatæ humilitatis facultate. Contra bigam alteram virtutis retardari & vinci, non imbecillitate virtutis, sed superbiæ mole & pondere. Vt enim humillitas præ sũma sua excellentia peccati superat pondus, atque in cœlum peruenit: sic superbia præ nimio suo pondere ac insolerabili onere suæ molis præualet adeo vt etiam se

ultimã

uissimam illam & supernã virtutem vincat, deorsumq; versus facilè detrahat. Quoniam alterum quod dixi, parũ existat pernicioſius altero, latiuss sanè exẽplo Pharisæi & Publicani illius perspicies. Id autem exemplum expendens Diuus Chrysostomus, & ostẽdens quo[illegible] do pharisæus iũxerat superbiam cum iustitiæ, Publicanus verò cum iniustitia humilitatem, tandẽ infert: Cúmque dixisset: Deus propitius esto mihi peccatori, descendit iustificatus super illum, & dicta superauerũt facta, & verba vicerunt opera. Alter namque iustitiam, & ieiunia, & decimas proposuit suas: alter verba duntaxat reddidit, atque ita effectum est, vt magnus ille de[illegible] numerus deleretur, & peccata obliterarentur [illegible] Publicani. Non enim verba Deus tantummodo audiuit, verumetiam animum, quo ita dicerentur, inspexit, quem cùm humiliatum contritúmque comperiret, misertus est, & benignissimè ac humanissimè egit. Hæc ibi Chrysostomus, qui & alibi sæpe similiter ex hoc loco philosophatur, vt homil. 4. de verbis Isaiæ: Vidi [illegible] num. Vis, inquit, tibi dicam quantum bonum sit modestia, & quantum malum arrogantia? Peccator iustum superauit, Publicanus Pharisæum, & verba factis fuêre superiora. Quomodo verba? Publicanus dixit: Deus propitius esto mihi peccatori. Pharisæus dicit: Nõ sum sicut cæteri homines, rapax, auarus: sed quid? Ieiũno bis in sabbatho, decimas do de facultatibus meis. Pharisæus opera iustitiæ præstabat: Publicanus verba dicebat modestiæ, & verba plus potuerunt quàm facta, tantúsque thesaurus cum contumelia reiicitur, & tanta inopia in diuitias commutata est. Venerunt duæ naues habentes onus, ambæ portum ingressæ sunt, sed Publicanus in portum pulcherè appulit. Pharisæus autẽ naufragium perpessus est, vt disceres quantum mali sit animi tumor, habet Similia homil. 31. super Genesim: Etsi, inquit, quis innumera bona fecerit, virtutemq; omnem absoluerit, si tamen magnum quid de se sentit, maximè omnium miserabilis est & miser. Quod nobis manifestum est ex ijs quæ pharisæo acciderunt, qui vt magna de se sensit, & Publicanum contemsit, subitò deterior factus est Publicano, & omnes virtutum diuitias lingua

&a effudit: & se nudans exhauiensque, pertulit rarum nouum naufragium: apprehenso enim littore omnes merces suas simul perdidit. Nam si ita accidat aliquid propter preces indignè dictas, perinde est ac si quis in [illegible] tu naufragium faciat. Hæc ille, qui in aliquot locis hoc exemplum tractans, id etiam extollit in Publicano quòd cùm audierit se à Pharisæo condemnari, non vicissim regesserit contumeliam, sed patienter perpessus sit illius petulantiam, non indignans se inter peccatores ab eo reputari, quemadmodum videre licet in homilia primo loco iam citata, & homilia de Dauide & Saule, quamquam hæc obseruatio non sit multum firma, quod non sit verisimile Publicanum audisse Pharisæi verba, vt à quo steterit elongatus. Verùm admirabitur quis, inquit Theophylactus, quomodo Pharisæus cum pauca verba suæ laudis pronunciauerit, comdẽnetur: Iob autem quum multa de se magnifice dicat coronetur. Et respondet: Quia Pharisæus nullo cogente fiat talia nugans & condemnans, alio nullo vlu vente: Iob vero prementibus se amicis, & grauius incumbentibus quam calamitas ipsa, dicentibúsq; quod propter peccata illa sit passus, cõpulsus est enumerare sua opera, idque propter gloriam Dei, ne scilicet homines à recto virtutum cursu exciderent. Idem dicendum est de Paulo, magnificè nonnunquam de se loquente. Ostendit autem Dominus æquitatem suæ sententiæ quam de Pharisæo & publicano pertulit, per generalem illã sententiam qua & supra vsus est, dicens: *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur.* Iq; sẽtentia vt est generalis, & multis locis conueniens tum in rebus humanis, tum in diuinis: ita multas habet similes in scripturis idem significantes. Nam Iob 22. dicitur: Qui humiliatus fuerit erit in gloria: & qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur. Et: Superbũ sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria. Et Iacobus simul & Petrus ex Prouerbiis Deus inquiunt, superbis resistit humilibus autem dat gratiam. Quemadmodum enim aquarum fluenta ad vallium decurrũt profunda, & quo vallis est decliuior, eo plures aquæ cõgregantur in eã sic diuinarum charismata gratiarũ ad

Matt. 23.

Prou. 29

Iacob. 4.
1. Pet. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

corda, descendunt humiliũ, qui quãtò humiliores fuerint tantò copiosiorem gratiã suscipiunt. Rursum idẽ Petrus: Humiliamini, inquit, sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tẽpore visitationis. Et vbique scriptura nullum magis vitium detestatur quàm superbiam, quam quæ omnium virtutum sit corruptio, & omnium vitiorũ initium nullamq; virtutem magis inculcat quã humilitatem, vt quæ sit omnium virtutum & mater, & conseruatrix, ac vitiorum omnium medicina efficax, cùmque maximè sit homini necessaria, non ita tamen facilè in multis ob natiuã quandã cordis humani superbiã & φιλαυτίαν reperiatur. D. Augustinus insigniter hum[illegible]em extulit, epistola 56. dum disserit quẽ sit via ad capessendam & obtinendã veritatem. Ea, inquit, est prima humilitas, secũda humilitas, tertia humilitas: & quoties interrogares hoc dicerem, nõ quò alia nõ sint præcepta quæ dicãtur, sed nisi humilitas ante oĩa quæcunq; bene facimus & præcesserit, & comitetur, & cõsecuta fuerit, & proposita quàm intuamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono gaudẽtibus, totũ extorquet de manu superbia. Vitia quippe cætera in peccatis, superbia verò etiã in rectè factis timẽda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. Itaque sicut rhetor ille nobilissimus (Demosthenẽ intelligit) cùm interrogatus esset, quid ei primùm videretur in eloquentiæ præceptis obseruari oportere, pronũciationem dicitur respondisse: cùm quæreretur quid secũdò, eandem pronunciationem: quid tertiò, nihil aliud quàm pronunciationem dixisse: si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianę religionis, nihil me aliud respõdere nisi humilitatẽ liberet ti & fortè alia dicere necessitas cogeret. Hæc ille ad Dioscorum. Quibus consentiunt quæ habet quodã loco Leo papa, dicens: Tota Christianę sapientię disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neq; in appetitu laudis & gloriæ, sed in vera & volũtaria humilitate consistit, quàm Dominus Iesus ab vtero matris vsq; ad supplicium crucis omni fortitudine & elegit, & docuit. Porrò quoniam, vt alibi patuit, Pharisæi fere typum

Ibidem.

pum quendam gerunt Iudaici populi, Publicani verò gẽtilis populi, rectè Beda hanc parabolam etiam allegoricè tractauit, in Pharisęo intelligẽs populũ Iudęorũ, qui in suis meritis & operibus legis gloriatus excidit à iustitia Dei, omnẽ suorũ laborum fructus perdẽs. In Publicano autem populum gentilẽ, qui longè à Deo positus per humilem peccatorũ suorum confessionem meruit exaltari apud Deũ, & pręferri populo Iudaico. Itaq; etiã propter allegoriã hanc sub hoc exemplo latentem rectè dicitur exemplum istud esse parabola quamuis non ea potissimum causam parabolam Lucas vocauerit, sed ob causam superius explicatam.

DOMINICA XII. POST TRINIT.

EVANGELIVM

IN illo tempore: Exiens Iesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines [illegible]capoleos & adducunt ei surdum & mutũ & deprecabãtur eũ vt imponat illi manũ. Et apprehendens eũ de turba seorsum misit digitos suos in auriculas eius. Et expuens tetigit linguam eius & suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi: Ephphata: quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius & loquebatur rectè. Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem magis eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant, & eò amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui. Marc. 7.

DVas nobis hodiernum Euangelium annunciat Christi diuinissimas conditiones, nempe potentiam & clemẽtiam in vno misero homine, quàm augustissimè editas. Solius enim diuinæ potẽtiæ vis erat, quod vnico verbulo, surdi aures patefecerit, & linguã resoluerit muti, ita vt dictio citius auditet patiter & loqueretur. At nõ minoris clemẽtiæ, quòd adeo facilè passus est, se exorari, tantaque benevolentia miserum curat, atque pro adhibita cura prorsus nullã remunerationem expectat. Quid igitur mirum si, quotquot fuêre præsentes, tum nis præconiis, tã rarũ op[illegible]

sint prosequuti Si enim vulgarem medicum, posteaquàm non nisi magnis muneribus atque promissis, ad ægrũ adductus est, vbi optata successerit sanitas, laudamus & suprà amplam remunerationem, etiam gratias agimus, quantumuis in medendo non paucas ad morum addiderit carnificinas, & vix post longa temporum curricula, infirmum restituat: Quam igitur laudem par est, retulisse Christum, qui tanta facilitate exoratur, tam benevolè curat amanter hominem tractat, breuiterque totum absoluit negotium, nec sibi quicquam inde lucri desumit. Vos interim, amicissimi, quid arbitramini? In solo ne decapolitano, hanc [illegible] efficaciam demonstrauit? Quid vniuersum genus humanum aliud, quàm surdum fuit, & mutũ? Imò, vt breuissimè dicam, atque verissimè mortuum, simul & perditissimum, Apostolo teste, qui ait: Rom. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei Hoc est: Egẽt vt Deus erga ipsos potentiæ pariter, & clementiæ suę gloriam [illegible] dat. Iã mihi expendito, quàm hoc Christus perfectissimè impleuerit. Sequutus est nos, tanquam pastor, errantes ouiculas, impositósque propriis humeris, non sine maximis laboribus, reportauit ad caulas, idque prorsus gratuitò, sine vllis præcedentibus nostris meritis. Et hanc suam gratiam, non sufficit ei semel nobis exhibuisse generatim, verum etiam indesinenter singulis, qui ambiunt, expositus est. Hodiernum igitur Euangelium docet, Christum assertorem & saluatorem nostrum, & velle & posse seruare à quibuscunque etiam periculis omnes, qui credunt in ipsum auxiliúmque afflagitant, citra vllum personarum respectũ. Non enim est apud Dominum vlla vel Iudæi vel Græci distinctio, idem Dominus omnium, Rom. 10. diues in omnes, qui inuocant illum. Quid quæso, posset optatius audiri? Nõ solis autem sui seculi hominibus, hæc sunt ab Euangelista denunciata, sed omni in vniuersum posteritati scriptum reliquit: Vt si quem peccata sua, tentationesue momorderint, plena fiducia, ad thronum gratiæ Christi contendat, subleuamen Heb. 4. relaturus. His generatim de Euangelij scopo præfatis, nunc singulas eius partes inuestigemus.

Exiens

Exiens Iesus de finibus Tyri & Sydonis.] Cùm Dominus suo ad Tyrios & Sidonios secessu præluisset futuræ gentiũ vocationi, veluti gestiens anteuertere quod summoperè cupiebat, mox illis relictis, quoniam nõdum aduenerat tempus vt palã gẽtes ad cõsortium regni cœlestis vocarentur, relegit iter, rursum proficiscẽs ad mare Galilææ, circa quod frequenter diuersari solitus fuit. Sciendum autẽ, Græca non habere in Marco, venit per Sidonẽ, sed, exiens de finibus Tyri & Sidonis, venit ad mare, &c. quæ lectio & narrationi Matthæi magis conuenit, qui dicit: Et cùm trãsisset inde, nempe à finibus Tyri & Sidonis, in quos, dixerat Christum abiisse, & rursum nõ habet illam difficultatem quàm nostra litera. Quomodo enim C[illegible]us venisset per Sidonem, qui verterat Apostolis ingredi ciuitates gentium? Deinde volentibus ire è finibus Tyri ad mare Galilææ, non est iter faciendum per Sidonem sed contrà potius è Sidone per fines Tyri iter fieret ad mare Galilææ. Et tamen, quod mirum est, omnes libri Latinorum habent: venit per Sidonem. Fu[illegible] non est Græcis, inter medios, fines Decapoleos, sed ἀνὰ μέσον ὁρίων Δεκαπόλεως, id est, per mediũ finium Decapoleos. Nõ enim significare voluit Euangelista mare Galilææ esse inter medios fines Decapolis, sed Christum transisse per medium illius regionis, postquam veniret ad mare Galilææ, quod etiam in nostra lectione significabitur, si illud, inter medios fines referatur ad verbum, venit. Est autẽ Decapolis, regio à decem potioribus ciuitatibus quæ in ea sunt, sic dicta, quãuis de his ciuitatibus quæ sint non conueniat inter autores: sicut nec de situ huius regionis. Brocardus enim putat eã fuisse cis Iordanem, citans autorem quendam Patriarcham Hierosolymitanum. Sic enim scribit: De regione Decapoleos Iacobus Patriarcha Hierosolimytanus sic ait, in libro quem de terra sancta composuit: Regionis Decapoleos fines sunt: mare Galilææ ab oriente, & Sidon magna ab occidente, & hæc est latitudo eius. In longitudine verò incipit à ciuitate Tyberiadis, & vergit per littus maris Aquilonare vsque in Damascum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dicitur autem Decapolis à decem principalibus eius ciuitatib⁹,quarũ nomina sunt hæc: Tyberias,Sephet, Gedes,Neptalim,Assor, Cæsarea Philippi, Caphatnaum,Iouitera,Bethsaida,Corozaim,& Bethsan, quæ etiã Schytopolis est appellata Hæc ille.Diuus Hieronymus autẽ libro de locis Hebraicis,dicit hanc regionem fuisse trans Iordanem,circa Hippam & Pellem & Gadarã.Cui consonat quòd de hac regione scribit Plinius libro 5.capite 18. Iungitur,inquit, ei lateri Syriæ Decapolitana regio à numero oppidorum,in quo non omnes eadẽ obseruãt.Plurimi tamẽ Damascũ & Oporon riguas amne Chrysorrohoa fertilem Philadelphiã Raphanam omnia in Arabiam recedentia, Schytopolim [illegible] Nysan,à libero patre,sepulta nutrice ibi Schy[illegible] deductis, Gadarã Hieromiace præfluẽte,& Hippodion Peltam aquis diuitem,Galasam, Canatham. Hæc plinius.Cui etiam consonat,quòd Matthæus capite 4.separat Decapolim à Galilæa, quodq́ue Marcus capite quinto dæmoniacum illum,quem à se curatum apud [illegible]enos Dominus noluit secum ascẽdere nauim,sed ad suos ire iussit,& prædicare miraculum, dicat prędicasse in Decapoli. Obstat tamen quòd ciuitas Bethsan,quę Græcis Schytopolis est appellata, & etiã secundum Plinium ad Decapolim pertinet, cuius secundùm Iosephum libro tertio de bello Iudaico capite 16 est maxima ciuitatũ,sit cis Iordanem,non lõgè à Tyberiade,vt eodẽ loco testatur Iosephus. Vnde omnino apparet regionẽ Decapolis partim fuisse cis Iordanem partim vltra,quod & locus ille omnino cõprobat, Dominus enim è finibus Tyri dicitur venisse per Decapolim ad mare Galilææ: aliqua ergo saltem pars Decapolis est inter fines Tyri & mare Galilææ.

Et adducunt ei surdum & mutum & precabãtur eum vt imponeret ei.]Eum qui pro se Dominum orare,non potuit,pij pro illius salute soliciti,& illius calamitatẽ miserati ad Dominum ducunt,ac pro illo precantur, solã manus impositione credentes duo simul mala posse tolli ab hoc misero.Dominus autem sanaturus oblatã primùm quidem apprehẽdit eũ de turba seorsum, nolens miraculum hoc manifestè facere,ne videretur populatis,

pularis,laudis affectator, nósq; doceret vanam gloriã fugere.Deinde cum solo verbo curare posset, vt ostenderet carnẽ suam esse viuificatricem:& omnia quæ illius sunt esse salutifera,misit digitos suos in auriculas eius:vnum quidem dextræ manus in sinistram aurem, & vnum sinistræ manus in dextram aurem.Tum sputo in digitis accepto tetigit: linguam eius, quemadmodũ & post cap.8.Marci,sputo vsus est ad cæci curationem, & rursum ad alterius cęci à natiuitate,de quo Ioan. 9. Hinc suspiciens in cœlum ingemuit, ipso quidẽ respectu in cœlum,significans virtutem sanandi se habere à Deo atque ab illo quærendam omnem medelam:ipso verò gemitu significans quàm miseretur humanæ naturæ,quæ tum à demonibus,tũ ab aliis infirmitatibus variis modis impetitur propter peccati trãgressionem, ac gemendi nobis præbens exemplum,cùm pro nostra nostrorũq; salute supernę pietatis subsidia inuocamus, Nõ enim ipse ingemuit quòd opus illi esset cum gemitu aliquid petere à patre,cùm cuncta petẽtibus donet cum patre.Postremùm,qui se suscipiendo in cœlum, & ingemiscendo verum hominem ostendit, iam & diuina se præditum potestate declarauit, cum imperatiuo vsus verbo dixit: Ephethah, quod est,adaperire.Vbi sciendum imperatiuum hunc non esse Hebraicum,sed Chaldaicum aut Syriacum. Nam Hebraicè dicendum erat vel in Niphal, hoc est,Hippatheath,vel in Hipael Hitpatheath.Quorum neutrum similitudinẽ habet cũ eo quod habẽt Græca ἐφφαθά,& Latina exemplaria,effeta.Chaldaicè verò in imperatiuo passiuo dicitur Eppethah, quod Græcæ illi dictioni simillimum est,nisi quod nõ videtur aspiratio Heth in fine,quod eam non admittat Græcè scribendi ratio.Hic tamẽ imperatiuus Chaldaicus non est integer. Dicendum enim Christo integrè fuisse,Ethpethaph,sed ratio linguæ Chaldaicè habet, vt primum per Daghes initiali literæ inclusum absorbeatur, vt docet Munsterus in sua Grammatica. Hinc patet errasse quosdam qui putauerunt hunc imperatiuum esse Hebraicum ex verbis tertij ordinis.Sic enim dicẽdum erat Hiphthah vel Hiphtheath, nec esset passiuus, sed actiuus. Errant similiter qui putant

hanc dictionem Latinè sic esse scribendam Hephetah, quomodo nunc inuenitur in libris nostro seculo impressis. Nam, vt patet ex dictis, non debet scribi in principio cum aspiratione. Vnde Græcè est spiritus lenis ἐφφαθὰ pro quo Latinus non malè vertit effecta vel effata. Nam φ Græcum Latinis est f. Euangelista autem Chaldaicam vocem hic posuit, nō quod putauit Chaldaicæ voci aliquam inesse maiorem virtutem quàm cuiusuis alterius linguæ voci, sed ad admirationem virtutis Christi fecit, qui vna vocula communi, & per se nullius momenti tantum effecerit, vt duo simul mala auferret. Hæc enim dictio, quæ aperire significat, non ad aures tantùm referre debet de quibus mox subditur: Et statim apertæ sunt aures eius: sed etiam ad linguam quæ Hebraica phrasi dicitur aperiri, cùm ad loquendum, soluto eius vinculo, fit apta, iuxta illud: Aperta erit lingua mutorum. Et dicitur de Zacharia: Apertum est illico os eius, & lingua eius. Hebraica enim phrasi quod sublato vinculo soluitur aperiri dicitur. Vnde Isa. 52. hoc habemus: Solue vincula colli tui, pro solue, est Hebræis verbum quo hic vsus est Dominus. Et hic ergo postquam dixit Dominus: Adaperire: subiicitur: Et solutum est vinculum linguæ eius. Quæri autē potest quare Dominus iam singulari & speciali modo sit vsus in curatione huius surdi & muti. Et possunt eius duæ assignari rationes. Primò, vt ostenderet quā difficilis sit curatio eius qui secūdum animam surdus est & mutus, quemadmodum ingemiscendo, & in cœlum suscipiendo & lachymando suscitauit Lazarum, significans difficilem esse ad meliorem vitam reuocationem eius qui iam vitijs assuetus tacet vèluti sepultus. Secūdò, vt quæ deerant ex parte huius miseri & aliorum offerentium Dominus suppleret gemitu, suspectione in cœlum, & applicatione propriæ carnis & sputi, tanquā sancta instrumenta adhibēdo, instrueretque discipulos suos supplere quandoque orationibus & sactarum rerum adhibitione, ea quæ desunt ex parte aliorum. Nihil enim de fide & deuotione huius surdi apparet, & fortè etiam offerentium fides fuit imperfecta. In hūc ergo vsum sunt instituta sacramenta ecclesiastica, vt per ea supplerentur quo

Luc. 8.

Isa. 35.

quod alioqui deest. fidei & deuotioni hominum, atque in ipso baptismatis sacramento à Christi facto desumptæ sunt ex antiqua traditione similes ceremoniæ his quæ Christus hic legitur seruasse, vt & baptizādi aures & nares sputo digitis impositō contingantur, & dicatur ei: Effata, quod est, adaperire. Et bene quidē huiusmodi ceremoniæ hic adhibentur ex imitatione Christi, quandoquidē & in baptismate id fit pro salute spiritus, quod hic pro corporis curatione factum dicitur. Adducitur enim surdus & mutus, & pro eo deprecātur susceptores vt per sacerdotalē manum & verbum sacrum iā renatus, deinceps Dei verba & audiat & loquatur libēter. Fit autem id extra turbā & seorsum. Nō enim oportet prophanam multitudinem facere testem initiati euangelicæ, ne rideat quod nondum credit. Porrò apparet hunc surdum & mutum nō planè fuisse mutum, ita vt nihil omnino loqui potuerit ac proinde non à natura fuisse surdum, sed accidente. Nam suprà pro muto, Græcè est, μογιλάλον, hoc est, eum qui impeduæ linguæ aut balbum. Et hic post curationē dicitur: soluta est vinculum: hoc est, impedimētum linguæ eius, & loquebatur rectè. quo videtur significari, quòd prius quidem loquebatur, sed nō rectè, nec expeditè. Deinde si natura surdus fuisset & mutus, sublato vinculo linguæ, loqui adhuc non potuisset, nisi prius didicisset.

Et præcepit eis ne cui dicerent, &c.] Hoc Domini præceptum non seruantes nihil peccauerūt, sed potius id fecerunt quod debuerūt, eò magis suspicientes magnitudinē Iesu, ac magis per hoc prouocati vt apud omnes prædicarent, quod cum talia posset & præstaret, nō solum nihil exigeret premij, sed negotia quidem tam insignis facti cuperet frui. Vt enim est hominis verè benefici, non exigere laudem aut gratiam aliquā pro beneficio: ita grati est hominis, hoc impēsius referre gratiam, quòd qui beneficium dedit, nullam expectet gratiam. Itaque passim de Iesu isti prædicabant dicentes: *Bene omnia fecit.*] Quod certè elogium in solum Deum competit. Nemo est enim mortalium qui omnia bene facit, quia non est iustus qui nō peccet. Vnde Ecclesiast. trigesimo nono dicitur: Opera Domini vniuersa bo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

na valde. Quod autem pluraliter dicunt: *Surdos fecit audiri, & mutos loqui* cùm vnius tantùm iam curati facta sit mentio, dicendum pluralem numerum pro singulari positum. Aut ideo pluraliter dixisse, quia, vt ex Matthæo patet, hoc tempore turbæ obtulerũt multos mutos, cœcos, & claudos, eósque omnes Dominus curauit. Maximè autem dicendum Græca non habere, fecit sed ποιεῖ, id est, facit, vt sit: Surdos facit audire: quo significat eius potentiam ad efficiendum hoc quoties voluerit. Ex explicata autem hac historia secundum literam, patet satis quæ sint morales doctrinæ in hac historia. Docemur enim in offerentibus, quid valeat aliena fides & oratio, & quam solicitudinem debeamus his præstare qui sibi non sufficiunt. Docemur in Christo ortis, fugere plausus populares. Docemur in turba, DEI beneficia prædicare, & iustorũ laudes etiam illis inuitis non reticere, atque de salute proximorum gaudere, ac DEVM laudare. Quod vero ad mysticam historiæ pertinet tractationem, præterquã quod allegoricè per hunc surdum & mutum rectè intelligimus humanum genus designatum, quod CHRISTO in hunc mundum turbido mari similem aduenienti. Prophetis & Patriarchis orantibus recepit auditum & loquelam, idque per spiritum sanctum aures mentis contingentem tanquam digitum Dei, & per saliuam cœlestis sapientiæ prodeuntis ex ore altissimi, qua factum est, vt nobis sapiant quæ DEI sunt, & ea loqui libeat. Moraliter surdus iste & mutus designat eum qui nec aures habet ad audiendum sermonem Dei, sed obturatas habet in modum aspidis aduersus sapientis incantatoris vocem: nec linguam habet ad professionem propriæ turpitudinis ac diuinæ misericordiæ & bonitatis, sed tantùm ad obtrectationes, maledicentiam, stultiloquia, & id genus, ita vt loquatur quidem, sed non rectè. Talis igitur si sanandus erit, necesse est ab his qui rectè audire & loqui sciunt offeratur Domino, & his qui in tetris Domini vice funguntur, qui imprimis illum apprehensum è turba abducere debent, hoc est, à turbulentis cogitationibus, actibus & sermonibus inordinatis semouere, atque à lata via, per quam multi ambulant, reuocare

Moral. sensus

reuocare ad pusilli gregis consortiũ: deinde inserere digitos suos in aures eius atque saliua tangere linguam: quod fit cùm auocãtes à fiducia rerum fluxarum, hortantur ad doctrinam cœlestem, & fidem, in Christum quæ est ex auditu, cúmque saliua Euangelicæ sapientiæ ita afficiunt palatum eius & linguam, vt de rebus iam melius habeat iudicium, qui palatũ prius humana saliua vitiatũ habens peruersè de rebus iudicauit. Horum præterea est ingemiscere potius ob peccata aliena, quàm sæuire in ea dolere potius quàm irasci ac gemitu piisque precibus à Christo contendere miseri salutem: quæ tamẽ cũcta, nempe doctrinam & orationem, frustra facit doctor, nisi accedat Christi efficax illud præceptum, quo iubeat adaperiri aures mẽtis, & solui ligacula linguæ, nempe peccata & peccatorũ amor, vt iam fide per auditum suscepta, obediens factus diuinis mãdatis incipiat etiam iam rectè & recta loqui, qui prius malè loquebatur, sua scilicet peccata agnoscere & cõfiteri, ac quæ Dei sunt palam prædicare. Iã sicut hinc discimus quosdam male esse mutos & surdos, ita ex aliis scripturis discimus quosdam bene esse surdos & mutos qui scilicet aures suas non aperiunt obtrectationibus & prauis suggestionibus, nec os suum aperiũt cõtra maledicos & cõtra iudicia Domini, quomodo se surdum & mutum fuisse prædicat Psalmista: Ego, inquit, tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & nõ habens in ore suo redargutiones. *Psal. 37.*

DOMINICA XIII. POST TRINIT.

EVANGELIVM.

IN illo tẽpore, dixit Iesus discipulis suis: Beati oculi qui vidẽt, quæ vos videtis. Dico autẽ vobis, quod multi prophetæ & reges voluerũt videre quæ vos videtis, & nõ viderũt & audire, quæ vos auditis, & nõ audierũt. Et ecce quidã legisperitus surrexit tentãs eũ, & dicẽs: Magister, quid faciẽdo vitã æternã possidebo? At ille dixit ad eũ: In lege quid scriptum est? quomodo legis? Et ille respõdens dixit: Diliges Dominum *Luc. 10.*

minum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximũ tuũ sicut teipsum. Dixitque illi: Rectè respondisti: Hoc fac & vives. Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesũ: Et quis est proximus meus? Suscipiens autem Iesus dixit: Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones: qui etiam despoliauerunt eũ & plagis mulctis impositis, abierunt semiuuo relicto. Accidit autẽ, vt sacerdos quidã descenderet eadem via, & viso illo præteriit. Similiter & Leuita, cùm esset secus locum, & videret illũ, pertrãsiit. Samaritanus aũt quidã iter faciens, venit secus eũ & videns eũ, misericordia motus est, & appropinquans alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinũ: & imponẽs eũ in iumentũ suum, duxit in stabulum & curã eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait, Curam illius habe, & quodcunque supererogaueris, ego cùm rediero reddã tibi. Quis horum trium videtur proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illũ. Ait illi Iesus: Vade & tu fac similiter.

Incomparabilem potentiam Domini pariter & electiam, præcedentis Dominicæ Euangelium nobis ostẽdit, dum vnico verbulo duo simul in vnum miserum hominem, maxima beneficia designauit. Hodie prolixa nobis proponitur Domini series, ex eodẽ fonte dimanãs, in qua principio quidem discipulis cõcionatur deinde legisperito respondet, postremo paradigmate quodã generali, primùm quidem legisperiti superbiam retundit & arrogantiam, qua iustos tantum sibi proximos existimabat, tum vniuersi humani generis à primæua origine ad calcem vsque, statum proponit. Discipulis iucunda pariter & cõsolatoria loquitur. Scribam ad scripturas remittit, populum verò, cui datũ nõ erat nosse mysteria regni Dei, neq; cũ scribis scire scripturas, docet & veluti naso per similia trahit. Quo triplici ordine obseruato, non pœnitendam hinc quilibet vtilitatem, perspicuitatémque percipiet. In Christiana enim Republica tria est videre hominum genera, quorũ primi sunt in fide fecundi, atque ad opera bona studiosi, quales erãt Apostoli quos beatos hoc loco, Christus pronũciat. Secundi, Scribis & Pharisæis persimiles vocan-

vocantur hypocritæ, quia ad ostentationem tantũmodo omnia faciũt, quò appareãt aliis iustiores. Hos autem Dominus ad legem transmittit, præcipuè ad dilectionis mandata, Dei ac proximi, ex corde præstãda, vt de fucata sanctimonia, qua arroganter tumebant: legis præuaricatione conuicti, pudefiant. Meliorem enim cõditionem tales non merẽtur. Tertij, iiq; inter hos medij, neque calidi sunt neque frigidi, & vulgus Christianorum designãt, quib' nec fernor est Apostolicus, nec pharisaica hypocrisi sunt contaminati, sed similes sunt homini, à latronibus spoliati sauciatiq; quibus nõ ineptè Euãgelica, parabola videtur accõmodari posse. Cæterùm quoniam in hoc etiam Euãgelio tribus principibus summisque capitibus nostræ religionis, fide, amore & dilectione proximi disseritur, in quib' salutis nostra corda versatur rei, de qua dicturi sumus, magnitudo requirit, vt attentis animis ac auribus, iam me concionantem, obseruetis.

Beati oculi qui vident, quæ vos videtis.] Differentiã Dominus perficit inter discipulos suos & alios, ostẽdens ipsorum beatitudinem & fœlicitatem nõ solùm ex comparatione cũ reprobis Iudæis, sed etiã ex collatione ipsorum cũ sanctis prophetis & iustis hominib. Quæ beatitudo vt rectè intelligat', oportet per oculos vidẽtes & aures audiẽtes, nõ solùm intelligẽte oculos & aures corporales. Sic cũ & incredulis Iudæis eadẽ cõpeteret beatitudo quæ ipsis Apostolis. Nec tutum tãtùm oculos & aures spirituales, quia his prohetæ & iusti etiam viderunt & audierunt eadẽ quæ Apostoli: Abraham enim, inquit, Dominus exultauit vt videret diem meũ, & vidit & gauisus est. Sed oportet hic quemadmodum & in præcedẽtibus, quod dicitur de oculis & auribus, simul intelligere de auribus ac oculis corporalibus & spiritalibus, vt quẽadmodum in superioribus oculi non videntes, & aures non audientes sunt oculi & aures quib' corporaliter visa & audita nõ intelliguntur: ita oculi videntes & aures audientes sint quibus corporaliter visa & audita intelligũtur. Itaque discipulos Iudæis præfert incredulis ob mẽus spiritua-

lem

lem visionem: prophetis vero ob corporalem visionem. Notandum autem, quod Dominus non dixerit solum prophetas & iustos cupiuisse videre & audire quæ dicipuli viderunt & audierunt, nec tantum dicit multos cupiuisse videre, sed multi, inquit, prophetæ & iusti. Lucas vero, multi prophetæ & reges. Sic enim significatur incomparabilis gratia discipulis facta, vt quibus nulla vel dignitate eximia, vel rara sapientia aut iustitia insignibus ea sint concessa, quæ plerique Domino commendati & hominibus, ac diuinorum cognitione, aut insigni iustitia, aut regali dignitate diuinitus eis cõcessa celebres nõ sunt assecuti, etiamsi illud sum mopere superent. Quia enim gloriæ Dei studebant, & salutis tum suæ, tum omnium auidissimi erant, ideo perpetuis eisdémq; ardentissimis votis aduentum Christi optabãt & orabant, per cuius aduentum ampliore Dei cognitione reuelata, ac redemptione humani generis peracta, gloria Dei maximè erat illustranda, ac salus ad quãplurimos peruentura.

Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum & dicẽs &c.] Hic legisperitus audiẽs Dominum proprio more de vita æterna & regno cœlorum disserẽtem, adiit Dominum non discendi quidem animo, sed tentandi, nimirum experiri volens quid responderet, num fortè aliquid legi contrarium dicturus esset ad vitam æternam, quam prædicabat. consequendam expediens: an aliquid minus dicturus esset, quã ipsemet ex legis intima cognitione intellexerat ad vitam æternam quam maximè expedire & sufficere. Phariszos enim & Scribas sibi in eo placuisse, quod intelligerẽt maximum omnium mãdatorum esse illud quod scribitur Deutero. 6. ac speraisse Dominum illud ignoraturum, patet ex eo quod postea quidem legisdoctor eum interrogauit tentando: Quod esset mandatum magnum in lege, vt scribitur Matt. 22. & Marci 12. Illum enim legisperitum nõ fuisse eundem cum illo, quemadmodum tamen putauit Eraim⁹. vel ex eo præter alia satis patet, quod ibi Dominus respõdet duo maxima mãdata, hic verò ipse legisperitus. Quamquam verisimile sit Lucã alterius illius legisperiti non fecisse cum Matthæo & Marco mentionem,

nem, quod hoc loco de alio legisperito similia narrasset, satis habẽs prima legis mandata semel commemorasse. Quærit autem iste Scriba non vt ille apud Matthæum, quod sit mandatum magnum in lege: sed quid faciendo, inquit, vitam æternam possidebo. Quam eandem quæstionem etiam postea Lucas capite decimoseptimo commemorat Domino propositam, non à Scriba sed à principe quodam diuite, quẽ adolescentem fuisse Matthæus testatur, neque tentandi animo, sed discendi. Porrò quoniam hic scriba Dominum tẽtando interrogauit, & de lege tẽtauit, commodè Dominus ipsum ad legem remittit, & conatum illius repellens, dum ostendit se legi nõ contrariũ, & simul illũ arguẽs, quod illud ab alio interrogaret, quod ab ipso alij discere debebat, ac proinde notans illũ interrogãtem vel nescire, quod scire ex nominis professione teneretur, vel non simplici sed subdolo animo interrogare quod sciret. In lege, inquit: quid scriptũ est. Quomodo tu legis in ea scriptũ esse, qui legisdoctor appellaris, Quasi dicat: Nõ est quod existimes alia te auditurũ ex me quã quæ in lege continentur. Ea cùm scire teneatis, mirũ est te interrogare quasi nescias.

Ille respondens dixit Diliges Dominum Deũ tuũ ex toto &c.] Hinc colligere licet etiã scribas iam intellexisse duo esse precipua legis præcepta, in quibus vt Dominus postea dicit, continerẽtur tota lex & prophetæ. Cæterum vt ad primi præcepti de quo varia scribũtur, veram perueniamus intelligentiam, imprimis sciendum Lutherum ob malam eius intelligentiam asseruisse hoc præceptum, sicut & illud: Non concupisces: homini esse impossibile, nec posse ab homine impleri in hac vita, eò quòd fieri non possit quin in hac vita homo alia amet præter Deam, quem proinde nõ possit diligere ex toto corde. Rursum quia non potest fieri vt homo diligat Deũ concupiscẽtia & affectu carnis, vt quæ semper voluntati diuine contranitatur, & proinde fieri non possit vt ex hominibus viribus animæ Deũ diligat. Hinc autẽ vlterius docuit, hominẽ in omni etiam opere bono sẽper peccare, quod in omni opere absit hæc totalis & perfecta Dei dilectio. Porrò suam de hoc primo præcepto

Lutheri error.

sententiã confirmat autoritate Diui Augustini, qui in quibusdam locis docet hoc præceptum non perfici nec impleri in hac vita, sed implendum in vita futua. Nam libro de perfectione iustitiæ sic habet: In plenitudine charitatis (loquitur de charitate futuræ vitæ) præceptũ illud implebitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Nam cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frenetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus. similia habet Diuus Augustinus in plerisque locis de præcepto: Non concupisces: quod in hac vita asserit non impleri, quod sine concupiscẽtia non possimus esse. Vt ergo intelligamus quam male blasphemam hãc suam doctrinam & ex huius præcepti verbis, & ex Diuo Augustino Lutherus comprobare nisus sit sciendum præceptum hoc dupliciter intelligi posse, idque rursum ex duplici parte. nempe ex parte verbi, diliges, & ex parte dictionis, totus vel omnis. Nam verbũ, diliges: (quod hic Hebraica phrasi positũ est pro imperatiuo dilige) accipi potest, vel vt eo precipiatur specialiter actus & operatio atq; affectio volũtatis que dilectio dicitur, qua homo feratur affectu & actu in Deum tanquam rem summè bonam, vt hoc mandatũ dilectionis sit speciale mandatum, singularem quendam voluntatis actum & affectũ erga Deũ exigens. Vel potest accipi, vt nõ tantum actualis & interna illa affectio voluntatis eo verbo precipiatur, sed & dilectio que habitualis dicitur, & est in homine etiã cum de Deo non cogitat, nec in illum actu affectione fertur, tatione cuius habitualis dilectionis etiã omnia hominis opera quæ ex illa profluunt, pertinent ad mandatum dilectionis, ita vt sit generale mandatum, comprehendens omnia que Deo sunt placita, & ab eo præcepta. Sic & totalitas, de qua dicitur: ex toto corde & tota anima: dupliciter potest intelligi. Altero modo, vt significetur omnẽ vim animę intendendã ad dilectionẽ Dei, ita vt homo præter Deũ nihil diligat, & tantũ diligat, quãtũ ab eo est diligibilis. Altero, vt totus accipiatur vulgari modo, quo dicimus aliquẽ totũ esse in studiis, & toto corde studiis additũ esse, quia scilicet præcipua eius occupatio & cogitatio

gitatio in est studiis, nec aliud qd præter studia magno pere amat & curat, solis studiis intimè afficitur, reliquis verò frigidè & obiter. Itaq; si totalitas primo modo accipiatur, siue verbo, diliges, inteligatur precipi specialiter actualis volũtatis affectio, siue habitualis, & generaliter etiam omnis externa internæ dilectionis per opera demonstratio, certum est hoc præceptũ adimpleri in hac vita nõ posse. Fieri enim non potest, vt homo affectuali dilectione sit toto corde in Deũ feratur vt nihil aliud vel actu, vel habitu amet, aut tam perfecte eum complectatur quam amari ab eo potest, quod propter annexã concupiscentiam carnis, aliquid affectionis habeat cor ad ea quę sunt carnis & non Dei. Proinde non potest etiam impleri, si præter internam dilectionem imperatur generaliter etiam præcipi externa dilectionis opera cũ nec hęc sic toto corde ab homine fieri possint vt omnis vis cordis in ea intendat, cũ ex parte aliqua cor per carnis concupiscentiam vitiatum in contraria, nempe carnalia, saltẽ habitu feratur. Sic sanè de hoc præcepto tanquam generali mandato, locutus est Aug. lib. de perfect. iustitiæ, vbi dicit ipsum in hac vita non adimpleri. Affirmat enim esse generalem iussionẽ, sicut generalis prohibitio est: Non concupisces. Si vero totalitas secũdo modo intelligatur, nõ est dubium quin impleri possit hoc præceptũ, siue accipiatur vt sit speciale præceptũ, siue vt sit generale. Nã si intelligatur vt sit speciale præceptum, dilectionis scilicet actualis internæ, diligitur Deus ex toto corde cum, quis in Deum tanquã summũ bonum sic fertur affectu & voluntate, vt eum præponat vniuersis rebus cummutabilibus, ac pro supremo vitæ suæ fine eligat, quibuslibet carere malens quam Deo, ac summopere desiderans vt vniuerse totius vitæ actiones illi sint ad plenum subiectæ, etiamsi non ignoret id per carnis imbecillitatem nequaquam futurum. Sic quidam præceptum istud acipiunt, asserentes preceptum esse affirmatiuum, quod pro conditione preceptorum affirmatiuorum obligat semper, sed non pro semper, vt loquũtur, hoc est, omni tempore, sed non pro omni tempore. Proinde disputant quo tempore liget hoc præceptum, vt opus sit hunc affectum & voluntatis actum elicere &

Universidad de Deusto
Biblioteca

per eũ dicto modo ferri in Deũ: quod sanè vt est summè vtile homini & meritorium,ita difficillimũ ei qui nondum renunciauit carnalibus affectibus. Et quidã quidem existimant hoc præceptum implendũ à Christianis diebus Dominicis,quòd hi constituti sint vt in eis fideles mentem suam in Deũ eleuent;alij verò nullum tempus certum esse putant quo hunc actum homo obligetur,quamuis necesse sit eum aliquando Deo exhibere De quo latius in Cõfessionali Godscalci cap. 12. Si verò accipiatur hoc præceptũ vt generale mãdatum,non tam exigens actualem illam voluntatis affectionem quàm habitualem dilectionem cum operum bonorũ exhibitione quæ sint internæ dilectionis testi-

diligit tũc Deus ex toto corde,cũ quis ex intima & synceta erga Deum affectione occupatur potissimũ in his quæ Dei sunt,præ omnibus illi placere studens,ac solicitus vt non tantùm quędam Dei mandata perficiat, sed cuncta,sdque non segniter,nec tristi animo,sed grauiter & hilariter,dolẽs ex animo si quid vel ag[illegible]is,vel à se per carnis infirmitatem admittatur cõtrarium diuinæ voluntati. Id vt non ab omnibus æquè perfectè præstatur,ita non omnes qui Deũ ex toto diligũt corde,æquè perfectè diligunt,sed vnus alio magis. His præmissis distinctionibus,inquirẽdum an præceptum hoc secundum mentem legislatoris, & verùm scripturæ intellectum,intelligendum sit esse speciale an potius generale præceptum. Deinde vtro modo secũdum vsum scripturæ totalitas intelligi debeat in hoc præcepto. Quod ergo ad prius attinet,accipiẽdum hoc præceptum vt generale mandatum, non internam tãtùm & actualem præcipiẽs dilectionem, sed etiam habitualem atque externa opera,sicut & secũdũ dilectionis præceptum quod sequitur,patet quia Dominus in illis duobus præceptis dicit comprehendi totam legẽ & prophetas, hoc est,omnia præcepta. Deinde vt probat Diuus Bernardus sermone. 50. super Cantica,vbicunque in scripturis dilectio exigitur,non tam exigẽs dilectio affectũ quàm caritas operis. Cùm enim Dominus dixisset: Diligite inimicos vestros: mox velut indicare volẽs quomodo sint diligẽdi,infert de operib⁹: Benefacite his qui oderũt vos. Et de sui loquẽs dilectione

Præceptũ dilectionis an generale

si inquit

Si inquit,diligitis me,sermones meos seruate. Et si quis diligit me,sermonem meũ seruabit. Rursum,quæ aperte instituti probat Ioãnes dicit: Nõ diligamus verbo,neque lingua,sed opere & veritate: significans eam esse veram dilectionem,quæ in operibus cõsistit,atque eam exigi præceptis dilectionis. Vnde Bernardus: Est. inquit,charitas in actu,est & in affectu. Et de illa quidem quę operis est,puto datam esse legem hominibus mandatumque formatum. Hæc ille. Qui non ideo tãtùm videtur dicere mandatũ hoc potius de dilectione quæ in opere cõsistit,quàm de ea quæ in affectu est,intelligendum,quòd affectus dilectionis hic nõ possit esse perfectus, & proinde nõ ex toto corde,quia etiã dilectio quæ in opere cõsistit,hac ratione non po[illegible] perfecta. Sed videtur etiã ad hoc respexisse,quòd dilectio affectus actualis non possit in nobis esse perpetua nec diuturna,intelligẽs scilicet hoc præceptũ obligare pro omni tempore,atq; id includi in eo quod dicit ex toto corde. Sic ergo non implet hoc præceptum in affectu,impletur autem in habitu & externa operatione,cùm homo in omni operatione sua retinet habitualem dictionem quod tunc fit,cum nihil vult aut facit dilectioni Dei contrarium. Quod autẽ totalitas illa de qua in præcepto,secundo modo accipi debeat patet ex infinitis scripturis,quibus dicuntur aliqui sancti fecisse aliqd ex toto corde,& tota anima. De Dauid enim Dominus loquens ad Ieroboã,ait: Non fuisti sicut seruus meus Dauid,qui custodiuit mãdata mea,& secutus est me in toto corde suo,faciens quod placitũ esset in cõspectu meo. Ecce Dominus ipse dicit: Dauidem, qui tamen aliquando grauiter etiã peccauerat, in toto corde se secutum,dicturus proculdubio etiã ipsum dilexisse se in toto corde suo: cùm hoc sit Deo aliquẽ diligere ipsum in toto corde,sequi illũ in toto corde. Et idem Dauid nõ veretur ad Dᴇᴜᴍ dicere: In toto corde meo exquisiui. Et iterum: Deprecatus sum faciẽ tuã in toto corde meo. In toto corde meo scrutabor mãdata tua: Confitebor tibi Domine in toto corde meo: & similia multa,quæ qui intelligit,facilè etiam intelligit quomodo præcipiatur Deus diligendus ex toto corde,& quomodo quod præceptũ est impleri possit. Sicut

3. *Reg.* 14

Psal. 118.

autem exigit Dominus vt diligatur ex toto corde, ita etiá vt eũ quęramus ex toto corde. Deuter. enim 4. dicitur: Inueniens eũ, si tamen toto corde & tota tribulatione animæ tuæ quæsieris eũ. Quomodo quæsiuisse & ob id inuenisse Deum Iudęos tępore Asæ, testatur scriptura 2. Paralipo. 15. In omni, inquit, corde suo iurauerunt, & in tota voluntate quęsierunt eum & inuenerunt. De Iosia 4. Reg. 23. dicitur, quod reuersus sit ad Dominũ in omni corde suo & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi. Vbi tria illa ponuntur quę Deuter. 6. ponuntur in hoc dilectionis præcepto de quo nũc agim⁹, & præterea legẽ Moysi. An non hic dicitur Iosias dilexisse Deũ ex toto [illegible], &c. Quod certè de Dauide aperte dicitur Eccles. 47. vbi legim⁹: De omni corde suo laudauit Dominum, & dilexit Deum qui fecit illũ. Vbi illud: de omni corde suo, ad vtrumq; verbũ referẽdũ videtur. Alioqui nõ est specialis & singularis laus dixisse simpliciter De um. Sic de Dauide etiá dicit scriptura, quod totis viribus [illegible] ante Dominum. Et idem de se dicit: Ego totis viribus meis præparaui impensas domus Dei mei. Ex his aliisque multis euidentissimum est malè & cõtra scripturas Lutherum sic intellexisse hoc dilectionis præceptũ, vt nemo illud in hac vita impleuerit aut implere possit, accipiendo dictionem, totus primo modo, quomodo si in prædictis accipiat scripturis, falsa erunt omnia quæ in eis dicuntur. Ne minus deprauatè Augustinum pro se, adducit, ex quo suã quidẽ hausit sententiam, sed ad Augustini intentionem eam detorquens aliò. Augustinus enim intelligit quidem præceptũ hoc de totalitate primo modo, atque ob id asserit non posse in vita hac impleri, secutus forte eum huius præcepti intellectũ, (qui tamen visitato scripturę mori loquendi nõ conuenit) vt hoc præcepto reprimeret Pelagianorum errorem & inctantiam. Verum idem Augustinus docet mandatum hoc est intellectum, non esse homini infirmo sub pœna peccati mandatum, sed tantùm propositum vt scopum & finem, ad quẽ conari homo debeat vt aliquando perueniat. Idem docet

præcepto

præcepto: Non cõcupisces: quo ipse proprio intellectu intelligit non tantùm prohibitum ne concupiscentiis consentiamus sed etiam ne sit in nobis aliqua cõcupiscentia. Vnde in libro de perfectione iustitiæ, post verba superiùs posita sic sequitur: Tunc ergo erit iustus sine omni pecca to, quando nulla lex erit in mẽbris eius repugnans legi mẽtis eius, sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente diliget Deũ, q⁹ primum, summúmq; mãdatũ. Cur ergo non præciperet homini ista perfectio, quãuis eam in hac vita nemo habeat? Nõ enim rectè curritur, si quò currẽdum est nesciatur. Quomodo autẽ sciretur, si nullis præceptis ostẽderetur? Hic videre licet Augustinum primũ affirmare perfectionẽ illam iustitiæ præceptã esse hominis, [illegible] explicare rationem quia præcepta est, nẽpe non vt reũ faciat eum qui non præstat hanc perfectionem, quod tamen includitur in ratione præcepti proprie dicti, sed vt veluti præscriptum quoddam & ordinatio demonstret homini finẽ, ad quem in vitæ stadio conari debet & contẽdere. Sic de præcepto altero: Non concupisces: dicit lib. 1 de nup. & concup. cap. 29. Ad hoc ergo, inquit, dixit lex homini: Nõ cõcupisces: vt in eo præcepto sciret & quo debeat in hac mortalitate proficiẽdo conari, & quo possit in illa immortalitate beatissima peruenire. Nisi enim quandoque proficiendum esset, nunquam iubendum esset. Sic & Diuus Bernardus sermone prædicto, satis indicans se legisse hanc Diui Augustini sententiam, docet præceptum hoc, si de affectuali dilectione perfecta atque continua accipiantur possibile quidem esse, non tamen ad peccatũ obligare sed finem ad quem tendendum sit indicare: Cùm enim dixisse, lege Dei præcipi charitatem in actu & operatione, subiicit: Aut si placet tibi magis de affectuali datum fuisse mandatum, non inde contendo, dummodo nequiescas & tu mihi, quod minimè in vita ista ab aliquo hominũ possit vel potuerit adimpleri. Quis enim sibi arrogare id audeat, quod se Paulus ipse fatetur nõ comprehẽdisse? Nec latuit præceptorem præceptí põdus hominũ excedere vires, sed iudicauit vtile ex hoc ipso suæ illos insufficientiæ admoneri, & vt sciũt sanè

ad quem iustitiæ finem niti pro viribus oporteret. Ergo mandando impossibilia,non præuaricatores homines fecit,sed humiles, vt omne obstruatur,& subditus fiat omnis mundus Deo,&c.Ex quibus patet Augustinum & Bernardum,dum dicunt hoc præcepto impossibile aliquid homini præceptum, non loqui de præcepto propriè dicto cuius est reum facere eum qui ipsum non adimplet,sed vt præceptum dicatur omne præscriptum & ordinatio alicuius nos admonens, quomodo præscripta philosophorum præcepta dicuntur. Lutherus verò intelligens hoc præcepto perfectissimam dilectionem & iustitiam homini in hac vita impossibilem præcipi, voluit etiam ipsum sic intellectum [illegible] dici præceptum,sit peccet quisquis id non obseruet & implet,colligens proinde iustum in omni etiam bono opere peccare. Quàm impiam in Deum blasphemiam scriptura apertè condemnat asserens,onus Christi esse leue,& mandata eius non esse grania,multo ergo min⁹ impossibilia. Vnde diu⁹ Hieronymus ad Damasum ait: Execramur etiam eorum blasphemiam,qui dicunt impossibile aliquid homini præceptum esse,& mandata eius non à singulis posse seruari.Restat ostendere,quomodo sint intelligendæ & distinguendæ quatuor illæ partes quæ ponuntur in hoc præcepto,ex toto corde tuo,& ex tota anima tua & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. Nam pro horum explicatione & distinctione varia nimis dicuntur à variis.Proinde imprimis hic aduertendum,membra ista huius præcepti in diuersis scripturę locis in quibus præceptū hoc ponitur,diuersimodè tradi.Nam Deuteronomij sexto,vnde originaliter hoc mandatum desumptum est,tria tantùm ponūtur, scilicet ex toto corde,ex tota anima,& ex tota fortitudine.Pro fortitudine autē,Diu⁹ Hieronym⁹ 4.Reg 23. vbi etiā hæc tria ponuntur,vertit virtute. Matthæi. 22. ponunt duo horum scilicet,ex toto corde,& ex tota anima,& dimisso illo,ex tota fortitudine,ponitur tertiū ex tota mente Marci verò duodecimo ponuntur quatuor,nempe ex toto corde,ex tota anima,ex tota mēte & ex tota virtute,hoc est,fortitudine, Quæ quatuor etiam

etiam hic apud Lucam ponuntur, sed non eodem ordine, nec eisdem verbis in nostra quidem litera. Nam hic quarto loco ponitur,ex omni mente,apud eū Marcum tertio ponatur.Et cum ibi & in Deuteron.dicatur, ex tota virtute vel fortitudine: hic legimus, ex omnibus viribus tuis. Græcis tamen etiam hic est, quemadmodum in Marco & Deuteron. ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου id est,ex tota fortitudine vel virtute,vt certum sit id quod nos legimus, ex omnibus viribus,non intelligendum esse de viribus animæ,hoc est,potentiis, quomodo intellectum,affectum,memoriam, & alias animæ potentias vocamus animæ vires (quomodo tamen plerique intelligunt) sed simpliciter, ex omnibus viribus, accipiendum pro eo quod est, ex tota fortitudine,& [illegible] dici solet,pro virili, quomodo dicimus aliquem totis viribus alicui rei incumbere, hoc est pro virili date rei operam. Porrò pro tertiò illo quod est in Deuteron. ex tota fortitudine tua:Hebræi quidem vertendum putant,ex tota substantia,vel diuitiis tuis, secuti Thargum,quod habet substantiam.Itáque tria illa quæ [illegible] nuntur in Deuteron. sic distinguunt, vt primùm præcipiatur Deus diligi ex toto corde, quia cor est q̄ opus bonum vel malum facit. Deinde ex tota anima, vt etiam si causa requirat, non trepides pro eo exponere animam, hoc est, corporalem vitam.Postremùm, ex tota substantia tua, vt scilicet potius omnium rerum tuarum dispendium incurrere velis, quàm ab amore Dei deflectere.Verùm magis est acquiescendū intelligentiæ Euangelistarum,imò ipsius Christi, qui pro tertio illo verbo habet: ex tota fortitudine tua. Et certè si Hebræa dictio bene obseruetur, propriè significat vehementiam,vt sit sensus, ex tota vehementia tua. Et si quidem hæc pars bene obseruetur, intelligetur ex ea satis quod supra dictum est,præceptum hoc nō obligare ad perfectissimam illam dilectionem, quam quidam hic volunt præceptam,cùm ea tantùm præcipiatur quā vires nostræ ferunt,& proinde quæ nobis possibilis est. Nostri has partes variè intelligunt & distinguunt.Nam D.Thomas per cor,quod primo ponitur loco,voluntatem intelligit:per reliqua autem tria,tria actuum principia

Universidad de Deusto
Biblioteca

cipia quæ mouentur à voluntate, intellectum scilicet, qui per mentem significatur: appetitum inferiorem, qui per animam: vim executiuam exteriorem, quæ per virtutem seu fortitudinem aut vires, vt præcipiatur nobis Deus diligendus sic, vt tota nostra intētio in Deum feratur, quod est, ex toto corde: & intellectus noster subdatur Deo, quod est, ex tota mente: & appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est, ex tota anima: & exterior noster actus obediat Deo, quod est, ex tota fortitudine. Chrysostomus verò super Matthæum accipit contrario modo quàm dictum est, cor & animam. Aug. lib. 1. de doct. Christian. refert cor ad cogitationes, animam ad vitam, mentem ad intellectum. Quidam dicūt [illegible] o corde, id est, intellectu: anima, id est, voluntate: [illegible]mente, id est, memoria. Secūdum Gregorium Nisenum cor significat animam vegetabilem, anima sensitiuam, mēs intellectiuam, vt significetur debere nos ad Deum referre, quòd nutrimur, sentimus, & intelligimus. Hæc Diuus Thomas 2.2 quæst. 4. 4. articulo 5. Sunt & alij [illegible] quibus plerique hæc distingunt, vt quisque ferè proprium quid sit secutus. Cæterum cùm ex tanta varietate nihil certi possit haberi, magis videndum quid scripturis sit conforme, ex quibus obseruatis dicendum videtur non esse curiosè assignandam harum partium distinctionem, sed siue tres, siue quatuor partes ponantur, in hoc præcepto idem semper significari, nec aliud per plures partes, quàm si solùm dictum esset: Diliges Deum ex toto corde tuo. Nam in hac parte reliqua includuntur, quæ non nisi maioris explicationis gratia adiecta videntur, ob quod factum est vt non semper eadem, nec æquè multa fiat apposita. Quod enim in illo, ex toto corde, reliqua includūtur, patet quia in scripturis aliquando illud solum ponitur, aliquando additur secundum nempe ex tota anima, aliquando verò etiam tertium, ex tota fortitudine tua, cùm tamē semper idem scriptura velit significare. Nam, vt suprà citatum est, Dauid dicitur in toto corde securus Dominum: Iosias verò ex toto corde, anima & virtute, cùm nihil minus significare voluerit scriptura de Dauide quàm de Iosia. Et Deuteron. 4. dicit Dominus se inueniendum, sit tamen

Quid ex toto corde

mē quæratur in toto corde & in tota tribulatione animæ, vel, vt habent Hebræa, in tota anima. & 1. Reg. 7. Samuel tantùm exigit vt reuertantur ad Dominum ex toto corde, idem tamē proculdubio exigens quod Moses. Itaque in hoc etiam dilectionis præcepto, ad illud ex toto corde, maioris emphasis & declarationis causi addita sunt nunc duo, nunc tria. Cordis enim nomine, & affectus & intellectus includitur, proinde ad illius explicationem additur, ex anima & ex mente: quorum illud affectum significat, istud intellectum. Vnde apud Marcum pro mente habemus intellectum. Rursum ad hoc vt toto corde dicatur quis aliquid facere, necesse est pro virili faciat, vnde adiectum est explicationis gratia, ex tota fortitudine tua. Quo autem melius [illegible]gatur quid sit diligere Deum ex toto corde, obseruādus est locus vnus, qui est 4. Reg. 10. vbi dicitur Iehu fecisse quod rectū erat & placuit in oculis Dei, & omnia quæ erāt in corde Dei fecisse contra domum Achab, nō tamē ambulasse in lege Domini Dei Israel in toto corde suo, quòd non recesserit à peccatis Ieroboam. Hinc enim discimus illum non diligere Deum in toto corde qui non studet omnia eius præcepta adimplere. Itaque præceptū hoc sic explicari poterit: Diliges Dominum Deum tuum, & cæt. hoc est, Non tantùm timeas Dominum Deum tuum, sed etiam diligas, idque non lingua tantùm & verbo, (quemadmodum de quibusdam dicitur, dilexerūt eum in ore suo, cor autem eorū non erat rectum coram eo) sed etiam ex corde, neque corde diuiso aut remisso: sed corde toto, integro & perfecto. Quod vt verè præstes, ante omnia requiritur vt perpensa Dei erga homines bonitate summa, eiūsque æquitate & perfectione animaduerta, sic toto affectu in illum tāquam summum bonum feraris, vt nihil illi in amore præponas, aut in amoris societatem & æqualitatem admittas, sed illum præ omnibus intimè ames: reliqua verò propter illum, aut saltem nō contra eius voluntatem aut præceptum. Deinde, vt mente & cogitatione sic circa illū occuperis, vt in omnibus vijs tuis illum cogites, omnium tuarum seriarū actionum & studiorum illum tibi finem præstituens, & nunquam illius

Pſal. 77.

Prouer. 3.

penitus obliuiscens, sed semper solicitè cogitans de mãdatis eius, ac in lege eius meditans die ac nocte Postremùm, vt quæ nouisti illi esse grata quem interna dilectione prosequeris, exequi studeas, idq; nõ ex parte, sed ex toto, nec frigidè, negligẽter, aut animo tristi, sed pro virili, & quantum humanæ vires ferre possunt, omni cum diligentia & sedulitate, solicitus ne quid prætermittas eorum quæ tibi ab eo sunt præcepta. Hoc modo si Deum dilexeris ex toto corde, necesse quoq; est illum propter se diligas potissimum, non autem præcipuè ob bonum ab eo tibi consequẽdũ, nec teipsum plus quàm illum diligas: necesse item vt non tantùm omnium rerum temporalium iacturam, sed etiam vitæ propter il-

...ne fis paratus: & si res exegerit, etiam feras potius quàm illum offendas, nec illa plus quàm Deũ diligere arguaris. Rursum, vt Dei honorem in omnibus & ante omnia desideres & spectes, cum id sit diligere amico bene velle, Deo autem nihil optari potest boni nisi honor. Deinde, vt quæcũque Dei sunt ames, eisque bene

...ciaris, & contrà quæ Deo sunt ingrata, perfecto ódio prosequaris, adeo vt te maximè torqueat improborum derelinquẽtium legem Dei vita, nec alia vlla re magis animo displicueris, quàm dum cõtingit te in aliquo Deum offendisse, (vt nemo viuit sine peccato) aut q nõ perfectius eius volũtati obsecundes. Postremó, vt zelo accensus his pro viribus resistere studeas quæ honori diuino derogant. Ex qua explicatione patet & quã generale sit hoc mandatum, & quàm pauci sint qui illud præstent. Sed tempus est vt ad secundum mandatum explicandum deueniamus.

Et *proximum tuum sicut teipsum.*] Sicut in primo præcepto duo præcipiuntur, scilicet diligere Deum, & modus diligendi, nempe ex toto corde, &c. ita in hoc præcepto, quod desumptum est ex Leuitici 19. duo etiam præcipiuntur, nempe diligere proximum, & modus dilectionis sicut teipsum. Circa quem modum, notãdum est non dici, dilige proximum tuum quantum teipsum, quia ordo naturæ & charitatis (de qua scriptum est ordinauit in me charitatem) habet vt plus me quàm proximum diligam. Sed dicitur, sicut teipsum, hoc est, eo modo

Cap. 2.

modo quo teipsum diligis. Hũc autem modũ in tribus *Modus*
docet cõsistere D. Thomas secunda secundæ quæstione *quo proxi*
44. articulo 7. nimirũ vt quis proximum diligat sanctè *mus dili-*
iustè & verè. Sanctè, vt scilicet proximum quis diligat *gendus*
propter Deum, sicut seipsum debet propter Deum diligere. Iustè, vt non condescendat proximo in malis, sed tantùm in bonis, sicut & suæ voluntati satisfacere homo solùm in bonis debet. Verè, vt non diligat aliquis proximum propter propriam vtilitatem vel delectationẽ, sed ea ratione velit proximo bene quia sibi, ex amore scilicet amicitiæ, non amore concupiscentiæ. Verùm hos non esse modos à scriptura intẽtos, cùm præcipitur quisque proximum diligere sicut seipsum, patet imprimis, maximè quoad primum modum quia cùm dic.

Dilige proximum tuum sicut teipsum: non præcipitur propria dilectio & eius modus, sed præsupponitur. Nõ est enim sensus: Dilige proximum sicut teipsum diligere debes, sed sicut teipsum diligis præsupponitur ergo propria dilectio & eius modus, tanquam certa & indubitata, atque ea constituituitur vt regula & exemplũ dilectionis proximi. Non potest autem intelligi præsupponi ille propriæ dilectionis modus, quo quis seipsum diligat propter Deum, cùm ille modus nõ sit certus & indubitatus, multis hoc modo non diligẽtibus seipsos, ac proinde prius præcipiendus fuisset ille modus diligendi seipsum, antequam præciperetur: Dilige proximum sicut teipsum. Cõsequitur ergo qnòd hic præsupponatur dilectio propria, naturalis, & eius modus, hoc est, dilectio propria talis qua quis seipsum diligit naturaliter sic, vt velit sibi bonum, nolit sibi malum: velit alios sibi benefacere, nolit ipsos sibi malefacere. De qua dilectione & dilectionis modo nõ erat nobis respectu nostri aliquod dãdum præceptũ. Hic ergo est etiã modus, quo ad exemplũ propriæ dilectionis iubemur diligere proximum, vt scilicet etiam illi velimus bona obuenire, mala nolimus, vtque tempore & loco opportunis illi studeamus benefacere, semperque caueamus malefacere. Atque hũc esse modum de quo præceptum est intelligendũ patet, ex eo quod Dominus hoc præceptum Matthæi 7. sic aliis verbis explicauit: Omnia

quæcunque

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæcunque vultis vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis. Quod enim hac sententia velut explicauerit istud dilectionis proximi præceptū, patet ex eo q̃ subiūgit: Hæc est enim lex & Prophetæ: quod Matthæi 22. dicit de duobus istis dilectionis præceptis, & Paul⁹ ad Romanos 13. de præcepto dilectionis proximi: Qui, inquit, diligit proximum, legem impleuit, & Plenitudo legis, est dilectio. Et si autem modus quo ad exemplū, *Ibidem* proprię dilectionis proximus est diligendus, is potissimùm & primò sit intelligendus qui Dominica illa sententia significatur, & ex consequenti etiam ille modus *Thobiæ* qui negatiua illa Tobiæ sententia indicatur: Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu alteri aliquando facias: etiam simul in modo dilectionis intelligitur rectè id quod apud D. Thomã tertiò ponitur loco, videlicet vt amicè proximū diligat homo, sicut seipsū diligit, & propter illius bonum proximum diligat. Alioqui si proximum diligat propter bonum quod ab eo sibi prouenit, non tam proximum quam se diligit. Similiter & quod apud D. Thomam secundo ponitur loco, videlicet vt iustè proximū diligat, sicut seipsum iustè diligit dilectione naturali, quæ hic præsupponitur, qua homo non vult sibi in aliquo malo condescendere. Nõ enim hic præsupponitur quæuis sui dilectio, quia non dilectio sui corrupta, qua homo sibi malum aliquod vult, aut sibi ipsi malè facit. Quãquam hic modus iustè scilicet & debitè diligendi tum seipsum tũ proximũ, magis intelligendus sit cõtineri & præcipi primo dilectionis mandato: Diliges Deum ex toto corde tuo: sicut modus diligendi tum se, tum proximum propter Deum, eodem mandato comprehenditur, quia in eo includitur, vt quæcunque præter Deum diliguntur rectè propter Deum sint diligenda. D. Augustinus dilectionem sui putat satis præceptã primò præcepto. Sic enim habet epistola 52. Cum illa dilectione quam diuina lex imperat debeat homo diligere Deũ, & seipsum & proximum, non tamen ex hoc tria præcepta data sunt, nec dictum est: in his tribus, sed in his duobus præceptis tota ex pendet & Prophetæ, videlicet vt intelligeretur nullam esse aliam dilectionem qua quisque diligit seipsum

seipsum nisi quod diligit Deum. Qui enim aliter se diligit potius se odisse dicendus est. Quia igitur nemo nisi diligendo Deum, diligit seipsum, non opus erat vt dato de Dei dilectione præcepto seipsum homo diligere iuberetur, cùm in eo diligat seipsum quod diligit Deũ. Debet ergo & proximum diligere tanquam seipsum, vt quem potuerit hominem vel beneficentiæ consolatione, vel informatione doctrinę vel coertione disciplinę adducat ad colendum Deum. Hæc ille. Porrò quẽadmodũ in primo præcepto, ita etiã in hoc verbũ, diliges, accipiendum, nõ tantùm vt actualẽ vel habitualem voluntatis affectionem designet, sed vt etiam cõprehendat externa opera proximo ex huiusmodi affectione exhibenda, vt satis manifestum est ex parabola quàm Dominus, subiungit, qua docet quomodo proximus sit diligendus. Et rursum ex Paulo dicẽte: Qui diligit proximum, legem impleuit. Quid autem per proximum sit intelligendum, & ex parabola patebit. Itaque præceptum hoc sic latius explicari potest: Non solùm non odies proximum tuũ, hoc est, quemuis hominẽ cum quo tibi aliquid est negotij, & qui tibi quauis ratione adiunctus est; sed etiam diliges idque non ficta dilectione, verbo scilicet & lingua, neque otiosa, aut imperfecta, sed si non quantum teipsum tamẽ eo modo quo teipsum naturaliter diligis, vt quemadmodũ tibi bene esse cupis, & bene facis, aliosque tibi benefacere vis: ita & proximo ex verò affectu bene esse cupias, nec cupias tantùm, sed etiam quantum in te est tempore & loco opportunis benefacias, tũ in corporalibus, tum in spiritualibus rebus. Sic quẽadmodum tibi non cupis esse malè, nec alios tibi vis malefacere: ita nec illi malè esse cupias, nec vnquã quibusuis in rebus siue fortunæ, siue corporis siue animi male facias. Rursum quomodo tibi bene vis propter tuam vtilitatẽ & salutem, ita & illi bene velis non propter tuã, sed illius vtilitatem & salutẽ. Qualem sanè proximi dilectionẽ necesse est etiam cõsequatur & dolor, mala quę proximo accidũt, & gaudium ob bona quæ obueniunt, & zelus contra eos qui aut mala inferre parant aut bona auferre & impedire, quemadmodum hæc consequuntur *Rom. 13*

tut propriam tui ipsis dilectionem.

Dixitq; illi Rectè respondisse. Hoc fac & viues.]Approbat primum Dominus eius responsionem, dicens: Rectè respondisti, Nam, vt postea dicit, in duobus illis mãdatis vniuersa lex pendet & Prophetæ. Deinde ad id quod rectè dictum erat, etiam faciẽdum hortatur, dicens: Hoc fac & viues: quasi dicat: Non satis tibi esse putes quod quid sit optimum, scias præ aliis, sed hoc quod optimè respondisti, etiam opere adimple, & viues vita æterna de qua quæsiisti: quæ hic quidem incipit per gratiam, & perficitur per futuram gloriã. Non enim sufficit ad vitam legis cognitio, sed obseruatio. Itaque hac sua responsione Dominus ostendit propositæ quæstioni satisfactum esse ac se non esse legi in sua doctrina contrarium supercilium quoque Scribæ & gloriationem reprimit vt quem à legis cognitione de qua sibi placebat, ad opera vocabat.

Ille autẽ volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum]Quemadmodum Scriba ille, qui postea Dominum tentans interrogauit de primo mãdato legis, audita Domini prudenti responsione, ea commotus, deposito tentandi animo, syncerè Domini probauit responsum, ita vt ei diceret Dominus, vt est apud Marcũ: Non lõgè es à regno Dei: ita & hic laudatus à Domino quod rectè respõdisset, & verbis Domini commotus, intelligi posset, deposito tentandi animo, Dominum iam secundo interrogasse bono animo, vt ab ipso doceretur quis esset eius proximus, cupiens cognoscere nũ illud præceptũ impleuisset necne, vt illud: volens iustificare seipsum: in bonum exponatur, pro eo φ est cupiẽs ex animo sibi iustitiam accumulare, & iustus aut iustior quã erat fieri. Verũ communiter istud ab omnibus intelligitur malum idque rectius. Nã postea Lucæ 16. Dominus in coram hominibus. Itaq; iustificare hic positum est pro declarare & ostendere iustum. Quemadmodum enim superiori responsione se declauerat doctum, Domino approbante eius responsionem: ita iam se voluit monstrare etiã iustum. Nam cum expertus esset quod prior eius interrogatio tentatiua cessisset sibi ad gloriam doctrinæ

ẽtrinæ sperabat & hanc interrogationem sibi cessuram ad laudẽ vitæ. Et quis, inquit est meus proximus? Quod Theophylactus existimat eum interrogasse, quasi putauerit solum iustum iusto proximũ esse, se verò omnes antecellere virtute & iustitia, ac proinde nullum se habere sibi proximũ vt emphasis sit in pronomine, meus, & intelligatur iste voluisse seipsum iustificare, quia aliis se iustiorem monstrare voluerit. Rectius alij existimant istum putasse, proximos suos tantum esse iustos vel Israelitas, atque id respõsurum Dominum speraisse, seque hac ratione iustum declarandum, vt qui se exhibebat proximum iustorum & Israelitarum. Simplicius tamẽ fuerit intelligere istũ hac interrogatione se voluisse iustificare quia voluit declarare se solicitũ esse de diuinæ intelligentia, quod est iustorum. Sicut enim inter Iudæorum peritos apparet fuisse controuersiã de primis & maximè necessariis mandatis, ita etiam quis proximi nomine esset intelligendus, vnde per interrogationẽ eius de quo quæstio erat apud Iudæos voluit sibi probitatis nomen iste Scriba comparare, vt qui assiduè versaretur in lege Dei; & de ea intelligẽda esset solicitus. Significare ergo voluit Lucas istũ non interrogasse quæstionem hanc dicendi studio, aut vitæ meliores desiderio, sed tantum ostentationis gratia.

Suscipiẽs autẽ Iesus dixit: Homo quidã descẽdebat &c.] Malè legitur, suspiciens, quomodo qui legunt, intelligunt Dominum suspexisse in cœlum quòd de re magna locuturus esset, & cõpareretur calamitati humani generis de qua erat in parabola dicturus. Legendũ enim suscipiens, quomodo legitur etiam in antiquissimis Latinorum exemplaribus, nam Græcè est ὑπολαβὼν quod est suscipiens. Positum est autem suscipiens pro excipiens, & succedens in vicem respondendi. Ad quẽ modum dicit Vergilius: Excipis Ascanius. Et Zenophon: ἄλλος ὑπολαβὼν εἶπε. id est, & Gyrus suscipiẽs dixit: Itaq; significatur Dominum suscepisse propositã quæstionem, & ad eam respondere instituisse. Quod videri potest Euangelista dixisse, ad differentiã eius quod Dominus in prima fecit interrogatione, quando nõ suscepit quæstionem ad respondendum, sed eandem interrogantem reiecit. Verùm quoniam scriptor aliquis

indoctus

indoctus non intelligebat quid hoc loco significari, suscipiés mutauit illud in, suscipiés, quasi Dominus hæc dicturus suspexerit in cælum. Porrò parabola hæc qua Dñs tam vsus est, ab interpretib' diligenter explicatur de Christo & salute per illum humano generi præstita- videturq; D. Ambrosius existimasse hunc parabolæ intellectũ primò & propriè à Domino esse intentum. Vnde intelligit Dominũ per eam significare voluisse se esse illum proximum qui diligendus esset ab ominibus, & à Scriba quærente, quis est meus proximus, Verum cùm certum sit Dominũ in genere docere voluisse quis pro proximo habẽdus sit, oportet priusquam mysticus ille sensus quo parabola ad Christũ refertur, tractetur, ostẽdere quomodo parabola proposito Domini deseruiat & ad quæstionem legisperiti pertineat. Itaq; quonia Phariſæi & Scribæ proximi nomine, interpertabantur ferè significari suæ gentis homines, aut qui eis benefacerent ita vt huic legi adderẽt: Odio habebis inimicum tuum: hoc Dominus hac parabola indicat, proximum nõ cõciudi Iudaicis terminis, sed vnumquemque hominem sub hac appellatione comprehendendum. Non tamen Domino curę fuit simpliciter tantũ respondere ad propositam quæstionem, ei & satisfacere sed ãcepta occasione pro more plus docere voluit quam querebatur. Quoniã enim Iudæi de religione & pietate gloriabãtur ac Samaritanos veluti irreligiosos abominabantur nec vt proximos habebant, hac parabola simul ad reprimẽdum Iudæorum factum notare voluit illos gentilibus & Samaritnis in vera pietate, & dilectionis proximi obseruatione esse inferiores, cum inuentus sit Samaritanus illi misericordiã exibuisse, quem hi qui primas religionis partes in Iudaico populo obtinebãt sacerdos scilicet & Leuita preterierant indicans etiam veram pietatem & religionem magis cõsistere in subleuatione miserorum quam in externis ceremoniis de quibus sibi placebant sacerdotes & Leuite. Rursum quoniam Scribe magis studebãt intelligere quam seruare legem curiosè de dictionibus disputãtes Dominus hoc exẽplo proposito nõ tantum docere voluit quis proximus habendus sed & quomodo sit diligendus vnde concludens

ad imitationem prouocat, dicens: Tu fac similiter. Adhæc ergo omnia significanda Dominus appositam assumpsit parabolam, de qua dubitari potest num sit res gesta an non. Certè tanquam res gesta narrata est à Domino quemadmodum & aliæ quædã parabolæ, quæ tamen non acciderunt, sed appositè confictæ sunt ad id quod docendum erat. Primo ergo in hac parabola ob oculos ponit hominem valde miserum & miseratione dignum, locum conuenientẽ calamitati eius obseruans. Homo, inquit, quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho, (Hierusalem enim in montanis est locis, Iericho verò in conuallibus.) & in via incidit in latrones. Periculosus enim fuit locus inter Hierusalẽ & I[illegible] quemadmodum patet testimonio D. Hieronymi, qui in epistola ad Eustochium virginem, dicit inter Hierusalem & Iericho fuisse locum qui dictus est Adomim hoc est, sanguinum, quia multus in eo sanguis crebris latronum fundabatur incursibus Et scribens in Matth. cap. 20. dicit, multos latrones fuisse in Iericho. qui egredientes & descendentes de Hierusalem interficere & vulnerare consueuerunt. Itaque aptè hunc locum in sua narratione delegit Dominus. Duplicẽ autẽ hominis istius calamitatem notat, cùm subdit, latrones primũ spoliasse eum omnibus quæ habebat, ac deinde non hoc contentos etiam vulnera inflixisse, ita vt semiuiuus, aut, vt habent Græca, semimortuus, quamquam hoc idem sit, relinqueretur in via, mox perituru[illegible] si nemo succurreret, vt qui sibiipsi opem ferre, & medicum quærere non posset multis ergo nominibus hunc Dominus notat miseratione dignum, nempe quia homo, quia omnibus exutus, quia grauiter vulneratus, quia mox perituru[illegible], quia ab omnibus destitutus, postremùm, quòd sibi succurrere non valeret. Tam misero autem homine ob oculos posito, vt Iudæorum crudelitatem & immisericordiã graphicè depingeret, secundo loco producit sacerdotem & Leuitam, quorum maximè intereat huic misereri, tum quòd primas religionis partes sibi vendicarent tũ quòd hic homo in eorum regione inuentus esset, imò etiam Iudæus esset atq; Hierosolymitanus, quemadmodum satis indicatur cùm è Hierusalẽ descendisse dicitur in

Iericho, qui tamen nulla erga tam miserum commoti sunt misericordia. Accidit, inquit, vt sacerdos quidã descenderet per eandem viã, & cùm vidisset illum non solùm nullum impendit beneficium, sed sine etiam commiseratione prꝫteriit, cùm & ob religionis professionem potissimùm debuisset præstitisse Dei præceptum, cuius obseruatio illi gratior est quàm victima & holocausta & ob generis ac ciuitatis vinculum maximè erga illum misericordia moueri. Post hæc accidit, vt eadem transiret Leuita quidam à quo merito quis item expectasset obseruationem præcepti diuini, quod deditus templo frequenter sacris operaretur. Sed & is quo[illegible]o saucio præteriit, neque quicquam opis attulit [illegible] & populari suo. Hac autem narratione cùm iam Dominus Iudæorum crudilitatem & præposteram religionem notasset, è regione intolerandæ huiusmodi in sacerdote & Leuita crudelitatis, opponit tertio loco summam humanitatem eius à quo minimè illa expect[illegible]la videbatur, ita vt ex hac oppositione magis & illorum crudelitas, & istius humanitas ostendatur. Itaque Samaritanum introducit, quales præ omnibus gentibus Iudæi maximè auersabantur, sicut & illi Iudæos, vt à Samaritano minimè expectanda videretur tanta humanitas Iudæo homini exhibita. Samaritanus, inquit, quidam dum iter faceret, venit iuxta eum, & cùm vidisset eum, mox misericordia motus est erga eum etsi Iudæum, cùm ipse esset Samaritanus. Nec tantùm misertus est, sed neglecto itineris dispendio, propius accessit, & obligauit vulnera eius, infundens prius oleum & vinum, quæ fortè secum pro viatico assumpserat, quorũ commistura vulneribus curandis commoda erat, quod oleum sit lenitiuum, vinum verò malorum humorum arrosiuum. Nec hoc officio contentus, imposuit illum in iumentum suum, ac deportauit in stabulum, hoc est, diuersorium & hospitium meritorium, ne quis intelligat de stabulo iumentorum. Nam Græcè est πανδοχεῖον, vox hinc dicta, quod quoslibet recipiat, quod Latini vocant diuersorium meritorium, aut etiam stabulũ à standō & quiescendo, quod nomen apud Cyprianum libr. 3. epistola. 13. ponitur pro diuersorio. Deductum autẽ hominem

minem in suum diuersorium, etiam diligentius curare studuit, aduocans scilicet chirurgum. Et cùm altera die itineris necessitas vrgeret, nondum tamen satisfactum sibi putabat, nec illum hospitii proprio sumptu curandum reliquit, sed prolatis duobus denariis dedit stabulario id est hospiti meritorio, vt tantisper illius curam haberet, quousque ipse peracto itinere rediisset, dicens: Habes pretium, de meo cura hunc, & quicquid vltra summam hanc impenderis, non peribit tibi, sed ego reuersus resoluam. His omnibus cùm Dominus pulchrè exaggerasset huius humanitatem, subiecit: Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? Circa quàm tamen Domini interrogationem occurrit difficultas, primum quia Dominus significat reliquos præter Samaritanum non fuisse proximos ei qui incidit in latrones: quod si verum esset, non debuissent illum diligere, & à peccato erant immunes. Deinde, quia per verba hæc videtur Dominus eò deuersus resoluam. His omnibus cùm Dominus pulchrè exaggerasset huius humanitatem, subiecit: Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? Circa quàm tamen Domini interrogationem occurrit difficultas, primum quia Dominus significat reliquos præter Samaritanum non fuisse proximos ei qui incidit in latrones: quod si verum esset, non debuissent illum diligere, & à peccato erant immunes. Deinde, quia per verba hæc videtur Dominus eò dixisse parabolam istã, vt doceret eum solum esse proximum nobis, qui nos beneficio assecit, ac proinde talẽ solum diligendum, secundum illud præceptum: Diliges proximum tuum sicut teipsum: quod esset consentire cum Iudæorum doctrina, cui cõtrarium frequẽter Dominus docuit. Huic quidem difficultati locus non est, si cum Ambrosio intelligeretur Dominum ac parabola voluisse significare esse proximum illum qui sit à Scriba diligendus. Verùm cùm hæc non sit prima Domini intentio, nec huic intelligentiæ conueniat quod sequitur: Vade & tu fac similiter: non licet eò confugere, Dicendum ergo interrogationis Domini hunc esse sensum: Quis horum trium videtur tibi se exhibuisse proximum, & proximi officio functus erga eum qui incidit in latrones: vt nõ voluerit significare Dominus illos non fuisse proximos, sed non gessisse se tanquam proximos, nec agnouisse illum tanquam proximum. Postquã autem Dominus significauit, Samaritanum, etsi genere alienum, se proximum misero illi præbuisse, & illum pro suo proximo rectè agnouisse, illudq; Scriba ipse affirmauit, tum subiungens: Vade, & tu fac similiter: significat pro proximo habendum omnem eum qui opẽ nostra

stra indigeat, in quem incidere contingit sine discrimine gentis & personarum: nec simpliciter habendum, sed etiam dilectionem quàm proximo debemus, opere comprobandam, atq; in huiusmodi misericordia miseris exhibita putandum maiorem & solidiorem consistere pietatem, quàm in sacrificiis illis legalibus ob quę sacerdotes & Leuitæ se religiosos putabant. Itaque sensus illius, Vade, & tu fac similiter: est iste: Sicut hic Samaritanus, etsi à misero illo genere alienus, se proximum illi exhibuit, & pro proximo suo agnouit: ita & tu proximũ tuum agnoscito, in quemcunque incideris ope tua gẽ[illegible] nec satis sit tibi agnoscere eum tibi esse proximũ, [illegible] impleas dilectionis proximi præceptum, eum pro [illegible]us innato, atque ad Samaritani exemplum veriorem religionem existima sitam esse in iuuando miseros quàm in externorum sacrificiorum oblatione, ob quã sibi placent sacerdotes & Leuitæ, cum erga proximorũ miseriam nullo charitatis affectu moueantur, non aduc[illegible]ntes illud: Misericordiam volo, & non sacrificium. Illud enim Oseæ vt apertè Dominus Pharisæis & Scribis aliquando obiecit, ita nunc occultè per exemplum istud indicare voluit, & in memoriam reducere. Sic intellecta Domini interrogatione & vltima responsione, patet quomodo Dominus hac parabola aptissimè quod quærebatur, nempe quis esset proximus, doceat, & præter hoc etiam alia, ob quæ suprà diximus hoc exemplũ ab ipso assumptum. Porrò quamquam id parum ad rem facere videatur, sciendum illam Domini interrogationem quis horum trium &c. ex Græcis potius sic esse vertendam: Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse eius qui incidit in latrones, non illi, quemadmodum non est interrogatum, quis est mihi proximus, sed substantiuè, quis est meus proximus ita & per substantiuum Dominus responderit. Græcè enim est πλησίον γεγονέναι τοῦ ἐμπεσόντος. Illud, Vade, imperatiuus est Hebræorum more positus pro interiectione hortantis, Agedum. Cæterùm hac Domini parabola præmuniti esse debent sacerdotes religiosi apud Christianos ac quotquot præ aliis meritò sanctiores esse debent, ne in externis cæremoniis, quibus præ aliis [illegible]lus dediti

dediti esse debent, adeo fidant, vt interim negligant miseris pro viribus succurrere, ne & ipsi ab his qui prophani habentur, & minus sancti apud Deum in vera pietate inueniantur inferiores. Nam hac in parte etiam apud nos simile quid in quibusdam obseruare liceat, quale est quod in Iudęorum sacerdotibus notatur. Et hoc quidem pro parabolæ explicatione & accommodatione secundum primam Domini intentionem. Porrò quoniam tam accuratè hæc parabola à Domino est conficta, & in omnibus ferè suis parabolis Dominus præter id ad quod primò parabolæ assumuntur, mysteria quædam commendare voluerit nobis, non pot[illegible] videri vana (quemadmodum hodie quidam volut[illegible] parabolæ istius tractatio, qua ipsa de Christo exponitur, cùm omnia optimè quadrent ad mysterium redemptionis per Christum perfectæ explicandum & antiquissimi etiam patres, Hieronimus, Augustinus, Ambrosius, & alij de Christo eam intellexerint, vt credendum sit etiam hunc sensum Dominum in parabola intellexisse, & ab Apostolis per manus susceptum. Itaque per Samaritanum, de quo in parabola, Dominus se significauit, & rectè tum quòd à Iudæis velut Samaritanus contemneretur, & probari causa Samaritanus dictus esset: tum quòd id nomen, si significatum spectes, probè in ipsum quadrat. Significat enim custodem, à verbo Samar, quod est custodire. Samaritanus ergo erat, quia is erat de quo in Psalmo centesimo vigesimo sexto: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Cæterum per hominem qui descendit ab Hierusalem in Iericho, intelligendum vniuersum humanum genus, quod in primis nostris parentibus è paradyso in quo fruebatur sublimi illa & tranquilla atque pacifica vita excidit in vallem hanc lachrymarum vbi omnia mutationibus ad instar lunæ sunt plena. Hierusalem in sublimi ciuitas sita, interpretatur visio pacis. Iericho verò ciuitas in valle lunam significat: proinde illud nomen conuenit ad significandum paradysum istud verò ad significandum mundum istum instabilem in quem homo eiectus est. Qui cùm descendisset, incidit in latrones, quia in crudelium dæmonum venit potesta-

Sensus mysticus.

Psal. 120

tem, à quibus tutus erat quamdiu sese in Hierusalem continuit, qui illum & exuerunt ac spoliauerunt vestibus innocentiæ atque virtutum, & iam exutum etiam plagis multis affecerunt, reddentes illum obnoxium peccatis ignorantiæ veri, ac imbecillitati operandi recta, ita vt iam iaceret abiectus, destitutus, ac desperationi mortique proximus, non tamen adhuc mortuus, sed semiuiuus seminortuus, aut quia adhuc in illo erat motus vitæ, sed imperfecti, quibus scilicet ad bonum ferebatur, sed quod præstare non potuit: aut quia nondum de eo etsi grauiter vulnerato planè desperatum erat, vt cui adhuc spes vitæ & sanitatis erat in Christo: [illegible] ia vincus vita corporali vitam spiritualem perderet. Sic autem vulneratam iacentem humanam naturam sacerdos & Leuita, hoc est, lex & Prophetæ, à quibus eius sanitas expectanda videbatur, pertransierunt, reinquentes eam vt erat vulnerata & semimortua etiãsi viderent eam iacentem, & morbi calamitatis eius magnitudinem agnoscerent. Aut (quod ad primam parabolæ intentionem magis accedit) in sacerdote & Leuita pertranseuntibus, recte intelligimus Iudæorum sacerdotes & doctores, suis potius rebus & cõmodis incumbentes, quàm aliorum saluti, neglexisse deploratorum hominum saluti consulere, sicut sacerdos & Leuita, de quibus parabola, pergebant qua cœperant, ne quid dispendij in rebus huius mundi paterentur, si circa miseri curam occuparentur. Cùm igitur sacerdos & Leuita vel non possent, vel negligerent homini semiuiuo succurrere, Samaritanus quidam, nempe Christus, per assumptam humanitatem etiam iter faciens è Hierusalem cœlesti in Iericho, & vallem huius mundi, cum post legem & Prophetas & Iudæorum sacerdotes veniens videret humanæ naturæ calamitatem, non eam præteriit aut neglexit, sed etsi ab hominibus multis esset affectus probris, etsi proprio suo genere alienus esset à nobis: tamen verè se nobis proximum exhibuit. Itaq; misericordia motus, non nostris commotus meritis, propius etiã nos accedens per suã nobiscum conuersationẽ, mox cœpit obligare vulnera nostra vinculo doctrinę & gratiæ suæ infundens oleum & vinũ, quæ solus ille secũ in via assumpsit,

assumpsit, ac nobis infundere potuit, hoc est, gratia ac charismatibus spiritus sancti, & sui sanguinis effusione nos curans, quorum vtrumque necessarium fuit nostræ curationi. Hęc enim rectè per oleum & vinum quis intellexerit in quibus etiam duabus materiis omnia penè sacramenta quibus curamur consistunt. Aut per oleum & vinum lenitatem & mordacitatem, intellige doctrinæ Christi, quæ alibi quidem mansuetè procedit & exhilarat, alibi verò perstringit & mordet, vnde sic aptè temperata vndique iuuat. Non satis autem illi fuit hoc modo obligasse hominis vulnera, optimo doctrinæ suæ temperamento adhibito, sed præterea etiam illum imposuit in iumentum suum, peccata nostra suscipiens in corpore suo, ac de suo dependens [illegible] od nos commereremur, & rursum quia nos membra [illegible] fecit, suíque corporis participes, vt vnum simus cum eo corpus, sicque hominem detulit in stabulum suum & diuersorium, hoc est, Ecclesiam, quæ rectè πανδοχεῖον dicitur, quod sine discrimine quosuis recipiat, sed tanquam hospites & peregrinos. Hic quoniam corporali præsentia per sese hominis curam gerere non semper potuit, quod proficiscendum ei esset in cœlum vnde venerat, hospitibus suis saucium hominem curandum commisit. Hi sunt Apostoli & Apostolorum successores per quos etiam hodie curat humanum genus, & à latronum violentia colligit in Ecclesiæ diuersorium, vbi solùm curantur peccatorum vulnera. His dedit duos denarios duo scilicet testamenta, quæ vnius imaginem regis tenent, nempè quod sint eloquia Dei. Dixit autẽ: Quicquid supererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi. Doctores enim & pastores de suo quoque apponunt, quod ad hominum cedat vtilitatem, dum dilatãt diuinorum sermonum interpretationes, ac pro conditione temporum ac personarum quædam constituunt & ordinant seruanda, pro quibus mercedem accipient, Domino redeunte in secundo aduentu. Tunc enim dicere poterunt, Domine duos denarios tradidisti mihi, ecce alios duos supra impendi. Et ille dicit eis: Euge serue bone & fidelis, &c. Et hæc quidem parabolæ explicatio ad Christum pertinens. Cæterùm cõclusio pa-

rabolæ secũdum hanc tractationem, accommodari potest, vt cùm D. Ambrosio intelligamus Dominum significasse se esse proximum nostrum secundum humanitatem, quem tãquam hominẽ debeamus diligere, vt nosipsos: tanquam Deum verò ex toto corde, vt in Christo vtrumque dilectionis præceptum adimpleatur. Aut potius intelligemus Dominum suo exemplo nos docuisse omnem eum pro proximo habere qui ope nostra indigeat, etiamsi genere sit alienus, imò hostis sit: sicut ipse, etsi alienus à nobis genere & nos illius essemus inimici, tamen nos pro proximis suis agnouit.

DOMINICA XIIII. POST TRINIT.

EVANGELIVM.

Lucæ 17.

In illo tempore. Dum iret Iesus in Hierusalem transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur in quoddam castellũ, occurrerunt ei decẽ viri leprosi, qui steterunt à longe & leuauerunt vocem dicentes. Iesu præceptor miserere nostri. Quos vt vidit, dixit. Ite ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. Vnus autẽ ex illis vt vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum: & cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens. Et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit: Nonne decẽ mundati sunt, & nouem vbi sunt? Non est inuentus, qui rediret: & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait: Surge & vade, quia fides tua te saluum fecit.

VLtima nobis profectio Christi ex Capharnaum, ad vrbem hodierno Euangelio Explicatur, vbi per ignominiosissimum crucis supplicium statuerat suos ab interitu sempiterno vindicare. Et quia redemptionis istius beneficium, nõ ad solos Iudæos pertinere, sed omnibus mundi nationibus exponi debebat, hoc adumbrate volẽs, per mediã Galilæam & Samariã facit iter omnibus sui copiam facturus. Communis est enim omnium seruator, qui credunt in ipsum: nisi Dominus eo veniisset, nunquã fuissent leprosi à tam fœdo morbo liberati Principiũ itaq; & fons nostræ salutis, à diuina clementia detiuatur, nũquã peruenissemus ad eum, nisi prior

Gal. 3.

si prior ipse ad nos descendisset per mediam Samariam & Galilæam. Ad hũc Saluatorem veteres suis vaticiniis iussi sunt omnes hominũ nationes inuitare. Ad Esaiã ait Dominus: Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion, &c. Dic ciuitatibus Iudæ, Ecce Deus vester, ecce Dñs Deus in fortitudine veniet, & brachiũ eius dominabitur: Et quæ sequuntur. Ex hodierno itẽ Euangelio discimus, quãto desiderio, sanitatis cõsequẽdæ, leprosi ad Christũ accesserint, & quãta facilitate q̃ optabãt, tametsi immerentes, & ob ingratitudinẽ quoq; indigni, ardẽti tamẽ precatione extorserint. Si itaq; quã tũ leprosi isti, tantũ & nos, partim in nobisipsis, partim in Christo possemus perspicere, nõ dubium, quin illius copiã nobis perinde atq; leprosi, fructuosissimã, v. mamq; redderemus. Illos quidem, aduersa valetudo, fœda & turpis, vehemẽter affligebat, malũ hoc grauius reddebat, exulcerabãtq;, quod ab eo morbi genere fugiunt & non secus quã toxicũ abhorrent homines: super omnia verò miseros cruciabat ab omni hominum cõmertio, huius ergo seeludi, & abiectum iri. Hæc causa, tam ardentẽ effecit ipsorum & intensam precationem. Quod si & nosipsi turpitudinem spiritualium nostrorum morborum cernere, & quàm abominabiles nos Deo, angelis, & electis omnibus reddant, intelligere quódq; indignos cœlicolarũ omnium societate constitutos, ęternum à Deo & beatis omnibus, separent, animaduertere velimus, & vice versa credere Christum non minori facilitate, bonitatis, atq; potentiæ, etiamnum nobiscum ãgere. Mirabor, si quicquam leprosorum precatione frequẽtius, tum corde volueremus, tum resonaremus oret Iesu præceptor miserere nostri. Itaque præter historiam Euangelicam prudenter Ecclesia Paulum Apostolum qui lepram spiritualem nobis exponit in lectione siue epistola, producit in medium, ac veluti ante oculos ponit, quo simul, & quales simus videre, & tali necessitate percussi ad CHRISTVM studiosius contendere satagemus: Dum omnes nos admonet, vt spiritu ambulantes, & desideria carnis non minus quàm lepram corporis fugiamus. Sed nunc pro consuetudine nostra historicum Euangelij contextum repetamus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dum iret Iesus in Hierusalem &c.]Dū è Galilæa iret in Hierusalem, transibat, quemadmodum necesse erat rectum iter arripienti, per Samariam & Galilæam Id autem præmittit, vt miraculi narrandi locum opportunum arripiat. Quamquam mystice etiam postimus intelligere transitu Domini significatum, nō Iudæos tantùm, sed & Samaritanos & Galilæos ad ipsum pertinere: quorum illos, tanquam ethnicos Iudæi contemnebant: istos verò, tanquàm semipaganos reputabant. Sequitur: Et cùm ingrederetur quoddam castellū vel vicum, pagum aut ciuitatem (nam est ἀμφίβολον) *Occurrerunt ei decem viri leprosi.*]Non occurrerūt postquam ingressus esset vicū vel ciuitatem, sed Domino in locum ...m ingressuro occurrerunt extra ciuitatem vel vicū. Non enim licebat eis in ciuitatibus aut hominum cōfortiis conuersari. Ob quod etiam agnoscentes morbū suum, propter fœditatem suam, quàm tanquam contagiosam Iudæi abominabantur, non accedunt propius, sed procul stātes voce sublata acclamauerūt Domino. Eriseo quidem procul stant, oratione autē propè fiunt. Prope est enim Dominus omnibus inuocantibus eum in veritatem. Orant autem paucis quidem verbis, sed feruenter & efficaciter. *Iesu, iaquiunt, præceptor miserere nostri.*]Non exprimunt qua in re misericordiā sibi exhiberi postulent, tātùm misericordiā eius implorant, nihil dubitantes quin si tantum misereretur illorum, & vellet & posset eos curare, quantumuis multi essent, & incurabilis eorum esset morbus. Non enim eleemosynam se petere satis declarabant, cò quòd præceptorem eum vocarent, credētes eum à Deo datū hominibus magistrum, ac quærentes ab eo misericordiam, quatenus magister esset à Deo hominibus datus. Audiit clamorē Iesus fiduciæ testē, nec surda pertrāsiit aure, sed mox conuertit oculos in illos, Fœlix clamor qui facit attentum & aspicientem Dominum. Eius enim intuitus sic prouocatus, nō potest nō esse salutaris, & exhibere implōratum beneficium. Itaque sequitur: *Quos vt vidit*, non oculis tantùm corporeis, sed oculis etiam misericordiæ suæ, dixit: *Ite ostendite vos sacerdotibus.* Non prius eos mūdat quā sacerdotibus sese ostendere præciperet,

ciperet, quemadmodum tamen olim fecit circa leprosum illum, de quo Matth. octauo. sed mittit sacerdotibus manifestandos, vt inter eundum curarētur, idque fecit, probare volens & aliis declarare illorum fidem, & ex fide nascentem obedientiam. Cùm enim sacerdotes leprā tollere non possent, sed tātùm iudicare an aliqui leprosi essent an non, & pro curatione sacrificium offerre, nisi hi fuissent humili fide præditi, cogitare potuissent, vt quid nos mittis necdum curatos ad sacerdotes? Semel enim illi nobis admodicauerunt lepram, nec quicquam ipsi de lepræ morbo dubitamus, contractā autem semel lepram illi nequaquam tollere possunt, sed tātùm pro curata sacrificium offerre. Frustra ergo nos mittis ad illos, cùm nec illorum iudicio nobis sit opus, nec ... legalis expiatio impendi possit. Nihil autem tale cogitant, sed simplici humilique præditi fide certò confidebāt se ideo mitti ad sacerdotes, quòd antequam ad illos peruenirent mundandi essent. Non enim alia ratione intelligebant sibi id à Domino præcipi. Itaque secundum fidem eorum contigit, vt inter eundum mundarētur. Et hactenus quidem declaratur omnibus istis deeē patem fuisse fiduciam, at sequentia ostendunt non patrem omnibus fuisse gratitudinem. *Vnus enim, inquit, ex illis cùm vidit & aduertit se esse mūdatū, mox regressus est.*] tum Deum glorificans, idque magna voce (quod testimonium fuit & magnæ lætitię, & animi nō parum grati)tum Iesu gratias agens, idque cum summa reuerentia prosternendo nimirū se in faciem suā ad pedes Iesu. Quum enim iā mundatus esset, nō dubitauit appropiu quare Iesu, quem à longè stans prius inuocauit. Porrò quò magis miremur huius gratitudinem, subiicit Euāgelista: *Et hic erat Samaritanus.* Cùm enim Israelitæ magis videri vellēt, & merito magis esse debuissent religiosi reliquis nouem, qui Israelitæ erant, non redeuntibus ad glorificandum Deum, & agēdum gratias Iesu, solus Samaritanus gratum se erga Deum & Christum declarauit, re ipsa vincens Iudæorum religionē. In quo sanè facto, tanquam typo quodam demonstratum est primò, ex multis vocatis, & euangelicum beneficium percipientibus paucos electos fore. Deinde nouissimos

fore

Universidad de Deusto
Biblioteca

fore primos,ac primos cõttà fore nouissimos,hoc est, euangelij gratia potiores fore gẽtiles ipsis Iudęis,ac illos præ his pro Dei benignitate omnibus communiter exhibita magis forè gratos Deo patri & Christo filio eius. Cùm ergo his modis gratitudinẽ suam Samaritanus declarasset, Dominus non ignarus beneficium ad omnes decem peruenisse, quãquã vnus solus esset qui beneficium gratiarum actione agnosceret, primũ quidem taxat aliorũ ingratitudinem,ac deinde huius gratitudinem commendat & remunerat. Itaque respõdens Iesus,hoc est,subiiciens verbis & factis Samaritani dixit: *Nonne decẽ mundati sunt? & nouem vbi sunt?* Quærit autem non tanquam ignorans sed huiusmodi interrogationis ingratitudinem aliorum magis taxans. Sensus est enim, Cùm certum sit decem similiter ab eodem morbo esse mundatos, quid est quod non similiter omnes idem agnoscunt beneficium, sed inter tam multos vnus solus gratitudinẽ animi declarare venerit? Cùm quibus verbis Dominus videretur compellare & interrogare Samaritanum, ille tamẽ non solùm gratus existens,sed etiam modestus,obmutuit vtpote qui venerat suo functurus officio,nõ autem accusaturus alios. Illo ergo obticescẽte,Iesus conuersus ad circunstantes,ait *Ex decem nullus inuentus est*,hoc est,nullus cõpertus est, aut nullus extitit, (sic enim græcis accipitur reperiri) *qui rediret,& daret gloriã Deo,nisi hic alienigena* hoc est, Samaritanus,genere alienus à gente Iudaica. Quibus verbis & reliquorum ingratitudinem taxat ex comparatione ipsorum cum hoc alienigena, & huius gratitudinem ex cõparatione eius cum reliquis magis extollit. Rursum his verbis bis declarat se cognitorem secretorum,dum & reliquos mundatos significat,& cuius quisque gentis esset se cognoscere demonstrat,quamuis id forte ex vestitu deprehendi potuerit. Notandum autem in verbis istis,quod cùm Samaritanus rediens non tãtum Deum glorificaret,sed etiam coram Iesus procidẽs illi gratias ageret,Dominus tamẽ tãtum meminit gloriæ Deo datæ,nulla facta mentione gratiarum actionis sibi redditæ. Quo satis significauit se vnicè Dei patris sui gloriam quærere,ac à nobis quærendã esse,non autẽ se

se spectasse hominum applausus ac laudes sibi tanquam homini attributas. Porrò cùm hęc Dominus ad circunstantes locutus fuisset,subindicans gẽtes Iudæis præferendas, conuersus appellauit Samaritanum humi prostratũ adhuc: *Surge,inquit,vade*,securus scilicet de beneficij nũc tibi collati perpetuitate. Ac pro more subiũgit illud fidei elogiũ: *Fides tua te saluum fecit*. Quo,præterquam quod fidei vim & energiam docere & commendare,vt & alias frequenter, voluit etiam rursum modestiæ exemplum exhibuit, dum quod gratus illi alienigena ipsi tribuerat & acceptum ferebat, ipse vicissim fidei illius tribuendum & acceptũ ferendum pronunciat. Cæterùm in hoc alienigena discere licet,quod nihil cuiquã obest ad hoc vt Deo placeat,etiãsi maledicti gene. modò bonam habeat voluntatem,vt nullus gentilis desperet,& nullus de sanctis parentibus glorietur. Notandum autem communicationem morbi decem hos leprosos,quos homines reliquit fugiebant, coadunasse,& per morbi communionem etiam Samaritanum coniunctum Iudæis,cùm alioqui Iudęi non conterentur Samaritanis,vt dicitur Ioãnis quarto. Illud enim si ad mores accõmodare velimus, nos docet, neminem debere aliũ per superbiam contemnere, & suo consortio indignum habere,sed nos cum omnibus socios gerere,vt qui omnes simus leprosi. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Vnde secundum allegoricum sensum,quem prosequitur Theophylactus,decem isti leprosi, propter numeri perfectionem omne genus hominum signãt, lepra malitiæ infectum,ac turpitudinem peccati circumferens,atque ob eam extra ciuitatem regni cœlorum cõstitutum. Itaque dum decem curantur à Domino, inter quos erant Iudæi & gentiles, significatum est Dominũ venisse ad salutem totius humani generis,& Iudæorum & gentium,quas præ Iudæis Deo fore gratiores,& eius misericordiam magis agituras & celebraturas, in alienigena redeunte & glorificante Deum prædemonstratum est,vt prius dictum est. Secundum moralem autem sensum docemur hac historia,ei qui sanitatis spiritualis cupidus est, opus esse & ardenti & humili fiducia, qua Dei imploret misericordiam, indignum se agnoscens qui

Rom.3.

Sen.ex allegoricus.

Moralis sensus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui illi appropinquet : & rursum vt post perceptam Dei benignitate sanitatem, gratum se illi declaret à quo curatus est, sic vt Deo patri simul & Christo gratias agat quòd vtrique salus nostra sit ferenda accepta.

DOMINICA XV. POST TRINIT.

EVANGELIVM.

Matt. 6. *IN illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quàm vestimentum? Respicite volatilia cæli, quoniam non seminant, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans, potest adicere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quòd nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei. Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus? aut: Quid bibemus? aut: Cooperiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester cælestis, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis.*

QValis corporum curator & medicus sit Christus, in historia decem leprosorũ, ante octiduũ audistis, qualis verò animarum, ex hodierno Euangelio clarè docebitur. Quemadmodum enim diligẽs medicus iuxta morbi qualitatem, temperare sua pharmaca potest frustra patiẽte reclamante, ita Christus hoc loco recepta edit animæ salubertima, tametsi mũdi amatoribus acerba simul & pernitiosa iudicentur. Inter oẽs animæ morbos nullus capitalior philautia, qui est amor & studium erga nos ipsos priuatum. Ex qua radice, cũ pullulent, atq; succrescant alia ferè crimina, potissimũ tamẽ tria, contra quæ præsenti Euangelio cõgreditur Christus non nudis tantũmodo verbis, sed firmissimis argumentis expugnaturus. Ex philautia enim efficiũtur homines quidã futurarũ rerũ & vitæ venturæ ita negligentes, vt relictis & valere iussis rebus cœlestibus, toti sese profundant & dedant terrenis, quibus ita mordicus inhærent, tanquã se præsens vita perpetuò foret duratura, & quæ de futura vita dicũtur, somnia vana, aut aniculatum deliria, iudicarent. Alij in vtruuq; latus claudicantes, nũc Deo, nunc mammonæ seruiunt, quo fit, vt neque calidi sint, neque frigidi. Inuenies item alios, qui admodum serò se ad frugem vitæ melioris conuertunt, perpetuò procrastinantes propositum, & inspirationes bonas, nũc hoc nunc illud excusantes. Quæ quidem vitia, quo[illegible] præsentissimam salutis perniciem adferunt, Seruator noster ante omnia studuit salubertimo Euangelij sui medicamine ea repurgare. Primùm aggreditur eos, qui se in studia diuersa diuidunt, & nũc Deo, nunc mundo placere quærunt, metuunt facere iacturam regni cœlestis, illibenter tamen dimitterent mundum, cum suis diuitiis, honoribus atque delitiis. Ad hoc inquit: Nemo potest duobus dominis seruire: Nemo potest Deo seruire & mammonæ. Deinde iis, qui timent sibi vitæ necessaria defutura, & ob id ad comparandas vndecunque diuitias, toti se mergunt curis rerum præsentium, dicit: Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid edatis, &c. Multis argumentis demõstrans talem curam in Christianis Dei filiis non modo superfluam, verum etiam planè impiam. Postremo denique, & in eos inuehitur, qui spiritualia & diuina inquirunt quidẽ, sed tardius & oscitantius, & interualla, vbi satis se mundanis rebus imbuerunt, expleuerũntque. Istis autem in fine Euangelij dicitur: Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, &c. Cæterùm, longiore præfatione omissa, præstat harum omnium rerum argumenta ex ipso Christo audire, ex quibus: diuites discãt, cui acceptas opes ferre debeant: & inopes quibus se rationibus, in ægestate solentur.

NEmo potest duobus dominis seruire. Aut enim vnum odio habebit, & &c.] Insanabilem habendi cupiditatem

tatem, vna cum pusillanimitate seu victus cura; grauissimis animi morbis eradicaturus Dominus, cum de eleemosynis præmisisset doctrinam, Nolite, dicens, thesaurizare thesauros in terris: iam alio argumento à diuitiarum studio auocat, superioribus etiam efficaciore, quo simul excludit cogitationem qua quis obuiam ire dictis posset. Cogitare enim quidam poterant, quid si & in cœlo & in terra thesaurizemus, sicque cor & in cœlo & in terra habeamus? sic enim videmur non incidere damna tenebrarum. Huiusmodi ergo cogitationi his verbis appositè Dominus respondet, ostendens non posse animum in diuersa esse distractum, & simul ostendens quantum malum sit studium pecuniarum, & [illegible] quantum lucrum, illarum contemptus, eò quod propter pecunias doceat nos Dei seruitute excidere, & indigno seruitutis iugo subiici, & contrà pecuniarum contemptu tota illi nos mente & dilectione posse coniungi. Non autem statim apertè & nudè dixit: Nō potestis Deo seruire & mammonæ: sed priusquam illud interret, generalem præmittit sententiam apud omnes vulgatam & receptam. Videtur enim etiam hæc sententia: Nemo potest duobus dominis seruire: desumpta à Domino è sentētiis prouerbialibus apud vulgum receptis, & proinde non est specificandum qui sint illi duo domini, quibus nemo dicitur posse seruire, eósque esse Deū & mammona, vt expressit Diuus Augustinus. Generalis est enim sententia, ex qua cōcluditur quod erat ostendendum: Non potestis Deo seruire & mammonæ. Nec necesse est subintelligere aut addere dominis contrariis, eò quòd Dominus hanc sententiam assumpserit, vt vulgò iactabatur, qua significabatur non facilè repetiri posse duos tam commodis moribus, támq; voluntate vnanimes, vt idem seruus duobus possit satisfacere, & pari studio seruire. Itaque satis habuit Dominus hanc sententiam vulgo veram esse, & vt in plurimum aut semper sic vsu venire apud homines. Porrò illud: Aut enim vno odio habebit, & cæt. in quo videtur vnius & eiusdem esse repetitio, cùm satis fuisset dicere: Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: vt bene intelligatur, oportet per vnum, in vtroque membro

bro certum aliquem, quem voles ex duobus intelligere demonstratum, & similiter per alterum, intelligere vtrobique secundum ab eo quem mente concipimus demonstratum per vnum. Ad quod significandum vtrique dictioni videtur apud Græcos additus articulus τὸν ἕνα, τὸν ἕτερον. Itaque hic est sensus: Aut enim hunc odio habebit, & alterum diliget: aut contra illum sustinebit, & alterum cōtemnet. Adeo autem fusè hæc à Domino sunt dicta, vt id cuius similitudinē explicant, animis auditorum magis infigerent. Aut secundum Chrysostomum ideo vtramque hanc partem Dominus posuit, vt ostenderet facilem esse ad meliora mutationem. Ne enim quis diceret, semel sum seruitio pecuniarum subiugatus, ostendit non esse impossibile co[illegible] & quemadmodum inde huc ventum est, ita hinc quoque illuc posse reuerti: Secundum quosdam geminatio ista significat duplex seruituris genus. Nam quidam seruiunt liberaliter & spontè, quidam seruiliter & coactè. Si ergo spontè seruiat, vnum dominorum odio habebit, & alterum diliget. Si verò coactè, vnum sustinebit, & alterum contemnet. Augustinus verò vnum, & vnum ad mammona referens: alterum & alterum verò ad Deum, sic explicat: Aut mammona odio habebit, & Deum diliget, Aut mammona sustinebit, & Deum contemnet. Ideoque vult in secunda parte non esse dictum: Aut vnum diliget, & alterum odio habebit: sed sustinebit & contemnet, quod durum patiatur Dominum quisquis seruit mammonæ, nec Deū quisquam propriè odisse potest. Verùm, vt dictū est, hic sermo Domini generalis est, non explicandus de duobus aliquibus certis dominis. Deinde pro illo: vnum sustinebit, aut, vt legit Augustinus, vnum patietur. Græcè est, τοῦ ἑνὸς ἀνθέξεται, quod magis est, vnà adhærebit. Nō enim hic ponitur actiuum ἀντέχω, quod sustineo significat & tolero, sed deponens ἀντέχομαι, quod cum genitiuo constructū significat adhęrere, vnde est τῶν βιβλίων ἀντέχεσθαι, id est, libris adhęrere & affixum esse. Est ergo hic totius huius loci sensus: Scitis vulgò celebratum adagium, ac experientia multa comprobatum: Neminem posse duobus dominis rectè seruire, quòd non facilè duo reperiantur

moribus tam similibus & commodis, vt vtrique quis satisfaciat, aut pari affectu sit addictus. Si enim sit cui duo contingant domini, is vel morum, vel imperiorum diuersitate offensus, vel non sustinens affectum suum in vtrumque pari studio ferri, aut vnum eorum odio habebit, & alterum diliget: aut cõtrà illum amplectetur, ac sustinebit & istum contemnet. Ita & scitote nõ posse vos quantumuis id pleriq; frustra conentur, Deo simul & mãmonæ seruos esse, maximè cùm sint hi duo domini inter se summè contrarij, & contraria planè iubentes, adeò vt qui vnum eorum diligit, alterum necessario odio habeat, & contrà qui vnum eorum odio habet, alterum diligat. Proinde videte, quantum malum [illegible] nitiarum studium, cùm & Dei seruitio vos excludat, cui profectò supra omnes seruire, necessarium pariter, ac commodum est vobis, & tam indigno vobis domino seruire compellat, ac grauissimum mammonæ tyrannidem subire. Videte vtrum dominũ amplecti malitis, nam vtrique seruire non potestis. Est autem, mammona, dictio Chaldaica, significans idem quod Græcis πλοῦτος hoc est, diuitiæ. Vnde & lingua Punica mammon dicitur lucrum, teste Augustino. Bene autem Dominus mammonam veluti dominum quendam componit cum Deo, tum vt indicaret studium huius esse verã seruitutẽ, tam indignam libera & generosa natura hominis. quàm ea dignior est mammona, re scilicet mortua, terrena, & qua homo dominari deberet: tum vt indicaret eos qui studio pecuniarum occupãtur, mammonam sibi pro Deo colere, quomodo & Paulus auaritiam vocat idolorum seruitutem. Nõ dixit autem Dominus: Nõ potestis Deo placere, & habere diuitias. Nihil enim vetat Christianum habere diuitias, si eas habeat vt habuerunt Patriarchæ, hoc est si eis non seruiat, sed imperet, & dominetur. Seruit autẽ eis qui animum suum illis apponit, qui earum gratia facit fere quicquid facit, qui ab eis pendet, & fœlicitatem suam hinc sperat, qui cùm recta ratio dictat, non expendit eas in Dei gloriam in suam & proximi vtilitatem, qui per fas ac nefas congregat, nihil graue ducens modò liceat lucrum facere.

Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid mãducetis, &c.

&c. Ex his quę superius hoc eodẽ cap. 6. Matthæi dicta sunt de non thesaurizando in terra, & non seruiendo mammonæ, infert Dominus etiam solicitudinem rerum necessarium abiiciendam esse, obuians cogitationi qua iam auditis prædictis cogitare quispiam posset: Non est animus thesaurizare in terra nec cor in terra fixum habere, sed nec seruire mammonæ, hoc est, penitus me cõgerendæ pecuniæ addicere volo. Tantũ solicitus sum pro his quibus ad vitam sustentandam opus est. An etiam hic quicquam iniquè à me committitur? Rursum etiam excludit præceptum necessitatis humanę quo plerique excusare solent auaritiæ suæ morbum, dicentes sese consulere fami & nuditati. Illi, inquam, gitationi respondet, & hunc prætextum excludit, dum inferendo ex superioribus dicit: Ideo dico vobis, ne solliciti sitis, & cæt. significans huiusmodi solicitudinem etiam cor in terra figere, & proinde lucernam mentis vitiare, pertinere etiam ad seruitutem mammonæ [illegible] proinde Dei puram seruitutem impedire. Sic ergo istud ex superioribus infertur: Cùm cauendum sit ne corde in terra defixo, oculus mentis corrumpatur, ac vni Deo sit seruiendum, non satis est non incumbere congerendis diuitiis, sed etiam excutere oportet vulgarem hanc hominum solicitudinem rerum ad victum & vestitum necessariarum, eò quòd & hæc cor hominis terrenis infigens, oculum mentis vitiet, ac obscuret, atque ad seruitutem mammonæ pertineat, vti eam plerique suæ auaritiæ prætextum faciunt, & syceræ seruitutis Dei impedimentum præbeat. Obseruandum autem hic Dominum in principio quidem non intulisse hunc sermonem de excutienda solicitudine. Sic enim onerosus fuisset & importunus, sed prius miseriam ac distentionem animi de pecuniæ amore nascentem ostendens: tum deinde intulit de abiicienda solicitudine sermonem, vt iam eisdem de causis quibus pecuniarum amor facilè cognoscitur esse pernitiosus & noxius, etiam solicitudo necessariorum cognosceretur esse mala. Cùmque sciret Dominus solicitudinis morbum in omnium fere mentibus nimis hærere, non satis fuit ex superioribus inferre, non oportere nos esse solicitos, sed multis

idque efficacibus argumentis prosequitur solicitudinis huius vanitatem & indignitatem ostendere. Cùm autẽ homo ex duabus sit compositus partibus, anima scilicet & corpore, & ob id duplex solicitudo homines teneat, eorum scilicet quę ad animam in corpore sustentandam sunt necessaria, & eorum quę sunt necessaria tegendo corpori, vtramque simul solicitudinem similibus resecat argumentis. Illud tamen quod dicit: ne solliciti sitis animæ vestrę quid manducetis: non sic est accipiendum quasi anima indigeat cibo ad sui sustentationem cùm sit incorporea, sed secundum Chrysostomum communi more hoc Dominus locutus est, quod etsi anima alimentis non indigeat, tamen vt in corpore permaneat, alimentis indiget à corpore sumptis. Aut secundum Augustinum anima more scripturæ & phrasi Hebraica pro vita ponitur, quemadmodum & in illo: Qui amat animã suam perdet eam. Porrò priusquã argumenta quibus Dominus vtitur declarentur, videndũ qualis solicitudo hic prohibeatur. Fuerunt enim olim hæretici quidam dicti Euchitæ à precibus quibus instãter vacabant, qui, teste Augustino de hæresibus, opinabantur inducti his verbis Domini non licere monacho sustentandæ vitæ suæ causa aliquid operari, quales fuisse quosdam monachos etiam tempore Augustini testatur libellus de operibus monachorum ab eo æditus. Quos malè intellexisse hunc locum, nec omnem solicitudinem prohibitam esse multæ docent scripturæ. Nam & Paulus manibus laborabat vt victum sibi & aliis pararet, & Ephesiis scribens, præcepit vt qui prius otiosi erant, laborarent operantes manibus, vt haberent vnde tribuerent necessitatem patienti. Et ad Galatas dicit se solicitum fuisse, vt quod de prouisione pauperum qui erant in Hierusalem, Petrus, Iacobus, & Ioannes, ei commendauerant: exequeretur. Itaque Dionis Augustinus & in secundo libro super sermonem Domini in monte, & libro de operibus monachorum, vult hoc loco Dominum eam prohibere solicitudinem, qua ideo quis Deo seruiret, vt quæ ad victum & vestitũ pertinent sibi compararet, veluti si quis Euangelium prædicaret eo fine, vt hinc victum sibi pareret. Hoc est secundum

Quæ solicitudo prohibeatur.

Act. 20.
1. The. 2.
Ephes. 4.
Galat. 2.

dum Augustinum, prohibetur talis solicitudo, qua quis vitæ necessaria veluti finem suarum omnium operationum præstitueret, & prius haberet victum & vestitum comparare, quàm regnum Dei quærere. Verùm ex toto contextu patet non solùm hanc solicitudinem planè malam Dominum hic reprobare, nec rursum solùm solicitudinem superfluam, qua quis scilicet plus quàm necesse est solicitus esset sibi comparare. Nam hanc satis resecauit suprà, dum præcipit nõ thesaurizare in terra. Sed omnem solicitudinem anxiam & timidam rerum quantumuis necessariarum. Solicitudo enim variis rationibus potest esse vituperabilis. Et primum quidem si sit inordinata, videlicet sit præpostero ordine pro quibusdã rebus simus soliciti, vt si quis euangelizet propter parandum cibum, Secundò si sit superflua, vt si pro pluribus simus soliciti quã necessitas vel honestas personæ postulauerit. Tertiò, si sit præoccupata, vt dum hodie de his sumus soliciti, quę futuro tempore sunt curanda. Quartò, si sit anxia & timida, vt dum quis variis in seipso distrahitur cogitationibus de futuro operationum & laborum suorum euentu, metuens anxiè ne nõ consequatur quod erit vitæ necessarium, aut quod expectat. Atq; à duobus his postremis solicitudinis vitiis hic Dominus potissimùm vult dehortari, & prius quidem ab anxietate solicitudinis, deinde vero etiam à solicitudine præoccupata, cùm subiicit: Nolite ergo soliciti esse in crastinum. Huiusmodi enim solicitudo anxia, & præoccupata de rebus temporalibus, mala est, tum quod declararet hominem destiturum esse debita fide diuinæ prouidentiæ, tum quod terrenis rebus faciat animum hominis nimis esse addictum. Nec solùm anxia illa solicitudo vituperabilis est, dum in rebus temporalibus occupatur, sed etiam in rebus spiritualibus, cùm æquè tunc arguat diffidentiam diuinæ bonitatis. Vnde Paulus huiusmodi anxietatem & timiditatem in omnibus rebus volens abesse, dicit: Nihil soliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et Petrus Omnem, inquit, solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Laudabilis autem

Quatuor de causis vituperatur solicitudo.

Solicitudo anxia & præoccupata.

Philip. 4

1 Pe. vlt.

Laudãda solicitudo diligẽtia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem est solicitudo, qua quis secundum exigentiam rei quæ curanda est, diligentiam adhibet perficiendi illud. Atque huiusmodi solicitudo ad distinctionem solicitudinis: quæ hic & in Apostolorum sentētiis superioribus prohibetur, rectè vocatur solicitudo diligentiæ, nec propriè est solicitudo dicenda sed potius diligentia. Itaque laudabilis est etiam terrenarum rerum solicitudo, qua quis diligens est pro parandis ad vitam necessariis, operando manibus, sic tamen vt nō plura quærat quàm necesse est, aut non præpostero ordine quęrat, sed vt habens vitæ necessaria, commodè Deo & proximis seruire possit. Ad hanc solicitudinem aut potius sedulitatē adhortatur Sapiens exemplo formicæ. Verum sicut maior diligentia adhibenda est in rebus spiritualibus quàm temporalibus, & rursum laudabilior est diligentia qua quis prospicit alienæ indigentiæ quàm propriæ: ita etiam huiusmodi solicitudinem scriptura magis commendat & præcipit. Hinc Paulus Soliciti, inquit, seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Et se dicit solicitum fuisse, vt prospiceret pauperibus qui erant in Hierusalem. His tamen locis non est ea dictio, quę hoc loco, sed verbum σπουδάζω, quod propriè significat studere & diligentem esse. Hic verò est μεριμνάω, quod propriè significat corde anxium & distentum esse ob aliquam rem. Deriuatur enim μέριμνα, ἀπὸ τῦ μερίζειν τὸν νοῦν, aut ἐκ μερίδνα, cōseruatione τῦ δ in μ. Vnde propriè significat internam illam cogitationem circa varia distractam, nō externam diligentiam quàm σπουδάζω significat. Hinc in multis locis apud Paulum, vbi nos legimus, solicitudinē vel solicitum, Græcè est σπουδὴ & σπουδαῖος, vt cùm dicitur: Qui præest in solicitudine. Et eodem capite: Solicitudine non pigri. Et: Ecce secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem. Et Abundatis fide, spe, & sermone & scientia, & omni solicitudine. Et eodem capite: Gratias ago Deo meo qui dedit eandem solicitudinem pro vobis in corde Titi, quoniam exhortationē quidem suscepit, sed cùm esset solicitior, sua voluntate profectus est ad vos. Et rursum Misimus cum illis & fratrem nostrum, quem probauimus in multis sæpe solicitum fuisse, nunc autem multò

Ephes. 4.
Rom. 12.
2 Cor. 7.
2. Cor. 8.

solicitiorem. Et ad Hebræos: Cupimus vnumquemque vestrum eādem ostentare solicitudinem. Sic & Lucæ. 7. Rogabant eum solicitè: Græcè est σπουδαίως. & 2. Tim. 1. Solicitè me quęsiuit, σπουδαιότερον ἐζήτησε, studiosius quęsiuit me. Et cap. 2. Solicitè cura teipsum probabilem exhibere, pro solicitè cura Græcè est σπούδαζον ideſt, studе & diligens sis. Semel tantùm, quod sciam, apud Paulum occurrit vocabulum μέριμνα in bonum, vt 2. Corint. 11. Solicitudo omnium Ecclesiarum. Sic & verbū μεριμνάω, in bonum accipitur, ad Philippenses 2. Neminem enim habeo tam vnanimem qui syncera affectione pro vobis solicitus sit: Vbi Græca habēt, τὰ περὶ ὑμῶν μεριμνήσει. Correspondet autem solicitudo & μέριμνα, vt vitium notat & malitiam aliquam aut afflictionem animi. verbo Hebraico Daag, quod ponitur Hierem. decimo-septimo, vbi legimus: In tempore siccitatis non erit solicitum. Et 42. Fames pro qua soliciti estis adhærebit vobis. Et Ezechielis 12. Panem suum in solicitudine comedent.

Luc. 7.
Heb. 6.
2. Cor. 11.
Philip. 2.
Hier. 17. & 42.
Ezech. 12.

Nōne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum?] Solicitudo alicuius vana ostenditur ex duobus. Primò, si habeat aliquem qui & paratus sit & sufficiat illi in omnibus prospicere, quod rursum ex duobus colligitur nimirum si is maiora præstiterit, quàm sint ea pro quibus solicitudo habetur, aut si is extraneis & minus dilectis ea subministret, de quib. ille solicitus est. Secundò, vana cōprobatur solicitudo alicuius, dum de his quis est solicitus, quę in ipsius non sunt potestate, quæque solicitudine sua assequi non potest. Itaque Dominus is omnibus argumentis auocat à solicitudine cibi & vestimenti. Et primùm quidem duobus argumentis ostendit nos habere, qui & paratus sit & potens prospicere victum & vestimentum, prius quidem ostendens, maiora DEVM patrem nobis præstitisse. Nōnne, inquit, anima plus est quàm esca, &c. quasi dicat, (est enim intellectio.) Si Deus nobis sine merito & labore nostro animam & corpus vltrò largitus est, an non etiam cibum & vestimentum largietur, quæ illis multo sunt minora, maximè cùm illa sic condiderit, vt istis indigeant? Qui enim maiora præstitit, declarauit

se & minora præstare & posse & velle. Qui animam & corpus esse dedit, vtique & ea dabit sine quibus illa voluit non posse subsistere. Nisi enim voluisset conseruare quod erat, non creasset vt esset: quod autem sic creauit vt per escam & tegumentum cõseruetur, necesse est vt det ei illa quamdiu vult esse quod fecit. Et hæc quidem ratio communis cibo & vestimento, sumpta est à maiori. Sequens verò ratio cibo propria, sumitur à minori. Ostenditur enim etiam nobis Deum velle prospicere de cibo, quia illũ largitur volatilibus cœli. In qua ratione cauẽdum ne intelligamus Dominum nos voluisse monere ne meteremus, neque seminaremus, neq; congregaremus horrea, cùm præceptum sit à Deo homini: *In sudore vultus tui pasceris pane tuo.* Sed intelligendum est Dominum voluisse, vt nos respiciendo ad Dei prouidentiã circa pastum auium, anxiam animi solicitudinẽ exuteremus, certò persuasi quod cum Deus illarum conditor, noster verò etiam pater, illas pascat ei tribuat laborem, dum tantùm id faciũt ad quod naturæ instinctu impelluntur, etiam nos sit multo magis pasturus dum id facimus quod ex eius volũtate & præcepto nobis incumbit, adeò vt si ex eius voluntate aliis melioribus operibus intẽti simus, quàm iis quæ ad victum parandum directè ordinantur, qualia sunt serere & metere, metuere tamen non debeamus ne nobis non serentibus, nec cõgregantibus in horrea, desit vnde viuamus. Consistit autem vis huius argumenti non solùm in comparatione hominum ad aues, sed etiam in diuersa dispositione & relatione Dei ad vtrosque, quam indicat, cùm dicit: *Et pater vester cœlestis pascit eas.* Non enim dicit: Et DEVS pascit eas: sed, pater vester & cœlestis. Cùm enim dicit, & pater vester, significat Deum qui volatilia pascit, cùm illorum tantùm sit Dominus non pater, multò magis nos, quorum etiam pater est, pasturum cùm proprium patris officium sit, filiis alimenta prospicere. Cùm verò, cœlestis, dicit, id sanè rectè intelligitur significare non putandum esse, patrem nostrum eo quod cœlestis est, se indignum ducere temporalia & terrena nobis dispensare, cùm nec indignum se putet prouidentiam suam extendi ad volatilia. Simul

mul etiam his verbis Dominus philosophorum commenta demolitur, qui negabant Dei prouidentiam in istis inferioribus, metuentes ne diuina prouidẽtia violaretur, si ad hæc se inferiora demitteret, propter quod videtur Theologus appellasse Aristotelis parcam prouidentiam. Nullo autem argumento probat Deum pascere volatilia cœli, quòd id ex scripturis persuasum satis esset iis quibus loquebatur. Dauid enim dicit: Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Et rursum. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Portò auium potius quàm aliarum bestiarum mentionem facit, siue quòd hæc sint minima animalium, siue quòd omnium hæc maximè à solicitudine videtur libera, occupata ferè circa cantum, & veluti obiter cibum sumentia. Fortè & ob id, vt nos trãsferat ad auium imitationem, etiam in eo, vt terrenis omnibus supergressi cœlestia petamus. Tertiò verò Dominus ostendit vanitatem solicitudinis ex eiusdem inefficacia. *Quis inquit, vestrũ cogitando potest adicere ad staturam suam cubitum vnum?*] Vbi notandũ, pro, cogitando Græcis esse μεριμνῶν, ideſt, solicitus existens, participium enim est eius verbi quod hic sæpe vertitur per solitum esse. Est ergo sensus: Quis vestrum anxia sua & solicita cogitatione, aut sua solicitudine potest adiicere &c. Ex quibus verbis satis patet qualem solicitudinem hic Dominus improbet. Hanc autem rationem quam hac interrogatione Dominus vult insinuare, Augustinus refert ad sequentia, videlicet ad improbandum solicitudinem vestimentorum, vt sit sensus: Cùm vestra cura non sit factum, vt hanc staturam veniret corpus vestrum, quemadmodũ ex eo patet, quòd quantumuis intendatis omnem solicitudinem, nõ possetis vel cubitum vnum adiicere staturæ, illi relinquite curam tegendi corporis, cuius cura factum est vt esset tantæ staturæ, Verùm magis apparet hanc rationem pertinere ad superiora, vt quemadmodum superius exẽplo auium peculiariter à solicitudine cibi auocauit, ita & hic ratione propria à cibo auocet. Nã mox subiicit: Et de vestimentis quid solliciti estis? significans se, postquã dehortatus est à solicitudine cibi, velle & à soli-

Pſal. 103. Pſa. 145. Geneſ. 3.

licitudine vestimẽtorum dehortari. Apud Lucam quoque capite 12. vbi eadem, quæ hic, habentur, hæc tertia ratio sic ponitur, vt nõ possit referri nisi ad dehortationem solicitudinis cibi & vitæ conseruandæ. Perficitur enim hoc modo: Si ergo nec quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis? Vnde patet Dominum hic voluisse insinuare argumẽtum à minori. Non est autem minus solicitudine cubitum corpori adiicere, quàm solicitudine vestire corpus, cùm istud sit quodammodo in hominis potestate, illud verò nullo modo. Sensus ergo à Domino intentus est iste: Vultis videre quàm non sit solùm impiæ diffidentiæ, sed etiam vanissimæ stultitiæ, discrucIari cura rerum ad victum pertinentium? Quis est vestrum, qui quamuis magna solicitudine, possit etiam vnum cubitum addere staturæ suę? Cùm ergo nemo rem tam paruam possit sua solicitudine frustra soliciti estis de victu & vitæ vestræ conseruatione. Quare illi potius vitæ vestræ curam committite, qui sicut citra vestram solicitudinem corpus ad præscriptam magnitudinem perducit, ita quoque sine illa prospiciet de victu, quo corpus augescit & roboratur, vitámque vestram ad prescriptum ab eo terminum perducet, sine cuius prouidentia tam est inanis omnis vester conatus & labor, pro vita cõseruanda insumptus quàm est inanis solicitudo augendi corpus, vltra mensuram à Deo conceſſam. Quamquam autem nec palmũ nec digitum homo staturæ suæ addere possit, tamen cubitum dicit, eò quòd propriè mensura staturæ sit cubitus, vt annotauit quidam Græcus. Omnis enim homo suorum cubitorum quatuor habet in latitudine, quatuor in altitudine.

Euthymius in commentario super hunc locum.

Et de vestimentis quid solliciti estis? Considerate lilia agri.] Postquam monstrauit quod non oportet nos pro cibo esse solicitos, ad id quod leuius est pertransit, non enim ita necessarium est indumentum sicut cibus. Sicut autem prius exemplo quodam animalium auocauit à solicitudine cibi, ita & nunc etiam exemplo quodam à solicitudine vestimentorum. Non autem hic vtitur exemplo volucrum vt induceret pauum aut cygnum, sed potius exemplo florum, vt ex variis rebus exempla desumens, &

mens, & viliora etiam proferens, in quibus Dei prouidentia relucet mirè, efficacius solicitudinem excuteret. Deinde quia in floribus maximè spectatur pulchritudo quæ illis loco vestimenti est. Liliorum autem inducit exemplum, quòd hæc inter omnes flores singularẽ obtineat gratiam & decorem. Sed agri adiecit, quòd hortensia lilia nonnihil debere videri poterant curæ humanæ, sicut & prius videri potest ideo dixisse de volatilibus cœli, vt distingueret ab altibus. Quum autem sit sermo de indumento, quomodo mentionem facit de incremento, dicens, quomodo crescunt? Quia dictionem illam, crescunt, propter folia posuit, quæ horum vnicuiq; sunt indumẽtum. Est ergo sensus: videte quomodo lilia agri sine omni ipsorũ solicitudine, sola Dei prouidentia crescendo in foliis decorem maximum assequuntur. Quod autem sequitur: Non laborant neque nent, rectè accipitur, vt prius propter viros sit dictum, secundum propter mulieres, vt vtrosque Dominus hoc exemplo confortet, vt sit sensus: Non laborant quemadmodum viri pro prosequendis vestibus: neque nent, quemadmodum mulieres. Quibus verbis cùm ostendit lilia libera esse ab omni solicitudine, deinde adiungit quanta tamen sit eorum pulchritudo, qua veluti amiciuntur & vestiuntur, dicens: Dico autem vobis: quod rectius vertitur: Dico tamen vobis, vel, attamen dico vobis. Sic enim ingerit maiorem admirationem & comparationem immensæ & insuperabilis pulchritudinis, cum carentia omnis solicitudinis, Salomonis autem mentionem intulit, quod is gloriosissimus omnium regum apud Iudæos fuerit, omnis pulchritudinis amator, & studiosus inquisitor, vt testatur de seipso in Ecclesiaste. Dicit autem ad maiorem exaggerationem, in omni gloria sua, hoc est secundum Chrysostomum, toto tempore regni sui, vt nõ solùm semel, atque iterum significetur Salomon superatus à florũ decore, sed etiam toto qua regnauit ætate. Et certè verissimè dictum est ipsum Salomonem nõ sic amictum fuisse, sicut vnum liliorum aut quorumuis florum. Reuera enim, inquit Hieronymus, quod sericum, quæ regum purpura, quæ pictura textrenum potest floribus comparari?

tari? Quid ita rubet vt rosa? Quid ita candet vt lilium? Violæ verò purpuram nullo superari murice, oculorum magis quàm sermonis iudicium est. Nam, vt habet Chrysostomus, quantum distat à veritate mendacium, tantum illorum amictus, & horum florum discrimen interiacet. Potrò hæc comparatio gloriæ Salomonis cum pulchritudine florum nõ solùm valet ad id quod Dominus hic agit, nempe ad excutiendam vestimentorum solicitudinem, sed etiam ad comprimẽdam hominum in vestitus elegantia superbiam. Quid enim in ea superbit homo, cùm à vilissimis floribus iõgè in decore superetur, à quibus etiam glorioſissimus Salomõ superatus est? Postquam autem Dominus maximam illorum pulchritudinem sine omni solicitudine partam ostendit, deinde ex ea pergit inferre vanitatem solicitudinis nostræ de parandis vestimentis. Idque vt efficacius faceret, vilitatem liliorum maximã cum summa illorum pulchritudine componit. Atque ob id quæ prius lilia vocauit, nunc fœnum agri vocat, hoc est, gramen vel herbam agri. Sic enim hic fœnum accipi debet, quemadmodum & alias sæpe in scripturis. Dictio enim Græca χόρτος significat gramen, herbam & fœnum. Nec hac contentus appellatione, rursum etiam aliam addidit illis vilitatem, dicens: quod hodie est: Et non dixit, & cras nõ est, sed multo adhuc inferius & vilius: Et cras, inquit, in clibanũ mittitur. Decorem quoque pulchritudinis ipsorũ similiter amplificans, non dixit simpliciter, quod Deus ea vestiat, sed quod sic vestiat. Nam dictio, sic hoc loco denotat incremẽtum pulchritudinis. Emphasim etiã nõ paruam habet quod dicit, idq; interrogando: quantò magis vos? Pronomen enim, vos, hic est honoris demonstratiuum, quasi dicat: Longè magis vos vestiet, qui estis pretiosa eius possessio, propter quos totum mundum & omnia quæ in eo sunt condidit, quos non creauit vt breui tantùm tempore subsisteretis more liliorum, sed vt in æternum cũ ipso vsuatis. Quod verò addit: Modicæ fidei, vel vt habent Græca, ὀλιγόπιστοι, hoc est, parum fidentes, increpatiuum est, quo ostendit vulgarem solicitudinem nasci ex diffidentia diuinæ prouidentiæ intolerabili, vt sic obiurgatos confunderet, ac fidentiores faceret solicitudine excussa. Quemadmodum autem superius non ad hoc induxit de auibus, quod non seminent neq; metant, vt doceret etiam nobis non seminãdum: sic & hic non ideo dixit de liliis quod non laborent, neque nent, vt prohiberet laborare & nere, sed tantùm vt ostendat Deum illa vestire & ornare suo decore, & vt significaret nobis ex Dei voluntate viuentibus. illius prouidentia non defore nobis vestitum necessarium, etiamsi ad illud vitæ genus vocati fuerimus, quod non sinat nos pro vestitu parando laborare aut nere, quemadmodum qui ad euangelizandum vocantur. Obseruandum autem in his exemplis auium & florum, Christianæ philosophiæ & pietatis esse à creaturis desumere exempla, quibus ista biliantur quæ sunt huius philosophiæ, atque hinc discere Dei sapientiam, bonitatem, ac prouidentiam, & omnia id genus alia, quæ de Deo nos credere conuenit.

Nolite ergo soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, &c.] Postquam Dominus multis argumentis ostendit Dei erga nos prouidentiam, nostræq; solicitudinis vanitatem, infert rursum quod prius proposuerat, sed iam planius explicans naturam & conditionem solicitudinis à se prohibitæ, aliàque rursus adiiciens argumenta. Cùm enim dicit: nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus: satis significat, quam solicitudinem & curam prohibeat, videlicet timidam & anxiam, quæ huiusmodi cogitationibus, ceu continuis quibusdã æstibus, hominem exagitat: Quid edemus, aut quid bibemus, &c. semper timorem suggerens ne ista aliquando desint à quali solicitudine rursum duobus auocat argumentis. Primum, quòd trepidè & solicitè requirere quæ ad victum & vestitum pertinent, Ethnicorum sit hominum scilicet Deum ignorantium, quique cùm meliora ac vetiora bona ignorent, ista potissimum inquirunt, à quotũ motibus dissimillimos esse omnino conuenit eos qui in filios sunt adoptati, Dei cognitiõe iam donati, & ad cœlestia bona vocati. Sicut enim suprà cùm ad dilectionem inimicorum adhortaretur, Ethnicorum diligentium diligentes se commemoratione, ad id quod erat perfectius incitauit: ita nunc quoque eosdem

dem adducit in medium, ostendens necessarium à nobis debitum se flagitare. Si enim nos etiam iustitiam Scribarum & Pharisæorum vincere debeamus, vt intremus in regnum cœlorũ, qua pœna digni erimus si non solum illos non vincimus, sed in gentium etiam vilitate permanemus. Secundum argumentum ductum est à persona ineffabiliter benigni patris nostri cœlestis, cùm dicit: Scit enim pater vester quia his omnibus indigetis. Quæ certè sententia magnam habet energiã ad propulsandam solicitudinem necessariorum. Nam ad hoc vt quisquam posita solicitudine totum se alicuius prouidentiæ committat, nihil aliud requiritur, quàm vt certus sit de illius benevolentia ac potestate, & scire illum suas necessitates. Porrò Dei in nos benevolentiã significat, cùm patrem nostrũ vocat, de cuius omnipotentia nemo est qui addubitare possit, quamquam & hãc satis hic significet, cùm vt habent Græca, addit, cœlestis. Et ne quis putet benignum quidem esse & potentem, sed ignorare nostras necessitates: scit, inquit, pater vester quia his omnibus indigetis. Quis autem inuenitur pater, qui non subuẽturus est filiis suis, cùm eorum necessitates agnoscit, & in ipsius potestate est subuenire? Quòd si talis omnino reperiri possit apud homines, nõ conuenit tale quid suspicare de patre cœlesti, qui, quòd cœlestis sit, longè vincit bonitatem cuiusuis patris terreni. Bene autem notandũ cum Chrysostomo quod dicit: quia his omnib. indigetis. Sic enim hoc ipsum quod plerique præexant suæ solicitudini, ostendit idoneam esse causam exercendi omnem curam. Cùm enim ideo dicant se homines debere esse solicitos de victu & vestitu quia sunt necessaria, Dominus è regione ostendit ob hoc ipsum non debere esse solicitos quia sunt necessaria. Si enim essent superflua, nõ ita possemus de eorum suppeditatione confidere; nunc verò cùm sint necessaria, prorsus non oportet ambigere. Quis enim inuenitur pater, qui filiis suis à se dilectis necessaria quidem se non præstare patiatur.

Quærite ergo primùm regnũ Dei, & iustitiã eius, & hæc omnia, &c.] Post præceptum negatiuum, qui prohibuit dubiam & anxiam curam necessariorum ad victum & vestitum,

vestitum, subiungit præceptum affirmatiuum, quo demonstrat & quomodo à moribus Ethnicorum in quærendo debeamus differre, & quomodo sine nostra solicitudine, Dei prouidentia nobis necessaria assequamur. Non habent autem Græca coniunctionem illatiuam, ergo sed. Ζητεῖτε δὲ hoc est, quærite autem. Est enim oppositio ad illud: Hæc enim omnia Gentes inquirunt, quasi dicat: Gentes quidem illa inquirunt, vos autem qui Deum vocatis patrem, quærite regnum Dei. Quod autem dicit: primùm quærite, dupliciter accipi potest. Vno modo, vt per hoc quod dicit: primùm quærite, intelligatur significare quid posterius quærendum sit, videlicet temporalia nobis necessaria. Altero modo, vt primum non referatur ad secũdum, sed vt purè negatiuè accipiatur, & primũ dicatur quo nihil est prius, quomodo primogenitus dicitur, ante quem nemo genitus est, etiamsi nullus sit secundo genitus. Atque ad hunc modum accipiendum vult Caietanus, eò quòd subiiciat Dominus: & hæc omnia adiicientur vobis: quibus verbis videtur significare, neq; secundo loco temporalia esse quærenda. Verùm rectius cum Augustino priori modo accipitur. Non enim ideo dixit: & hæc omnia adiicientur: vt significaret hæc non esse quærenda, cùm in oratione à se præscripta docuerit hæc à Deo quærere, sed vt significaret his qui primùm regnũ Dei quærunt, temporalia veluti secundaria quædam bona obuentura à Deo, & præcipuo eorum desiderio accessura, tanquam quædam necessaria. Igitur primùm quærite, hoc est, ante omnia non tẽpore, sed dignitate, hoc est, maximè & præcipuè quærite. Quod tum fit cùm ita regnum Dei præponimus cæteris rebus, & ita regnum Dei toto corde quærimus, vt reliqua ad vitæ huius sustentationem necessaria, non quæramus nisi propter regnũ Dei. Non dicit autem: soliciti primùm sitis regno Dei, sed quærite regnum Dei: nam etiam circa regnum Dei nõ valt nos Dominus dubiam et timidam adhibere curam sed securam, vtpote inixam fidei & spei ineffallibili. Vnde dicit Paulus: Nihil soliciti sitis, &c. Verum quomodo primùm regnum Dei vult esse quærendũ, cùm in præscripta hoc eodẽ capite oratione dominica, docuerit primum

mùm querere sanctificationem nominis Dei, ac secùdo loco regnũ Dei? Respõderi potest dupliciter, iuxta quod duobus modis accipitur quod dicitur: quærite regnum Dei. Quidam enim intelligunt, vt sit sensus: Opera date ante omnia, vt Dei regnum latissimè pateat, & tum in vobis, tum in quamplurimis alius Deus regnet. Sic autem quærere regnum Dei non est aliud, quàm quærere sanctificationẽ nominis diuini. Alij verò sic intelligunt: Ante omnia quærite consequi regnum Dei, hoc est, in hoc præcipuè curas vestras cõferte, vt digni efficiamini participes esse regno Dei beato & cœlesti. Quomodo satis patet intellexisse D. Augustinũ. Iam quod dicit: primum quærite: intelligendum eum voluisse ostendere quid in bonis nostris primùm nobis quærendum sit, quamuis in eisdẽ quærendus sit ante omnia Dei honor, & nominis diuini sanctificatio. Quærite ergo primùm regnum Dei, præcipuè illud à Deo in orationibus postulando, & eò omnia vestra studia imprimis conferendo, vt illud assequamini. Cùm autem additur: *& iustitiam eius*: relatiuum, eius, non potest referri ad regnum, vt iustitia regni Dei sit quàm regnum Dei requirit, quomodo quidam intelligunt, sed referri debet ad genitiuum, Dei, vt manifestè patet ex Græcis, vbi βασιλείαν, id est, regnum, est fœmininum, cum relatiuum αὐτῆς sit masculinum. Est autem iustitia Dei qua coram Deo iusti sumus, per fidem & mandatorum Dei operationem. Coniunxit iustitiam Dei quærendam cum regno Dei, vt significaret non alia ratione regnum Dei posse obtineri quàm per iustitiam eius. Porrò nõ dicit: & hæc omnia dabuntur vobis, sed, adicientur vobis, (vel, vt habent Græca, προστεθήσεται, id est, apponẽtur potius quo modo & Augustinus legit) ne horum temporalium suppeditatio videretur esse merces quærentium regnum Dei, & vt disceremus, inquit Chrysostomus, eorum quæ in præsenti dantur nihil esse magnum, si futurorum magnitudini comparentur, cum temporalia, veluti accessoria solum sint & accedentia. Rursum notandum, vt habet Augustinus, quod postquam dixit: Primùm quærite: non subiunxerit, deinde ista quærite, ne duos fines putaremus nobis constituendos,

& propter

& propter se appetenda, tum regnum Dei, tum hæc necessaria temporalia. Nihil autem obest veritati huius promissionis, quòd quosdàm sanctorum Deus etiam vsque ad mortem fame & nuditate premi permiserit & permittit. Non enim promittuntur temporalia, nisi tanquam adiutoria salutis: proinde cùm Deus ea subtrahit, quòd sic expedire saluti quorundàm iudicat, non promissionem suam irritam facit, sed diuersa ratione eandem salutis eorum curam gerit: quomodo & homo cùm iumento suo cibaria subtrahit, quòd sic illi expediat, non deserit illud cura sua, sed potius curando illud facit. Proinde in generali huiusmodi promissione tacita huiusmodi subintelligitur conditio, quantum id salutis vestræ expedit. Idem sentiendum de aliis scripturæ sententiis huic loco similibus, qualis est illa Psalmi: Inquirentes Dominum non minuentur omni bono. *Psal. 33.* Et non est inopia timentibus eum. Cùm autem Dominus postquam prohibuit solicitudinem, econtrariò præcipiat quærere regnum Dei, satis rursum significat qualem solicitudinem prohibeat, & aliam quoque indicat rationem, ob quam propulsanda sit solicitudo temporalium, nimirum quod impedimentum præstet, ne quis regnum Dei & iustitiam eius quærat quemadmodum oportet. Et certè efficax quædam hic ratio à solicitudine auocans insinuatur, quia significatur non solicitis multò abundantiùs danda esse quę sunt necessaria solicitos verò, præterquam q inutile patiantur solicitudinem, non tantùm necessariis excidere, sed etiam cœlestibus bonis. Perinde ergo est ac si diceret, vt annotauit Chrysostomus: Propterea iubeo ista non quæri, non, ne accipias, sed vt abundanter accipias. Cùmque ea quæ tibi competit vtilitate etiam præsentia consequaris, ne solicitudinibus afflictus, & curarum morsibus sæpe discerptus, non modò istis, sed etiam spiritualibus bonis te facias indignum ne & superfluam patiaris ærumnam, & quod est amplius, propositam tibi amittas coronam.

V. DOMI-

DOMINICA XVI. POST TRINIT.

EVANGELIVM.

Lucæ 7. *IN illo tempore: Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum illo discipuli eius, & turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ: & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum audisset Dominus misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt, & ait: Adolescens, tibi dico surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.*

BReuis quidem præsentis Euangelij historia, at non vulgarem, minimèque breuem consolationem, doctrinam, institutionem, atque exhortationem si singulas eius partes ac sententias diligenter excutias, continet. Siquidem quis sit status vitæ, quæque conditio hominum super terram, luculenter admodum, ac veluti in tabula depictum conspiciendum nobis exponit, quo nos nobis ipsis cognobiles reddat. Deinde, ad fidei confirmationem, nouo & stupendo miraculo, quis CHRISTVS sit, aperit, vt in priore parte, nostram cognoscentes miseriam, sciamus, ad quod asylon refugere, atque vnde malorum omniū remedia sperare debeamus. Postremò, quamplurima tradit pietatis & vitæ ad Euangelij normā instituendæ paradigmata, ex quorum obseruatione, quid cuiq; sequendū, quidve fugiendum sit, manifestissimè conspicitur. Ac primum quidem diligentiam pastoris nostri, perditam ouem perquirentis, hodiernum Euangelium ostendit. Missus erat à patre, docendis, seruandisq; omnibus: Quā legationem non perfunctoriè, sed tanta auiditate complenit, vt verè dicere possit: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me. Sanato itaque Centurionis seruo, & socru Simonis, aliisque, quos ibidem inuenit, infirmis curatis, ne qua illi mora fieret, quò pluribus faceret beneficentiæ suæ copiam, noctu sese subduxit, nullisque

Ioan. 4. Matt. 8.

nullisque parcens laboribus, fessa, maleque sæpenumero refecta membra, quáque versum discurrens, exponit itineri, tanto studio, vt alicubi ipsum remorari volentibus, responderit: Oportet me & aliis ciuitatibus euangelizare regnum Dei, quia ad hoc missus sum: Siue vt Mateus habet: Eamus in proxima municipia & ciuitates, vt & ibi prædicem, ad hoc enim veni. Cuius rei gratia, & hanc Naim versus, profectionem instituit. O fœlix illud oppidum, illa domus, & homo quicunque, ad quem Iesus, hoc est, Seruator diuertit: Inde enim mala omnia, vt è vestigio diffugiant, bonáque cuncta succedant, necesse est. Intrauit domum Simonis, & à febribus exoneratur socrus. Intrauit domum Matthæi, & ex auaro publicano fit, non modo Euangelista, verum etiam Apostolus. Intrat cubiculum Iayri, & dicto citius, deploratam filiam mortuam, vitæ restituit. Ingreditur ædes Zachæi, & facta est illis salus, ac ex Satanæ mancipio, fit filius Abrahæ. Ad edes quoque diuertens principis Pharisæorum obseruatorum æmulorúmque plenas, (vti futura Dominica audituri sumus) præter corporalis beneficium sanitatis impensum hydropico, totam familiam diuinissimis admonitionibus ad pietatem instruit. Quid multa? Venicus Christus Naim, reuixit qui efferebatur mortuus, & mœror omnis vertitur in gaudium. Cōtra verò, væ illis, à quibus Seruator discedit, quemadmodum accidit perfidis Iudæis, à quibus quoniam ob deploratam obstinationem se CHRISTVS auertit, quidnam aliud ipsis superesse potuit, quam extrema calamitas, perditio, atque exitium. Quoties volui, ait Dominus congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos, & noluisti, propterea relinquetur vobis domus vestra deserta, & me non videbitis amplius. Hinc obserua, quid causæ sit, quod tot, tantisque miseris Christiana Respublica, vbique infestatur, nusquam pax aut securitas, hæresibus, bellis, & seditionibus permiscentur omnia, tuta etiam cuncta pertimescimus, quin & elementa ipsa, in nostram videntur coniurasse perniciem. Calamitatum omnium causa hæc est, quod, CHRISTVM, & præcipuè gloriam Dei, ad consistoria, conuentus, & deliberatio-

Matt. 8. Matt. 9. Luc. 19. Luc. 14.

nes nostras,non admittimus,se nostram tantùm, & politicam prudentiam consulimus. Quod item Christum intra cordis hospitia,aut non admittimus,aut non retinemus. Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manus Sesac,inquit; Semeias Propheta ad Roboam,& Principes Iuda consternatos, ob potentiam & tyrannidem
2.Par 12. Regis Ægypti &c.Sed tempus nunc Postulat, vt Euangelij textum repetamus.

Ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim] Bene quidem præsens miraculũ, post duo superiora hoc eodem & præcedenti capite, apud Lucam descripta, & contigit,& descriptum est. Sic enim progressus quidam factus est,à mirabilibus ad mirabiliora. Magnũ enim fuit miraculum hominẽ incurabili manus laborantem morbo curare:maius verò absentem paralyticum iamiã moriturum solo verbo sanitati restituere: sed omniũ maximum,mortuũ & tam sepeliendum resuscitare. Itaq; hoc miraculo obstruebatur os eorũ qui dicere poterãt seruũ Centurionis non moriturum fuisse;etiamsi Christus sanitatem illi,verbo non contulisset,& proinde nihil magni Dominum in illo operatum fuisse. Porrò Naim,vel vt habent Græca νάειν Naein,ciuitas Galilææ,non longè à Capharnaum,duobus miliaribus distãs à monte Thabor contra meridiem,teste Hieronymo in libro de locis Hebraicis, vbi & suo seculo perstitisse adhuc ciuitatem hanc scribit.Igitur Dominus qui circuibat ciuitates & castella,quo latius spargeret semen Euangelicæ doctrinæ,& sanaret languidos multorum,è Capharnaum ciuitate, in qua potissimum residebat & habitabat, ibat aliquando in proximam ciuitatem hanc Naim, volens etiam hanc,quamuis humilem & obscuram, præsentia sua,doctrina & miraculis illustrari. Diuina autẽ prouidentia factum, vt & Dominum concomitarentur discipuli multi (nam Græca non tantum discipulos iisse cum Domino habent,sed discipuli ὄχλοι, hoc est,sufficientes & multi) & turba copiosa,& viduæ quoque cui Dominus occursurus esset,multa adesset turba,vt miraculum in medio turbarum duarũ gestum,multos haberet,testes qui illud in Dei gloriam vbique diuulgarent.

Quod

Quod autem ex portis ciuitatis efferebatur defunctus sepeliendus,hinc fuit,quod apud Iudæos mortui nõ sepelirentur in ciuitatibus,sed foris in agris & montibus. Bene autem iustam miraculi faciendi occasionem, imò necessitatem indicat Euangelista, cum quam flebile esset funus Domino obuians describit.Flebile enim erat triplici de causa Primum, quod adolescens esset mortuus in ipso flore,vitæ ereptus:Deinde,quod filius viduæ quæ filij præsentia sese consolabatur de morte mariti Postremùm quòd vnicus esset filius,& quod est maius, vnigenitus. Græca enim habent, μονογενὴς. Proinde apud nos vnicus filius dici intelligendus est, qui solus ei fuit natus.Non parum enim auxit viduę dolorem, quod defituta viro,etiam orbata esset eo quem solum genuerat,& ob id tenerrimè dilexerat, ex quo etiam nondum nepotes susceperat, priuata iam non solum omni consolatione,sed & omni spe posteritatis. Itaque fieri non potuit quin casu tam miserando & iustissimis fletibus viduæ moueretur misericordissimus Dominus, cuius occursus & obturus semper fœlix est & faustus. Occurrit'enim dæmoniacis in regione Gerasenorum, & curati sunt. Vidit Petrum & Andream piscantes,& fecit piscatores hominum. Vidit Publicanum nomine Leui, & ex Publicano fecit Apostolum Vidit in probatica hominem paralyticum, & mox sanitatem contulit Vidit cœcum à natiuitate,& visum præbuit.Respexit in atrio Petrum, & ad pœnitentiam commouit.Sic & modo occurrens viduæ,eámq; flentem videns,misertus est eius, & qui viduarum maximè curam gerit,sese illi quæ consolatorem non habuit, consolatorem efficacem præbuit,& verbis & re opitulans. Quique fere fide quorũdam & precibus ad miraculum commoueri solet, hic iã sola misericordia mouetur, quemadmodum & in curatione paralytici in probatica. Primum ergo verbis eam consolatur,dicens:Mulier,noli flere. Non enim deflenda erat mors eius,qui mox maiori cum gloria & lętitia matris erat victurus.Deinde,quoniam exiguæ aut, vanę est misericordiæ verbis tãtum consolari,cui possis re & opere subuenire,ne vana esset eius consolatio, accessit, & tetigit loculum,in quo efferebatur defunctus repositus.

tus. Perfectam ergo misericordiam Dominus hic exhibet, dum & in corde mouetur misericordia & verbis eã consolatur, & ipso facto miseriam viduę subleuare studet. Christo tangente loculum, illico funeris portitores restiterunt, Domini autoritatem vel prius cognitam habentes, vel iam ex turba ipsum sequente cognoscentes. Hic vtraq; erat turba erecta in rei euentum, tum ea quæ comitabatur Dominum, tum ea quæ comitabatur viduam Iesus autem versus ad adolescentem exanimem, qui vocare potest ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, cum imperij autoritate dixit: *Adolescens tibi dico, surge.* quemadmodum suprà filiam Archisynagogi suscitans dixit: Puella tibi dico, surge. Qua in re incomparabilem sanè potentiam suam & plane æqualem patri demonstrauit. Qui enim hac in parte Eliæ similis fuit, quod, quemadmodum ille, viduæ filium vnicum resuscitauit, longè se dissimiliẽ aut Eliæ aut aliis demonstrauit, quod non frequẽti extensione corporis sui super corpus mortui, quemadmodum Elias & Elizeus, nec lõga oratione, quemadmodũ Petrus, sed simplici contactu & imperio mortuum ad vitam reuocauit: omnino declarans se verum Deum esse, apud quem solum est imperiũ vitæ ac mortis. Itaq; adolescens ad vocem Domini illico velut excitatus à somno resedit in loculo, quoque certius esset vitæ redditæ argumentũ, cœpit loqui, sermone non solum vitam, sed etiam vigorem animi declarans. Quumq; iam adolescẽs à loculo exiliisset, ac, vt est verisimile, Iesu adhærens, per quem intelligebat sibi vitam esse restitutam, gratias ageret, nõ illũ sibi retinuit quẽadmodum iure potuisset, vt qui vitam iam donauerat quàm à matre non acceperat, sed reddidit illum suæ matri propter quod bene dicit Euangelista, *Et dedit illum matri suæ.*] vt cuius iam non erat nisi benignitate Domini, illi fuisset nouo dono datus. Porrò ex conspecto miraculo tria in præsentibus turbis consecuta narrat Euangelista, nempe primo timorem, non quo malè sibi à Domino metuerent, sed qualis nasci solet ex stupore magno, dum noua aliqua & insolita res accidere videtur. Deinde glorificationem Dei. Magnificabant, inquit, Deum hoc est, glorificabant, (nam Græcè est ἐδόξαζον) dicentes Prophe

Propheta magnus surrexit in nobis, &c. Dicunt autem magnus, vel quia ex miraculi magnitudine videbant eum aliis prophetis potentiorem, vel quia intelligebant eum esse illum prophetam à Moyse promissum. Deuteronom. 18. hoc est, esse Messiam expectatum. Dicunt, Deus visitauit plebem suam, hoc est, curam se plebis suæ habere iam declarauit, cùm nullos longo tempore nobis mittens prophetas, visus sit nostri oblitus, nec singularem nostri rationem habere. Aut si turba Dominum fuisse Christum credebat, visitasse dicunt Deum plebem suam, quòd promissa sua in populo Iudaico iam complere cœperit. Verùm verba magis videntur significare populum nihil altius de Domino suspicatũ, quàm quòd propheta quispiam esset insignis. Non enim Græci hic habent articulum: προφήτης μέγας. Postremùm narrat Euangelista & tertium, quod ex conspectu miraculo consecutum est, nimirum quod exierit hic sermo, hoc est, rumor miraculi huius, vel hic sermo, hoc est Hebraica phrasi, hoc factũ, in vniuersam Iudæam. Vbi nomen Iudææ generaliter videtur accipiẽdum, vt scilicet etiam Galilæam comprehendat, in qua erat ciuitas Naim. Circa hãc historiam primùm obseruandum Dominum ex omnibus mortuis vnum tantũ excitasse sola misericordia ipsum commouẽte, nulliusque precibus interpellatum, idq; filiũ viduæ. Hoc enim demonstrauit se viduarum maximè esse consolatorem, ac viduarum lachrymis maximè commoueri, quemadmodum id vbique de Deo scripturæ prædicant. Sic vi- 3. *Reg.* 17.
duæ solius filium suscitauit Elias, & Eliseus viduæ inopiam miraculo olei multiplicati subleuauit, & Petrus precibus viduarum flexus puellam nomine Dorcadem suscitauit. Quibus omnibus & nos docemur, viduis & desolatis potissimum hominibus adesse. Secũdò obseruandum, quòd Dominus suscitaturus filium viduæ, eidem prius fletum prohibet, dicens: Noli flere docens scilicet ob spem resurrectionis mortem amicorum nõ deflendam immoderatè. Vnde & Paulus. Nolumus vos ignorare de dormientib. vt nõ contristemini, sicut & cæteri qui spẽ non habẽt. Obseruandũ tertiò, quod Dominus non verbis tantũ se viduæ exhibuit consolatorem, 4. *Reg.* 4. *Act.* 9. 1. *Thes.* 4.

sed & reipsa, docens scilicet non verbis tantùm miserorum afflictionem leniendam, sed & opere, quatenus in nostra est potestate. Ita quod ad mysticos attinet sensus, allegoricè quidem hæc vidua significatur secundum Ambrosium Ecclesia sanctorum, quæ populum iuniore iam amissum & mortuum, & ligno concupiscentiæ, quod primum mortem inuexit, ad inferni veluti sepulturam delatum, Christo in mundũ aduenientè, recipit, postquam lignum Dominus retigit. Contactu enim oculi intelligit Ambros. significatum salutè populo per crucis patibulum refundendam. Moraliter verò in hac vidua exprimitur quid quotidie mater Ecclesia facere debeat, cùm aliquem adolescentium suorum quos genuit Christo hoc est, eorum qui nundum virile in virtutis profectu colligerunt robur, contigerit letali aliquo peccato à vita spiritus excidere, imò iam per manifestam ipsius impietatem, à mundi cupiditatibus defecti è porta ciuitatis, quæ est Ecclesia, ad sepulchrum æternæ desperationis. Vidua enim modò est ecclesia, vt quæ destituta est corporali præsentia sponsi sui in cœlos sublati. Habet hæc filios multos, & inter hos quosdam viros, quosdam adolescentes, sed quos singulos ita diligere debet, ac si quisque vnicus esset. Habet portas suas per quas eiicit mortuos, ne fœtore cadaueris inficiantur & alij. Habet portas, per quas recipit à Domine reuocatos ad vitam. Itaque si quis adolescens adhuc apertè iam mortuus, à suis cupiditatibus extra portas Ecclesiæ defertur ad sepulchrum æternæ perditionis, mater Ecclesia necdum planè desperans, multis comitata suis ciuibus, prosequi debet funus, lachrymis, gemitu, lamentis declarans quod optat. Sic fiet vt Ecclesiæ suę occurrens pius Dominus plorantem consoletur, & eius solius permotus lacrymis, primum quidem manu sua contacto loculo, stare faciat funeris baiulos, hoc est finè imponat impijs cupiditatibus, quæ cessaturæ aliquoi non fuerant, donec mortuũ sepeliuissent in profundum malorum aut inferni. At tũ quidem spes bona est redituræ vitę, siquidem primus gradus ad resipiscẽtiam est, non progredi in malis, sed non tedit vitæ vigor, nisi mortuo loquatur Dominus. Itaque secundò Dominus etiam

Mysticus sensus.

Moralis sensus,

etiam ad mortuum conuersus voce sua illum resuscitabit, quàm quicunque audierit, etiamsi mortuus fuerit viuet. Resuscitatus autem & vitæ restitutus qui mortuus fuerat, erigere se debet ad virtutum opera, & certissimum vitæ documentum loquendo præbere, confessione scilicet peccatorum suorum, & gratiarum actione de diuina in se clemẽtia. Sic demùm cùm est matri redditus, sequitur maius gaudium quàm erat prior luctus, sequitur admiratio & prædicatio diuinæ bonitatis in multis. Hãc historiæ moralem tractationem videre est latius in Paraphrasi Erasmi, qui eam pulchrè & prolixè prosequitur. Theophylactus autem & aliam moralem tractationem indicat, nimirum vt in vidua hac animam intelligamus iam verbo Dei aut Christo suo sponso orbatam per pẽccatum, cuius filius, hoc est mens iam mortua effertur extra portas supernæ ciuitatis Hierusalem, quæ tantùm viuentium regio est. Hæc ergo anima si funus suum defleuerit, & maximè si aliorum piorum lachrymas sibi adiunxerit, Iesum sibi occurrentem habebit, qui contacto corpore, quod veluti loculus est & sepulchrum mortuæ mentis, ipsam mentem viuificabit, vt iam & surgere possit, & loqui quę vitam spiritualem testentur. Porrò in tribus iam prædictis apud Lucã capit. 7. miraculis, & illud obseruari potest ad moralem institutionem conueniens. Primus leprosus per se Christum accedens, & rogans, sanitatem consecutus est. Secundus paralyticus per se accedere non valens, aliorum precibus impetrat sanitatem. Tertius mortuus, non nisi lachrymis multorũ ad vitam reuocatur. His enim tribus, triplex peccatorum genus designatur. Nam sunt qui vitam quidem habent malis operibus contaminatam, sed non omni ex parte malam, qui necdum inciderunt eam infirmitatem, vt non possint ipsi Christo accedere, & piis ac humilibus precibus sanitatem impetrare. Sunt alij qui in omnib animæ suæ viribus dissoluti, paralyticorum, more non valent ad Christum accedere, sed tamen morbi sui magnitudinem sentientes, alios ad Dominum mittunt qui pro ipsis deprecentur, & sanitatem consequuntur. Sunt tertiò qui iam velut mortui, nullum mali sui sensum habent, qui

Triplex peccatorũ genus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt ad vitam reuocentur, maioris negotij est. Opus enim non soiùm piorum precibus, sed & lachrymis.

DOMINICA XVII. POST TRINIT. EVANGELIVM.

Luce. 1. *IN illo tempore: Cùm intraret Iesus in domũ cuiusdã principis pharisæorum sabbatho manducare panem, & ipse obseruabant eũ. Et ecce homo quidã hydropicus erat ante illũ. Et respondens Iesus, dixit ad legisperitos, & pharisæos dicẽs: Si licet sabbatho curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanauit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos, dixit. Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbathi? Et non poterant ad hæc respõdere illi. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbes in primo loco ne forte honoratior te sit inuitatus ab eo, & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi. Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cùm vocatus fueris vade, recumbe in nouissimo loco vt cùm venerit qui inuitauit te dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Quia omnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.*

NOn potuisset Ecclesia, si quis tenorem Euangelij exactè consideret, meliore introitu, huius Dominicæ diei Liturgiam auspicari, quã iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Singulis siquidem ordinibus, quos coram se habuit Christus, quę iure cõpetebãt fercula, distribuit. Infirmo sanitatem, institutionem ignorantibus: ignauis calcar & incitamentum: rebellib. autem & præfractis correctionẽ. Qui enim cùm subest facultas, rogatus egẽti nõ subuenit: aut qui non instruit cùm necesse est, rudes & ignaros: aut dẽiq, qui prauis moliminibus non refragatur, nequaquam iustitiæ nomen sibi vindicare potest. Triplex autem hominum genus Christus in hisce ædibus reperit, quorum primum hydropicus, qui sanitate indiguit, cãmque est cõsequutus. Pharisæis necessaria fuit correptio; reliqui verò cõuiuæ,

uiuæ, quoniam in Pharisæorum obstinatam malitiam prauo exemplo corrumpebãtur, opus habebãt sinceriore aliqua informatione, quã & benignissimè ipsis Christus suppeditauit. In superbissima Pharisaica gente, duo pessima redarguit crimina, quorum alterum religione, alterum Rempublicam euertere solet. Prauus siquidem scripturæ intellectus, hæreses gignit, & inanã hominibus securitatem facit, vt sibi persuadeant, promittãtq; salutem, falsis innixi opinionibus, quòd, heu, infœlicissimis nostris temporibus magis ignotuit, quàm vt longiore egeat declaratione. Hinc Pharisæi cogebãtur audire, quod non modo scripturis, verum etiam suis ipsorum rationibus repugnarent, pro eo quod culpabant Christũ sabbathis hominem curare, cum idem ipsi brutis pecudibus, quod vilius est, impium non iudicarent, exhibere in sabbatho. Pari modo & id in ipsis reprehẽdit quod politias, vt plurimũ euertere solet. Vnde quęso tot in Republic. tumultus, seditiones, lites & bella, nisi, quia vnusquisq; eminere, nemo alteri cedere vt nullus sit suæ vocatione, nullus sua sorte contentus? Discipulus magistri partes vsurpat rusticus non vult cedere ciui, nobiles se principi moliuntur æquare, principes se præferunt Cæsari, Magistratus ciuilis Ecclesiasticum opprimit, suámque falcem in ipsius messem, cum multarum animarum interitu immittit, pauci Apostolicæ recordantur doctrinæ: Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes. Nemo cogitat latãm in Euãgelio (cuius enarrationem iam auspicaturi sumus) sententiam. Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Ad Phi. 2.

ET factum est cum intraret Iesus in domum cuiusdã principis. Lucas Euangelista commemorat Pharisæorũ cõtra Dominum technas, & quomodo eorum peruersa iudicia & mores à Domino sunt notati & reprehẽsi. Nã hoc fere multis agit capitibus. *Factum est*, inquit, hoc est, accidit cùm introisset Iesus in domũ cuiusdam principis Pharisæorum sabbathi die ad manducandũ, panem) neq; enim dedignabatur Dominus ad illorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rũ cõuiuia accederet, etsi non syncero animo ab eis rogaretur, cupiens omnes lucrifacere) & ipsi Phariſæi qui simul erant inuitati obseruabant eum, nũ quid diceret vnde possent accusare eum, aut facere quod cõtra sabbathi esset religionem. Superest autem, quod ad sensum attinet, hoc loco coniunctio, & apposita ex phrasi Hebraica quemadmodũ sæpius apud Lucam. Cùm ergo obseruarẽt eum ecce parata erat calumniæ occasio. Aderat enim illic homo quidam hydropicus stans ante illum, quem verisimile est ab ipsis Phariſæis iussum cõsistere in conspectu Domini, vt illi occasionem offerrẽt faciendi quod reprehenderẽt. Verùm misero huic profuit venisse in conspectu Domini. Sanitatem enim consecutus est, etiamsi verbis eam nõ peteret, siue quòd sic fuit à Phariſæis instructus, siue quòd Phariſæos metueret propter sabbathum. Itaque cùm Dominus ad aspectum miseri moueretur misericordia, ac multo magis dolens ob Phariſæorum cæcitatem & malitiam, præuenit eorũ calumniam, ac declarare se nõ ignorare quid apud se cogitarent, respondẽs ad illorum scilicet cogitationes & obseruationem (sic enim hic, respõdens, positum est, quemadmodum sæpe, vt sit, ad aliquid vel cogitatum, vel factum, vel dictum subiicere aliquid) dixit ad legisperitos & Phariſæos, *An licet sabbatho curare?* Qua interrogatione excludit eorum calumniã. Neque enim iustus calumniãdi factum Domini locus illis esse potuit, qui interrogati num liceret, non prohibuerant. Idq; cùm omnium se magistros profiterẽtur. Cùm ergo illi interrogati iam obticescerent, quemadmodum & aliàs idem interrogati siluerunt, (neque enim dicere poterant licere, quandoquidem sic locuti fuissent cõtra suam obseruationem: neque dicere audebant non licere, quod metuerent ab illo reprehendi, quemadmodum euenit) Dominus apprehensum hydropicum contactu suo illum sanauit, ac post redditam sanitatem non illũ in suam seruitutem sibi reseruauit, nec apud se ad ostẽtationem detinuit, sed mox à se dimisit. Sanauit autem non solo verbo, sed apprehendens illum, vt stultitiam Phariſæorum sic confutaret, & exemplum quo postea eos redarguit, suo facto magis conueniret. Quoniã autem

tem sciebat Dominus hoc facto offensos animos Phariſæorum, vt post sanatum corpus mederetur & mentibus prauis iudiciis infectis, respõdens ad cogitationes ipsorum, quæstionem eis proponit, per quã ex rebus factis die sabbathi à seipsis, intelligere possent factũ eius multo magis ab omni calumnia liberum esse debere. Congruenter autem, vt annotauit Diuus Augustinus, hydropicum animali quod in puteũ cecidit comparauit, quia humore laborabat, & veluti è puteo in quo submergendus fuerat, subtractus fuerat Domino illum apprehendente; sicut illam mulierem quàm alligatam dixerat, & ipse soluebat, compatauit iumento quod soluitur vt ad aquam ducatur. Porrò nõ simpliciter Dominus ex illorum facto suum factum non esse dignum calumnia eorum ostendit, sed exemplo proposito simul etiam notat illorum & præposteram religionem & auaritiam, vt qui in eo quod si opus erat dicendũ, tantùm fuit opus charitatis, arguerent eum violare sabbathum, cùm in simili opere cupiditatis non iudicarẽt se violatores sabbati. Notat autem eos modestè tantum, & quod iustum est eis iudicandum reliquit, nec tam aperte eos incessit, vt mox superius in synagoga ipsum archisynagogũ, quòd non vt ille apertè factũ ipsius calumniarentur, sed in silentio cogitationes suas occultarent. Cęterùm hydropicus iste, typus quidã est, aut in genere cuiuslibet peccatoris, quem exuberans terrenarũ rerum, in quibus nunquam satiari homo potest, desiderium aggrauat, ac per dissolutam & lubricam vitam grauiter laborat: aut specialiter hominis alicuius, qui vel libidini seruit, vel diuitiis est intentus, vel factu tumet. Singula enim hæc vitia ob quandam proprietatem hydrops morbus adumbrat. Nam quoniam hydropicus morbus ab aquoso humore vocabulum trahit, libidini significandæ rectè adaptatur, & vitæ lubricitati. Et quoniam quo magis hydropicus abundat humore, tanto amplius sitit, hydropico rectè assimulatur auarus. Nam quẽadmodum quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ; ita crescit amor nummi, quãtum ipsa pecunia crescit. Rursum ob tumorem qui est in hydropico, ac proficiscitur ex epate vitiato, bene ei comparatur quisquis inani tumet factu nascente ex

corrupto

corrupto mentis iudicio, veluti ex epate vitiato, dum collocat gloriã in his rebus in quibus non est collocanda, ac stultissimæ gloriæ apud homines parandæ siti laborat. Quamobrem quisquis cuiusuis vitij ratione laborat hydropi, grauatus concupiscentiis, sed nõ satiatus sanabitur, si in sabbatho se Christi conspectui obtulerit hoc est, si otium agens à malis operibus, morbúmque suũ agnoscens, sanari à Christo desideret ac ipsum semper ob oculos habeat. Sic enim minimè in posterũ peccabit. Qui verò sese subducit à cõspectu Christi, sanitatem nequaquam recipere poterit. Quoniam autẽ peculiari ratione per hydropicum significatur auarus aut superbus, rectè ante Pharisæos hydropicus curatur, vt per alterius ægritudinem corporis, in aliis exprimatur languor cordis & mentis.

Dicebat autem & ad inuitatos parabolam intendens quomodo primos] Conuiuio corporali exceptus Dominus in sabbatho, conuiuium vicissim ipse instruit, se ac sabbatho dignum, variisque ferculis adornatum, vtpote salutari miraculo ac doctrinis variis, prout cuique conuiuarum opus erat. Itaque post sanatum hydropicum ad eos sanandos salutari sua doctrina conuertitur qui grauiori morbo laborabant, vtpote spirituali & tecto, & primum quidẽ secum inuitatos docet fugere superbiã, sectariq; humilitatem, deinde verò inuitantem se docet fugere auaritiã, ac eleemosynis insistere. Cùm enim Pharisæis superbia & auaritia maximè laborarent, hæc potissimum vitia in eis iam curari conueniebat. Sumit autem Dominus suo more occasionẽ docendi hæc ab his quæ ad conuiuium, in quo tum erat, pertinent, docens nos semper ex re præsenti materiam ædificationis aliorum decerpere. Porrò doctrinæ quàm tradidit inuitatis, occasio fuit, inquit Euangelista, quod intendebat, hoc est, attendebat, & considerabat quomodo primos accubitus eligerent, vel (vt potius vertendũ puto) elegissent. Non enim cùm dicitur: intendens quomodo primos accubitus eligerent: significatur Dominum hoc sermone illud intendisse, & pro suo scopo habuisse, vt significaret illos solitos eligere primos accubitus, hoc est, nõ significatur finis quem Dñs intenderit hac doctrina, sed occasio

so dicẽdi hæc ad inuitatos ex his quæ in eis obseruauerat. Nam, intendens, est hoc loco idem quod attẽdens & considerans, cùm Grecis προσέχων, quod hic idem est quod προσοίχων, sicut & Actu. 1. cùm dicitur: Claudus intẽdebat in eos: vbi Græcè est, ἐπέστρεφεν ὀφθαλμοὺς. Attendebat autem & cõsiderabat Dominus eos eligere vel elegisse primos accubitus siue oculis suæ diuinitatis, quibus etiam occultos eorũ affectus agnouit, siue etiam oculis corporalibus, ex signis quibusdam externis obseruatis in eis. Postquam ergo hoc obseruasse, dicebat ad inuitatos parabolam hanc: Cùm inuitatus fuerit, &c. Quæ Domini doctrina ad literam quidem sonat morale documentum de modo accumbendi in conuiuiis seruando, verùm præcipuam Domini intentionem non esse id docere quod litera significat, vel ex eo satis patet, q̃ Lucas hanc doctrinam vocet parabolam. Ideo enim parabole vocat, quòd sub hoc sermone, quo ad ciuilẽ quandam in conuiuiis seruandam modestiã ad literam hortatur, docere Dominus voluerit sectandam vbique semper humilitatem & sui depressionem, fugiendam verò sui exaltationẽ, quòd per hanc fiat vt quis plerunque ab hominibus, semper autẽ à Deo humilietur: per illam verò contrà fiat vt quis à Deo hominibus exaltetur. Vnde in fine significans quorsum hanc dixerit parabolam, adiicit sentẽtiam generalem: omnis qui se exaltat, humiliabitur, &c. qua sententia & aliàs Dominus vsus est, vt Lucæ 18. & Matth. 23. Est ergo hæc Domini doctrina similis multis parabolicis sermonib. Salomonis in quibus sub præceptis ciuilium virtutum & morum, Spiritus sanctus ad veras virtutes informat sapientiæ candidatum. Inter quæ etiam est cap. 25. quod huic documento saluatoris concordat, cùm dicitur: Ne gloriosus appareas corã rege, & in loco magnorum ne steteris. Melius est enim vt dicatur tibi: Ascende huc, quàm vt humilieris corã principe. Quamquam autem huius doctrinæ Domini ille sit præcipuè scopus qui dictus est, tamen rectè intelligitur Dominus etiã id docere voluisse quod ad literam moraliter significatur, nempe seruandum illum à se præscriptum modum in deligendo accubitu, quantũ id cõmodè & honestè fieri potest.

Nec

Nec indigna videri debet hæc moralis doctrina perfectioni euãgelicę doctrinę. Nã quemadmodũ bonis medici est nõ tatum grauioribus mederi morbis, & leuioribus: ita boni doctoris erat etiam quæ in ciuili conuersatione sunt inhonesta, resecare, & quæ sint ciuilis honestatis & decoris indicare, maximè in conuiuio occasione commoda sese offerẽte. De quo vide Theophylactum, qui hanc Domini doctrinã tantùm vt morale ciuilitatis documentum tractat. Cauendum tamen nimis ad literam quis seruet hoc Domini ciuilitatis documentum. Sic enim frequenter ex huius curiosa obseruatione locus daretur cõtentioni & vanæ glorię vt si quis pertinaciter vltimum locum sibi vindicare contẽderet, alio eundem etiam vindicare studente: aut si quis ideò vltimum locum eligeret, vt deinde ab illo exaltatus, magis apud homines glorificaretur. Vnde D. Basilius docẽs hoc præceptum etiam ad literam obseruandum, & quomodo sit obseruandum, sic habet. Quandoque, inquit, præceptum est Domini vbiq; ad humilitatem nos assuefacere, vt & in prandiis accumbẽtes postremum locum præoccupemus, necesse est vt qui omnia secundum mandatum facere studio habet, neque hoc præceptum negligat. Si quidem igitur mundani quidam nobiscum accumbant, exemplum ipsis etiam ex hac parte fieri nos conuenit vt non extollantur, neq; primum locum quærant. Vbi verò omnes iuxta æqualem scopum conueniunt, quo in omni tẽpore humilitatis suę probationẽ dent, extremum quidem occupare locum ad omnes iuxta Domini præceptum pertinet, & tamen rursus contentiosè circa hunc occupandũ protrudi, reprobandum est, velut quod bonam ordinis disciplinam destruat, & tumultus causa sit. Sed & inter nos mutuo pertinaces esse, & de hoc contendere, similes non faciet his qui de primatu certãt, quapropter oportet etiam hic cõsiderare id quod nobis decoru est decernẽdo ac statuẽdo, ei qui suscipit permittere, etiam accumbendi ordinẽ, quemadmodum etiam Dominus admonuit, patrifamilias conuenire dicens harum rerum dispositionem. Sic enim & inuitno sufferemus nos in dilectione, omnia honestè & secundum ordinem facientes, & nõ ad multorum offen-

tationem,

tationem, neque per iusum humilitatem exercere per obstinatam ac vehementem contradictionem demonstrabimus, immo magis per obedientiam humiliratem perpetrabimus. Maior enim est ex contradictione arrogantiæ significatio, quàm ex primo accubitu, vbi ex præcepto ipsum susceperimus. Hæc ille doctè simul & piè. Porrò nuptiarum magis quàm cuiusuis alterius conuiuij Dominus mentionem facit, quòd ibi maximè primi accubitus ambiantur, tanquam in conuiuio celebertimo & honorificentissimo, quódque ibi maximè ignoretur qui sint etam alij inuitati. Dicit ergo: *Cum inuitatus fueris ad nuptias*] & ad solenne aliquod conuiuium, nõ discũbas ex teipso, sine iussu eius qui te inuitauit, in primo loco, ne fortè aliquis honoratior te etiã sit inuitatꝰ cui iubearis à communi inuitatore cedere cum rubore idq; adeo sæpè, vt qui primũ tibi vendicaueras, nouissimum tandem obtineas. Sed cùm vocatus fueris, vade potius, & recumbe in nouissimo loco. Sic enim fiet vt ab inuitatore iussus ascendere, gloriam ex humilitate consequaris. Cũ enim: dicitur: *Vt cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi, &c.* Coniunctio, vt videtur debere accipi consecutiuè. Non enim docere voluit Dominus eo fine vltimum locum diligendum, sed qui cõsecuturum sit. Nam alioqui Dominus doceret qua ratione gloriã quis venetur apud homines, cùm contrà hic curare voluerit inanis gloriæ morbum. Et in hunc quidem modũ habet se doctrinæ Christi explicatio & tractatio literalis, qua ciuilibus rationibus dehortatur ab accubitus primi electione, & adhortatus ad submissionem inter accumbendũ: secundum præcipuum vero scopũ suũ ostendere voluit exemplo isto humano modestiam sequi gloriam, & contrà arrogantiam humiliationem, quasi dicat: In omnibus te submisse geras. Sic enim fiet vt magis exalteris & gloriosus, cùm contrà si te extuleris, cũ maiori pudore sis deprimẽdus cum ab hominibus, tum à DEO. Vnde Ecclesiasticus: Quanto, inquit, magnus es, humilia te in omnibus, & coram DEO inuenies gratiam. Et Gloriam præcedit humilitas. Et Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltabitur spiritus. Quorum istud quidem idem est cum eo quod

hic dicitur:omnis qui se exaltat,humiliabitur:illud verò idem cum eo : omnis qui se humiliat exaltabitur. Sunt autem qui,quoniam hic sermo Domini parabola dicitur ab Euangelista,totum hunc sermonem intelligunt mysticè,vt sub similitudine eius quod faciendum dicitur in nuptiis corporalibus intelligatur significatum quid faciendum sit nobis in nuptiis spiritualibus, ad quas per Euangelicam doctrinam omnes inuitantur,& per fidem admittuntur,nempe quod in ecclesiæ congregatione non debeat qui se alteri præferre in meritis,sed omnibus inferiorem agnoscere. Sic enim futurum vt in aduentu eius qui omnes inuitauit, gloria ei sit qui sese humiliauit. Quàm mysticam explicationem prosequitur prolixè venerabilis Beda. Verùm nõ ob significatum hunc mysticum sensum dicitur hæc doctrina Domini parabola,sed ob causam superius indicatam, quamquam non ineptè sic etiam tractetur hæc parabola, si modo tamen dicatur accommodatitia tractationẽ,nec eum esse sensum quem Dominus potissimum significare voluerit,aut propter quem Lucas dicit hunc sermonem esse parabolam.

Dicebat autem & ei qui se inuitauerat. Cum facis prandium. Postquam inuitatis opportunum doctrinæ ferculũ exhibuit,admonens eos modestiæ, etiam inuitatori cõmodum missum exhibet,monens eum misericordiæ & benignitatis in pauperes. Porrò per hoc quod dicit noli vocare amicos,&c,certum est Dominũ non planè damnare aut prohibere etiã amicos,fratres,& cognatos, alendæ dilectionis causa conuiuiis adhibere: sed summa eius quod hic docere voluit est,vt ne secundũ vulgi existimationes satis humanos & benignos nos esse arbitremur,si humanitatẽ erga nos demõstrauerimus,qui paria nobiscum faciũt, vtique si meritoriè & cum fructu vero & perpetuo cõsequẽdo à Deo hospitales esse velimus, non in diuites,sed in pauperes hospitalitatem præstemus. Docere enim Dominus voluit cõuiuia diuitibus parata ex suo genere nõ esse æternæ vitæ meritoria, quod mercedem suam in hac vita recipiãt,cõuiuia aũt pauperibus parata ex suo genere meritoria esse æternæ vitæ,quòd ea Dei intuitu eis parãtur qui

qui hic retribuere nõ possunt,pro quib' proinde Deus suo tempore mercedem sit repensurus. Hoc est ergo quod hic Dominus docet quod alibi dixit:Si benefeceritis his qui vobis benefaciũt,q; vobis est gratia? Proinde quod dicitur *noli vocare amicos,& cæt.* Consilium potius est,quàm præceptum,consilium,inquam quo Dominus suggerit modũ,quo cum maiore fructu conuiuium quibuslam parari possit: quod docet quomodo hospitalitatẽ sectemur nobis dignam, nec communẽ nobis cũ ethnicis. Itaque sensus est: Cum facis prandiũ aut cœnam,id est,cũ animus tibi est exhibere conuiuiũ aliquod,si vis illud bene & cum maxima tua vtilitate collocare, noli vocare diuites,qui vel amici tibi sunt,vel cognati,vel vicini, (tria enim hæc hominum genera conuiuiis communiter adhiberi solent)ne quãdo & ipse te vicissim inuitent,& fiat tibi retributio in præsenti vita,ac proinde amittas æternæ vitę mercedẽ: sed pauperes voca nec in ipsis æstima conuiuij impensam petire,quemadmodum vulgus iudicat, quòd ac habeant vnde rependant. Hoc enim ipso beatus eris, quia non habent,id est,nõ possunt retribuere tibi. (Habere enim cum infinitiuo Græcis accipitur pro posse.) Retribuetur enim tibi longe plenius suo tempore, quàm à quoquã amico aut diuite hic retribui tibi possit,nõ quidem potissimũ in præsenti vita,in qua quicquid rependitur temporarium est,sed in resurrectione iustorum,quãdo erit tempus retributionis,quando pro temporariis recipies æterna, pro temporali refectione perpetuam gaudiorum cœlestium fruitionem. Hæc est cœlestis magistri doctrina lõge diuersa à mũdi sapiẽtia Hæc enim suadet diuites vocare,pauperes relinquere, quòd illi vices rependere possint, isti nequeant. Dominus vero contrà ob easdem rationes suadet pauperes vocare & nõ diuites,cumque fructus & vtilitatis causa diuites vocari soleãt,pauperibus derelictis,Dominus contra vel ob hãc causam docet potiũ pauperes vocãdos,diuitibus relictis,causam,quę homines mouet ad conuiuia diuitibus exhibenda, suo more retorquẽs ad suadendum ea pauperibus potius, paranda. Poterat Dominus etiam alias adducere rationes ad suadendũ

hospitalitatem erga pauperes, videlicet quòd veræ benignitatis & humanitatis sit, eum qui eget pascere: veræ liberalitatis egenti benefacere sine spe redituræ gratiæ. Nam hospitalem remuneraturis esse, affectus auaritiæ est, vt inquit Ambrosius. Verùm sciuit Dominus retributionis spe maximè hominum animos commouendos, proinde per hanc ad hospitalitatem erga pauperes prouocat. Ex qua eius doctrina patet id quod ex innumeris patet scripturæ locis opera bona meritoria vitæ æternæ, vt quibus hic dicitur retribuendam suo tempore mercedem. Quamquam autem conuiuia diuitibus parata, ex suo genere non sint meritoria, pauperibus vero exhibita ex suo sint meritoria genere tamen sicut hæc vitiari possunt ex adiuncta aliqua conditione, vt si pauperes quis inuitet ostentationis aut vanæ gloriæ causa, aut ob aliam causam aliquam, vel malam, vel differentem, sic illa contingit ex circunstantiis esse meritoria, laudabilia & grata Deo vt sint mutuæ charitatis in Deo alendæ causa fiant, & non solum ob amicitiam naturalem, aut ob spem reinuitationis, aut alias causas malas vel indifferentes: proinde intelligẽdum Dominum dissuadere inuitationem diuitum, vt in plurimum fieri solet, approbare autem pauperum vocationem, sicut omnia opera per sese bona, si scilicet debitis vestiantur circunstantiis. Porrò cùm dicitur in litera: neque amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites: (sic enim legendum est, & non, vt quidam libri habent, neque vicinos, neque diuites) dictio diuites, videtur referenda ad omnia præcedentia, sicut postea dictio, pauperes, pertinet ad omnia sequentia, debiles, cæcos & claudos. Nam amicos, fratres, cognatos, & vicinos pauperes, ante alios vocare maximè conuenit & meritorium est: Si quis enim, inquit Paulus, suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Hoc Domini siue præceptum, siue consilium Iob gloriatur se seruasse, dicens: Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia mea mecũ creuit miseratio & de vtero matris meæ egressa est mecum: Seruauit & Tobias, qui inter cætera

cætera filio suo præcepit: Panem tuum cum esurientibus & egenis comede.

DOMINICA XVIII. POST TRINIT.

EVANGELIVM

IN illo tempore: Accesserũt ad Iesum Pharisæi & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor tentãs eũ, Magister quod est mandatum magnũ in lege? Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deũ tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua, Hoc est primum & magnum mandatũ. Secũdum autem simile est huic: Diliges proximum tuũ sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ. Congregatis igitur Pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicũt ei, Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum dominum quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

PRæsens Euangelium, Auditores in Christo dilecti, duplici nomine Christianis omnibus debet esse quam commodatissimum: Primum, quod normam canonem & regulam, omnis saluandis necessariam, contineat: Deinde, quod dilucide, apertè, ac breuitatis tam gratæ compendio, totius Religionis Christianæ doctrinam proponat, Vt nullum tam hebetis ingenij, tardæue memoriæ credam existere, quin ob perspicuitatem capere, & ob tarditatem retinere queat. Duobus siquidem articulis, quicquid ad religionem Christianam pertinet, expediuit: fide, nimirum & charitate, quæ duo, tanta perspicuitate prosequitur, vt nihil dici possit apertius. Fidem enim, eius debere conditionis existere docet, vt credentes in Christum, sciant ipsum verum hominem, non modo Adæ, sed & Dauidis filium hoc est Regem, Messiam & quod maius est, etiam Dauidis Dominum hoc est verum Deum Charitatem vero id exigere docet vt Deum ex toto nõ diuiso corde animo & ac spiritu, diligamus, eiúsque gratia etiam proximum. Cum autem in vniuersum, ni-

hil frequentius, nihilque tanto serio in scripturis passim nobis inculcetur, quàm fides & charitas, itaque si quis ex scripturis vllum velit fructum percipere, hęc duo nunquam ab inuicem separabit, sed semper coniunctim vbiuis obseruet, necesse est. Vt ea, quæ in verbo Dei comperit, indubitata fide credat: & quod credit, opere complere, ne negligat. Pharisæi, solis operibus dabant operam, ideoque de maximo legis mandato requirunt, de Christi fide, & gratia Dei, quàm minimum solliciti. Lutherani nostri, tumultuosissimo hoc seculo, solam quæstionem de fide & gratia Dei iactant & agitant, mandatorum autem diuinorum & bonorum operum, vsque adeo nulla cura tenentur, vt & solam fidem sufficere, opera bona ad nihil prodesse quicquam, imò ad salutem perniciosa, atque adeò peccata esse, blasphemo ore pronũciare audeãt. Cæterũ hęc paradoxa, cùm non modo scripturis sacris, sed & omnium hominum animis, notionibus & primis omnino principiis è diametro aduersentur, refutatione prorsus indigna iudico. His itaque omissis, hodierni Euangelij explicationem aggrediamur.

Accesserũt ad eum Pharisæi & interrogauit eum vnus ex eis.] Cùm Matthæus postquam de turbis dixisset quod audientes mirabantur in doctrina eius, subiungat per aduersationem: Pharisæi autem audientes, &c. satis significat Pharisæos non ita vt turbas admiratos, sic vt bene Christo ob prudentiam eius afficerẽtur sed potius inuidia quadam gloriæ eius extimulatos. Itaque quamquam gauderent Sadducęis contrariæ sectæ & sententiæ hominibus os occlusum esse, & silentium impositũ, tamen inuidia quadam contra Dominum concitati, conuenientes in vnum cõsultauerũt inter sese de quadã quęstione etiam à se Domino proponenda, vt si forte ad eã non apte respõderet, minueretur apud populũ admiratio prudẽtiæ eius, & maiorẽ apud populũ ipsi consequerentur honorem & laudem quòd quem Sadducæi superare non poterãt, ipsi superassent. Deinde & hac ratione videri possunt commoti, vt communi consilio de quæstione aliqua proponẽda consul-

consultarent, ne quia Sadducæis videbant, silentiũ impositum etiã ipsi non viderentur habere. quod interrogarent. Hæc autẽ tum gloriæ Christi inuidia, tũ propriæ glorię & ostentationis cupiditas ita eos excæcauit vt non viderent spem eorum vanam esse & impudentẽ. Qui enim inquit Hieronymus, iam supra in ostensione denarij fuerant confutati, & aduersæ partis viderant factionem subrutam, debuerunt ex hoc moueri ne vltra molirentur insidias, sed maleuolentia & liuor nutrit impudentiam. Itaque quemadmodum prius quosdam ex Pharisæis & Herodianis miserunt quæstionem quæ Pharisæos & Herodianos concernebat: ita nunc per quendam ex ipsorum numero legisdoctorem & scribã proponunt quæstionem concernentem scribas & legis cognitionem. Vnus enim ex eis, inquit Matthæus, à cęteris, vt est verisimile, instigatus, qui, vt dicit Marcus, audierat Sadducæos & Dominum conquirentes, hoc est, inter sese disputantes, cum aduertisset quòd bene illis respondisset, experiri volens (hoc est enim quod dicit Matthæus, tentans eum) num & sibi respondere bene posset, accessit ad eum, & interrogauit, quod esset in lege omnium primum mãdatum. De eo enim apparet illo tempore fuisse inter scribas quæstionem & cõtrouersiam, scribis quibusdam sibi placẽtibus quòd deprehendissent & intelligerent duo dilectioni, mandata, esse præcipua legis mandata. Nam apud Lucam capite 10. scriba quidam Dominum tentando interrogauit, quid faciendo vitam æternam possideret, & ad legem à Domino remissus, sapientiam suam non vulgarem, sed peculiarem ostentare volens, respondit duo hæc dilectionis præcepta. Sic & hic sibi placens de cognitione primi in lege mandati, Dominum interrogauit non discendi studio, sed tentandi & experiendi: Magister, inquit, quod est mandatum magnum, hoc est, maximũ in lege? Positiuus enim pro superlatiuo ponitur, vnde postea maximum vertit interpres, cùm & ibi Græcis, sicut hic, sit positiuus μεγάλη. D. Hieronymus tamen existimat hunc ideo interrogasse, quod esset magnum mãdatum non autem quod est maximum, vt cùm omnia quæ Deus mãdauerit magna sint, quicquid ille respon-

sponderet occasionem haberet calumniandi, aliud asserens magnum esse de pluribus. At hæc annotatio non conuenit ei quod Marcus dicit hunc interrogasse quod esset primum omnium mandatum.

At illi Iesus: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mẽte tua, &c.]Quãquã Dominus hunc scribam sciret nõ discẽdi voto, sed studio cognoscẽdi an sciret quod interrogabatur, interrogare tamen non dedignatus est respõdere, tum ob fructum quem præuidebat hinc etiam in tentatore scriba prouenturum: tum quod magisterij eius professio non sinebat eum silere, aut responsionem declinare, ne qui magistrum se in templo quotidie exhibebat, videretur ignorare id quod imprimis doctori est cognoscendum. Docturus enim artem aliquam, cognoscere debet quid in ea arte sit præcipuum & primum. Prolaturus autem Dominus primum mandatum ex Deuteronomij 6. ca. præmittit etiam, vt est apud Marcũ illud quod ibi præ-

dit. Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus vnus est, vel, vt habẽt Græca & Hebræa, Dominus Deus noster, Dñs vnus est. Quod proœmij loco præmittitur primo præcepto dilectionis, eò quòd dilectionem Dei præcedere debeat recta de Deo opinio & fides, vt scilicet credatur vnus esse Deus & non multiplex, sicut dij gẽtium, & proinde in vno illo omnem fiduciam collocandã esse ex qua fide etiam facilè nascitur Dei ex toto corde dilectio. Quoniam enim Deus est, & super omnia constitutus, hinc super omnia diligendus est: quoniam verò etiam vnus est, toto etiam corde est diligendus, qui diuiso corde esset diligẽdus, si in multos Deus esset diuisus. Vnde quidam coniunctionem, & consequitur: Et diliges Dominum, &c. putant Hebræa phrasi accipiendam illatiuè, vt sit sensus: Itaq; diliges Dominum Porrò cũ dicitur: Deus vnus est, vel Dominus vnus est: dictio, vnus non excludit pluralitatem personarum in diuinitate, sed naturarũ vnde pro Dominus, Hebræis est nomen tetragrammaton, quod proculdubio nomen est essentiæ, derivatum à verbo quod esse significat. Trinitatem autem personarũ in essentiæ vnitate subsistentem satis etiam hac sententia spiritus sanctus significauit,

quemadmodũ annotauit Euthymius, cùm primùm dicatur Dominus, & secũdò Deus, ac tertiò rursum Deus vel Dominus quemadmodũ & in illo Psalmi: Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus: trina repetitione nominis Dei plerique intelligunt indicatũ personarum diuinarum trinitatẽ, & secũdo loco dici, Deus noster, quod secũda in diuinitate persona singulari ratione, per assumptam humanam naturam, Deus noster factus sit. Quę autem ad intelligentiam & explicationẽ horum duorum præceptorum dilectionis pertinent, & quanto in errore Lutherani versentur, asserentes mandatum de non concupiscendo, quemadmodum & istud de diligendo Deum, esse impossibile, prolixè & copiosè à nobis dominica decimatertia post Trinitatis, ex toto capite Lucæ dispuratum fuit. Illud tantùm hic notãdum Matthæũ vsum præpositione in, dicendo. In toto corde, in tota anima, in tota mẽte (nã apud Matthęũ in Græcis non est, ex toto corde, vt nos legimus, sed in toto corde, sicuti in tota anima, in tota mente.) Marcus verò suit præpositionem, ex dicens ex toto corde, &c. Matthæus enim secutus est Hebræam veritatem, quæ habet literam Beth. Marcus verò versionem Septuaginta, quæ habet præpositionem, ἐκ. Nec est aliquid in sententia diuersitatis, quãquam annotare istud visum est, quòd quidam rationem aliquam assignent quare in Matthæo dictum, sit, ex toto corde, non autem, in corde: & rursum, in tota anima: non autem, ex tota anima. Magis autem illud notandum, quod præceptum hoc non reperiatur in Exodo vel Leuitico, sed tantùm in Deuteronomio, hoc est, in secunda lege Moysis, quæ typum gerebat secundæ legis diuinæ nempè legis, Euangelicæ, cui hoc præceptum est proprium, cùm sit lex dilectionis & amoris, cùm vetus lex, fuerit lex timoris in seruitutem generans. Ideoque in Deuteronomio postquam Moyses capite quinto, enarrasset decalogi præcepta data Iudæis à Deo in monte Sinai cum magna timoris incussione deinde in capitis sequentis exordio subiũgit hoc dilectionis Dei præceptum, spiritu sancto significante post legem timoris successuram legẽ amoris illũdque præceptũ dilectionis Dei complecti in se omnia, quæ prius

data erãt decalogi præcepta quæq; post traditus erat Moyses, interq; ea omnia hoc primum esse & maximũ Iudæi sanè ipsi hũc totum à Domino citatum locũ cum summa legũt obseruatione. Eorum enim scriptores primam & vltimam huius loci literam in Deuteron. scribunt maiusculis ad amplificationem ipsius sententiæ, vt eam legis diuinæ principium & finem subindicarent. Abutuntúrque Iudæi plerique his sacris verbis, haud secus quàm aliqui Christiani initio Euangelij secundũ Ioannem, qui se satis tutos existimant, si sacra verba in schedula circumferant, quantumuis interim sceleratam vitã viuãt. Itaq; Iudæi mane & vespere cum magna religione, imò superstitione hęc legunt verba, hac scilicet ratione, vt ipsi scribunt, vt fugent quæq; noxia. Cęterũ alterum dilectionis mandatum, quod ad proximũ pertinet, Dominus dicit secundum, non quidem ordine legislationis, quia prius illud datum erat Leuit. 19. sed dignitate. Simile autem dicit alteri, tùm quòd etiam sit de dilectione exhibenda, tùm quod similem habeat cum præcedenti generalitatem. Vade & sequitur.

In his duobus mãdatis tota lex pendet & Prophetæ.] Tota lex & Prophetę hoc est, prophetarũ scriptura & doctrina pẽdet in duobus dilectionis mandatis, quia in illis omnia legis & Prophetarum præcepta comprehenduntur, & ex eis dependent atq; eliciuntur & ad duplicis illius dilectionis exhibitionem aut conseruationẽ omnia ordinantur, ita vt secundum exigentiam mandatorum dilectionis, reliqua omnia mandata sint vel seruanda, vel aliquando etiam omittenda aut mutanda. Plenitudo enim legis est dilectio, inquit Paulus cum Domino cõsentiens. Et rursum, Finis, inquit, præcepti est charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. Nõ tantùm autem in duobus illis mandatis continẽtur reliqua omnia legis aut Prophetarum præcepta, sed etiam quodam modo quęcũque in lege vel in Prophetis narrantur facta vel dicta à Deo, vel ab hominibus. Omnia enim propter charitatis ædificationem narrantur. Porrò quòd dicitur in duobus mandatis pendere & legem & Prophetas: vtroque modo verum est, siue intelligatur quod in duobus istis simul pendeant, nimirum

Rom. 13. 1. *Tim.* 1.

quia in priore mandato summatim comprehenduntur ea præcepta quibus erga Deum instruũtur homines: in secundo verò quæcunque erga proximum instituunt: siue intelligatur sic in duobus istis pendere, vt in singulis horum omnia pẽdeãt, eo quòd alterius præcepti obseruatio sine altero esse nequeat, imò alterum in altero includatur, aut saltem præsupponat. Quicũq; enim diligit Deum verè ex toto corde, hic necessariò ad omnẽ eius volũtatem comparatus est, ex quo cõsequens est, vt & in seipso & erga alios viuat sanctè & decenter, sobriè & iustè. Quòd si verè diligat proximum sicut seipsum, necessarium etiã est vt prius diligat Deum, propter quẽ proximus est diligẽdus, & ex cuius dilectione fluit sincera & vera proximi dilectio. Proinde nõ dubitauit dũs Matthæi 7. cùm adhortatus fuisset nos, vt quæ velimus nobis fieri, eadem aliis faciamus, subiicere idẽ quod hic dixit: Hæc est enim lex & Prophetæ. Et Paulus cùm de dilectione proximi ageret ad Rom. 13. nõ dubitauit dicere, Plenitudinem legis esse dilectionem, & dilecti proximi nõ operari malum, nimirum quòd hæc necessariò præsupponeret dilectionẽ Dei. Deus enim est charitas, inquit Ioannes, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo. Et rursum: Qui dicit se diligere Deum, & fratrem suum odit, mẽdax est, & veritas in eo non est. Cùm autem in tam paucis verbis & præceptis tota lex & Prophetę comprehendantur, merito illa fixè sunt menti imprimenda, tempérq; ante oculos habẽda, iuxta consilium quod Deutero. 6. post primum horum præceptorum subiicitur, vt secundum hæc omnes nostros actus & consilia dirigamus & dispiciamus, quod qui faciunt, non ita, vt plerique, hærent frequenter dubitantes quid faciendũ, quid non, quidve rectè factum est, quid secus. In hæc enim præcepta maximè competit illud Dauidis: Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. His præceptis Dominus præceptorum varietatem & multitudinem contraxit hoc loco, adimplens illud quod ex Isaia. Paulus ad Romanos 9. citat tanquam adimpletum in Christo: Verbum enim consummans & abbreuians in æquitate, quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram. Quem locũ tra-

Matt. 7.

Rom. 13.

1. *Ioan.* 4.

Ibidem.

Psal. 18.

Rom. 9.

ctans

ctans D. Cyprianus in sermone de oratione Dominica, sic habet: Nã cùm Dei sermo Dominus noster Christus Iesus omnibus venerit, & colligẽs doctos pariter & indoctos, omni sexui atq; ætati præcepta salutis ediderit, præceptorum suorum fecit grande compendium, vt in disciplina cœlesti discentium memoria non laboraret, sed quod esset simplici fidei necessariũ, velociter disceret. Hæc ille, qui deinceps declarat Dominum hoc compendium fecisse isto loco. Scriba autem sequentibus verbis, vt ex Marco patet, Christo respondit.

Et ait illi scriba: Bene Magister in veritate dixisti: quia vnus &c.] Quod Marcus dicit hunc scribam approbasse Domini responsionem & Dominum vicissim eius responsionem commendasse, ita vt diceret eum non longè esse à regno Dei, non est cõtrarium ei quod Matthæus hũc dicit tentasse Dominum. Tentasse enim solùm dictus est, ob id quod experiri voluerit num ad quæstionem rectè Dominus respondere posset. Qua in re etsi non [illegible] satis se declarabat erga Dominum esse affectu, tamen cùm audiret prudentem Domini responsionem ac talem quæ cum propria ipsius sententia conueniret, commotus responsionis veritate, ac delectatus approbatione suæ sententiæ, depositio illo tentãdi animo, approbauit Domini responsionem: & vicissim Dominus delectatus quod & veritatem ille agnosceret eámq; tẽtandi animo posito, à se dictam approbaret, cõmendans eius responsionem, dicit non longè illum esse à regno Dei. Proximus enim ille est regno Dei, qui & cognoscit veram rationem qua Deo placere possit, & eam à quocunque prædicari audit approbat, non calumniari studens per inuidiã quę rectè dicuntur ab aliis more Pharisæorum. Nõdum autem iste dicitur esse in regno Dei hoc est, inscriptus esse inter regni Dei ciues, ac talis in quo Deus regnaret, tum quia caruit fide in Christũ, tũ quia nõ satis est cognoscere & approbare verbo veritatem, sed oportet & facto eam obseruare, cùm hic scriba necdum perfectã habuerit Dei & proximi dilectionẽ. Porrò ex ipsius scribę responsione dicentis dilectionem Dei & proximi præcellere holocautomata & sacrificia, apparet fuisse inter Pharisæos aut sacerdotes qui sacrificiis

eiis primas tribuerint partes, cùm scripturæ Prophetarum apertè satis contrarium doceant: vt Psalmo 49. 50. 59. Isaiæ. 1. Ieremię 7. & aliis multis locis, quorũ multa colligit Diuus Irenæus libro 4. capite 32. His enim apertè significatur Deum potius requirere obedientiam, pietatem, iustitiam, misericordiam, & id genus alia quàm externa sacrificia: sicut & Deut. 10. testatur Moses non petere Deum aliud à suis, quàm vt diligant eũ in toto corde suo. Cæterũ quod dicit Dominus hoc loco præceptum dilectionis Dei esse primũ & maximum mãdatum, ac duobus in his præceptis dilectionis nullũ esse maius præceptum: notandum contra eos qui fidem hodie nimis extollunt, præferentes eam charitati, ac gratius Deo esse asserentes credere illi, quàm diligere eum, cùm & Paulus apertè dicat inter tres virtutes, fidem, spem & charitatem, maximam esse charitatem.

Congregatis autẽ Pharisæis interrogauit eos Iesus, dicens.] Cùm non haberent amplius quòd interrogarent Pharisæi. Dominus vicissim post multas eorũ interrogationes illis quæstionem proponit, eámq; valde oportunã. Cùm enim superiori sermone docuisset quæ ad opera vitámq; rectè instituendam pertinent, nunc ad rectam de Christo fidem eos opportunè prouocat, quòd sine fide impossibile sit qualiquali vitã placere Deo. Cùmq; nihil magis Pharisæos offendebat in Iesu, quàm quòd se filium Dei frequenter vocaret, seque Deum esse, ac Deo æqualem significaret, commodè nũc in vltimo ad illos sermone ex scripturis relinquit intelligendum illis, expectatum Messiam fore supra hominem, ac verè Deum fore, vt qui ipsum ex factis & miraculis debebãt agnoscere esse Christum, non alienarentur ab ipso, quòd se Deum, Deóq; æqualem significaret. Fuit enim hic vltimus Christi ad Pharisæos sermo, exceptis his quæ captus ab eis, respondit illis: Nõ tantùm autẽ contra Pharisæos & Iudæos illius tẽporis hic Christi sermo profecit, sed & cõtra Iudæos nostri temporis. Siquidem & hi suum Christum quem adhuc venturum expectant, putant tantùm fore purum hominem, nec alia re magis abhorrent à Christianorum fide, quàm quod ea prædicet Christum hominem verè etiã esse Deum, quasi hac ratione

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratione multos colamus deos, contra illud quod in scripturis toties dicitur, Vnus esse Deus. Itaque cùm adhuc apud ipsum Dominũ congregati essent Pharisæi, interrogauit eos cuius putarẽt Christum esse filium. esseque respondẽtibus Dauidis eum esse filium, rursum quærit, quomodo ergo Dauid eum vocet Dominũ suũ idq; nõ suo spiritu, nec spiritu erroris, sed per spiritum sanctũ. & in libro Psalmorũ sanctorum. Qua quidẽ quæstione cogitandum illis relinquit Christus amplius quid futurum, quàm quòd à Dauide erat accepturus nascẽdo: alioqui enim absurdum esse, quòd eum non tantũ Dominum, sed suum Dominum vocet, cùm non sit conueniens, vt pater suũ filium vocet suum Dominũ. Noluit autem Dominus ipse nodũ huius quæstionis dissoluere, tum q̃ necdum tempus esset diuinitatẽ Christi apertè prædicare, tum ne occasionem blasphemiæ inuenientes Iudæi amplius insanirent, vt habet Chrysostomus. Cæterũ in historię huius narratione videntur à Matthæo
Mar. 12. Luce 20. non nihil discordare Marcus & Lucas. Nam cùm Matthæus dicat Pharisæos interrogatos cuius putarẽt Christum esse filium, eósque rursum interrogatos quomodo ergo Dauid Christum vocaret suum Dominũ, reliqui duo Dominum tantum quæsisse commemorant: Quomodo dicunt scribæ Christum filiũ esse Dauid quæ nõ videtur fuisse quæstio Domini ad ipsos Pharisæos, sed potius ad turbas à scribis edoctas. Itaque Osiã de in sua harmonia significat bis Dominum hãc quæstionẽ proposuisse, semel Pharisæis, ac deinde turbę simiẽsque sententiam etiã indicat Euthymius. Verùm istud nõ est necesse intelligere, cùm Marcus & Lucas non dicant istud Dominum dixisse ad turbas, quamuis turba audiẽte significent esse dictũ, imo potius significant dictum ad illos quos prius commemorauerũt quædam interrogasse Dominum, Pharisæos, Scribas, & Sadducæos, vt patet ex eorum narratione. Dicendũ ergo quòd hi duo Euãgelistæ in narratione huius quæstionis à Domino propositæ, brevitati studentes, dicũt Dominum quæsisse in tertia persona: Quomodo dicunt scribæ Christum esse filium Dauid, &c. cùm ex Matthæo satis appareat non his præcisẽ verbis in quæstione proponenda vsum fuisse,

sed tamen idem secundum sensum quæsisse quod illis verbis quęsisse commemorant reliqui duo. Nõ enim vt sæpe dictum est, Euangelistarum studium fuit, verba Christi nobis annumerare. Cùm enim Pharisæi plerique etiam scribæ essent, aut saltẽ ex scribarum sententia & doctrina respondissent Christum esse filium Dauidis, refert Marcus Dominum interrogasse narrat: Quomodo dicunt scribæ, &c. quamuis in secunda persona, vt ex Matthæo apparet, istud quæsierit à Pharisæis, quamquã intelligi etiam possit Pharisæos interrogatos cuius filius esset Christus, respõdisse scribas asserere eũ esse filium Dauid, ac tum Dominum subiecisse quod habent Marcus & Lucas: Quomodo dicunt scribæ, &c. Cæterũ scribis tribuitur hæc assertio, quòd ea ex scripturarum pendeat intelligentia, quarum enarratio ad scribas pertinebat, maximè cùm Christum fore filium Dauid, non apertè dicatur in scripturis, vt ex eis id quisque intelligere posset, sed tantùm significetur, & indicetur, ita vt ij tantũ ex illis intelligere potuerint illud, qui acuriores erant in scripturarum intelligentia. Nusquam enim apertè dicitur Christus fore filius Dauid, sed id scribę ex variis locis intellexerunt satis significarum, vt Isaiæ 8. vbi promittitur sessurus super solium Dauid, Michææ 5. vbi dicitur nasciturus in Bethlehẽ. & aliis multis similibus locis. Apparet autem Dominum sua hac interrogatione & argumentatione velle probare Christum nõ esse filium Dauid, & tollere velle assertionem Scribarũ & Pharisæorum. Dicit enim: Quomodo dicunt scribæ Christum esse filium Dauid quasi significans illorum assertionem conuenire scripturæ. Vnde & infert: Si ergo Dauid vocat eum Dominũ, quomodo filius eius est. Videtur enim econtrario potius dicendum fuisse: Cùm Christus filius sit Dauidis, quomodo Dauid dicit eum Dominum. Sed illo potius modo suam quæstionem & argumẽtationem proposuit Dominus, vt erroneam illorum argueret opinionem, & significaret Christũ non talem esse Dauidis filium, qualem illi suspicabãtur, hoc est, nudum hominem, sed etiam propter diuinitatẽ esse Dominum ipsius: ac proinde scribas interrogatos cuius filius sit Messia, non tantùm oportuisse respondisse

quod

quod filius esset Dauidis, sed etiam & multò magis ꝙ filius esset Dei. Non ergo scribarũ assertionem tollere voluit Dominus, sed expendendũ relinquit quomodo testimonium Dauidis constet cum illorum assertione, vt sublimiorem discant de messia cõcipere opinionem. Testimonium autem à Domino citatum desumptum est ex principio Psalmi 109 ex cuius citatione obiter annotandũ,& ꝙ Dauid eius Psalmi sit auctor,ac proinde aliorum etiam maximè qui Dauidis præ se ferunt titulum, & quod vnus sit Psalmorum liber,cùm Iudæi quidam in quinque eum diuidant. Non citat autem Dominus tantum eam partẽ quę suo seruire videbatur proposito, sed etiam addit quid Dominus dixerit Domino,nempe,sede à dextris meis, Donec ponam,&c.vt maiorem eis metum incuteret,si pergerent ei se opponere,quem meritò debuerant agnoscere Christum esse. Porrò ex ipso Pharisæorum silentio, & ignorantia reconfessionis duo sunt obseruanda.Primùm,quòd Scribæ & Pharisęi tunc non intellexerint mysterium diuinitatis Christi. Alioqui enim facilè respondissent,vocatum à Dauid Dominum,quòd Deus esset. Vocabãt quidem Messiam filiũ Dei viui, vnde Caiphas dixit: Adiuro te per Deum viuum,vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei.Intelligebant enim ex scripturis scribæ Messiã singulari ratione vocandum filium Dei, quia dicitur Psal. 2.Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Et alio Psalmo.Ipse inuocabit me,pater meus es tu,Deus meus, & susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.Sed ex his aliisque locis tantum intelligebant eum fore filium Dei singulari quadam & eximia præ aliis electione & adoptione diuina,quomodo & Salomon filius Dei in typum Messiæ dictus est in scripturis Obseruãdum secundo tempore Christi dubium non fuisse Scribis & Pharisæis, quin Psalmus iste intelligẽdus esset de Messia,Alioqui enim habuissent quòd Domino respondissent. At posteri Iudæi variis modis conati sunt, & adhuc conantur Psalmum hunc nobis eripere,in hoc laborãtes vt de Messia ostendant non intelligendum. Siquidem teste Tertulliano lib.5.contra Marcionem,quidam Iudęorum asseruerunt

Matt.26

Psal.2.

Psal. 88.

runt hunc Psalmum de Ezechia intelligendũ, quia is sederit ad dexteram templi, & hostes eius auerterit Deus,& absumpserit. Hieronimus autem hoc loco super Matthæum, Iudæos dicit intelligere hunc Psalmũ dictum de Abraham in persona Eliezer serui eius,quòd post cædem quinq; regũ. Dominus Deus Domino suo Abraham dixerit:sede ad dexteram meam,&c. Alij intelligunt dictum de Dauide in persona populi Israeliti ci,qui Dauidem appellarit dominum suum.Sunt & qui intelligunt Dauidem ipsum hic dominum suum vocare Saulem, & quod dicitur: Dixit Dominus Domino meo:sic exponũt: Dominus dixit ad me propter dominum meũ Saulem qui me persequitur. Verùm hos omnes præterquã quòd refellit silentium scribarũ & phariſæorum nõ habentium quod responderent,etiam totius ipsius Psalmi consequentia cõuincit coactæ interpretationis.In illo enim præter alia dicitur: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec:quæ nemini præterquam Messiæ competere potest, quemadmodum hoc & totum etiam Psalmum de Christo antiqui plerique Iudæorum Rabbini intellexerunt. Sciendum autẽ,quòd pro dictionibus, Dominus & domino, non sit apud Hebræos eadem dictio.Nam pro nominatiuo, dominus, illis est nomen Dei tetragrammaton quod quamuis propriè significet τὸ ὄντως,id est, existentem,vertitur tamen per nomen dominus,quòd pro nomine illo ineffabili legatur fere nomen Adonai.Pro dauo autem, domino, ponitur nomen Adon, quod propriè dominum significat, quo nomine semper Paulus Christum appellat, propterea quòd ipse redemptos sui sanguinis pretio homines à diaboli tyrannide in suum ius &dominium asciuerit,constitutus à Deo patre omnium dominus, & iudex, capũtq; Ecclesiæ fidelium.de quo regno & dominio cùm etiã in hoc Psalmo agatur, conuenienter etiam hoc loco Dauid Messiam Dominũ & suum vocat dominum. Intelligendam autem reliquit Dominus Christi ex hoc loco diuinitatem,non ex eo quòd Dauid vocat Messiam Dominum, cùm dictio, Adon,qua hic vocatur Messias,communis sit etiam hominibus principatum obtinentibus: vnde eadẽ dictione

Dauid etiam Saulem vocat dominũ suũ. 1.Reg.26. sed ex eo quod Dauid Messiam vocat Dominum suũ vtiq; nõ sic eum vocaturus, si tantũ esset ipsius filius, & quãtus esset, ex ipso natus esset. Cæterùm sunt etiã in veteri testamento quædam loca, in quibus apertè contra Iudæos Messias vocatur Deus, & itẽ Dominus nomi-

Psal.44. ne tetragrammatõ. Deus enim apertè dicitur Psal. 44: Sedes tua Deus in seculũ seculi, &c. vbi de regno Messiæ fieri mentionem præcedentia & sequẽtia testantur.

Isaiæ. 9. Rursum: Paruulus natus est, & filius datus est nobis & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius. Deus

Isaiæ. 7. fortis pater futuri seculi, princeps pacis. Itẽ: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Nomẽ tetragrammaton, quod omnino nulli competere posse nisi soli vero Deo etiam Iudæi fatẽ-

Ierem.23. tur, Messiæ tribuitur. Ierem 23. Ecce dies veniũt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustũ, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiã in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen quod vocabunt eũ, Dominus iustus noster. Hic enim pro dictione, dominus, Hebræa habent nomen tetragrammaton, sicut & Ierem 33. vbi similis est locus, quamquam etiã hæc ac alia loca diuinitatẽ Christi astruentia Iudæis suis peruersi interpretationibus deprauare, nobisq; eripere nitãtur. Potrò vt & alia quæ in hoc habẽtur testimonio q̃ hic Dominus citauit, obiter tractentur, (nã exactior eorũ tractatio ad Psalmorũ pertinet explanationem) Deus pater dixit filio suo: Sede à dextris meis: siue

Ephes.1. quia ab æterno sic in mẽte sua secũ facere disposuit: siue quia vt Paulus alludẽs ad hũc Psalmistæ locũ dicit ad Ephesios: Deus pater suum filiũ post resuscitationẽ subuehens in cœlum, constituit illum ad dexterã suã in cœlestibus. Dei enim dicere, facere est. Ex illo autem Pauli loco patet, nõ solùm quando impleta sit & perfecta promissa hoc loco sessio à dextris Dei, sed etiam quid sit Christum sedere ad dextram Dei, nimirum eum hominem qui pro nobis mortem pertulit, factus patri obediens, constitutum esse supra omnem principatum & potestatem, & omne nomen quod nominatur

tur nõ solum in hoc seculo, sed etiã in futuro omniaq; subiecta esse pedibus eius. Vnde patet hãc sessionis promissionem neq; tribuẽdam Christo ratione solius diuinitatis, neque ratione solius humanitatis, sed ratione humanitatis cõiũctæ diuinitati. Quatenus enim homo Deus constitutus est supra omnem principatũ, acceptoq; nomen supra omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, cœlestium, terrestriũ, & infernorum. Cùm autem dicitur: Sede donec ponam: dictio, donec, accipienda est quemadmodũ sæpe in scripturis, nõ vt excludat sessionem ad dexteram postquam aduenerit præscriptum illud tempus, sed vt tãtũ indicet euẽtum huius rei certo tẽpore futurum, quod satis aperit Paulus dum dicit: Sedet ad dexterã Dei, de cætero ex- *Hebr.10.*
pectans donec ponantur inimici eius scabellum pedũ eius. Id autem fiet in nouissimo die, quãdo omnes hostes Christi, qui siue verbo, siue facto dicunt illud: Nolumus hunc regnare super nos: perfectè illi subiicientur, digna de illis sumpta vindicta. Hoc enim tropice significatur per hoc quod promittuntur hostes eius ponendi scabellum pedum eius.

Et nemo poterat ei respondere verbũ neque ausus fuit quisquam &c.] Quod dicit Matthæus neminẽ ausum fuisse eũ interrogare, significat eos hactenus quæ interrogauerunt non discendi, sed tentandi animo interrogasse. Si enim discendi fuissent cupidi, nõ debuissent ob animaduersam in Christo prudentiam ab interrogando quiescere, sed ob id magis ad interrogãdũ prouocari. Intelligi autem debet hoc generale Matthæi dictũ de hostibus Christi, scribis, Pharisæis & Sadducæis: & rursus intelligi debet de quæstione inter docẽdũ Christo proposita. Nam mox postea discipuli quædam interrogasse referuntur, & in domo Caiphæ quædã ob hostibus suis Dominus captus est interrogatus. Porrò adiectione illius partis: ex illa die: videtur significari etiã post illam diem Dominũ docuisse in tẽplo, quemadmodum ex quibusdam locis verisimile est. Nam quorsum dicitur ex illa die neminẽ ausum fuisse interrogare illum, si ex illa die nunquam præsentibus scribis & Pharisæis Dominus docuit, ita vt nec possent cũ inter-

rogare, etiam si ausi fuissent & cupiuissent?

DOMINICA XIX. POST TRINITAT.

EVANGELIVM.

Matt. 9. *IN illo tempore: Ascendens Iesus in naui, transfretauit & venit in ciuitatem suam: Et ecce, offerebãt ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi omnia peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et quum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit. Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere, Dimittuntur tibi omnia peccata tua? an dicere, Surge, & ambula? Vt sciatis autem quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. Tunc ait paralytico. Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit & abiit in domum suam. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit talem potestatem hominibus.*

HOdiernum nobis Euangelium doctrinas, tam ad consolandos, contra pusillanimitates & quaslibet afflictiones, adfectus, quàm ad illustrandum, dirigendúmque, cõtra varias, diuersis temporibus exortas hæreses & errores, intellectũ, efficacissimas proponit. Sunt nãmq; quatuor afflictionũ genera, quæ molestissimis hominem mordẽt & excruciant curis, quorũ posteriora prioribus subinde sunt magis intollerabilia. Primum est corporalis & externa calamitas, tam late patens, vt sua mole nullum nõ obruat ordinem, statũ, conditionem, & sexum: in mœrorem cunctum humanum genus conficiens. Secundũ est, cõscientiæ corporis male conscię, carnificina, quauis afflictione sibi grauior. Nã sic animum angustiis opprimit, vt vniuersum orbem, homini reddat exosum, in amaritudinem vertens omnia mundi suauia, iucũda & delicata, quẽadmodũ videre licet in Cain, Achitophel, & Iuda. Tertium molestiarum genus inducit inopia tam consilij, quàm præsidij, cum nullum his malis remediũ in nobis

bis reperimus. Postremũ, metus est & diffidentia diuini subsidij, quo fit, vt spem plerúmque de clemẽtia præsidióque Dei deplorati, reiectam[a]. Quod si primis duobus, hæc postrema duo successerint, vt quis in exterioribus calamitatibus, aut conscientiæ cruciatu, non solùm à creaturis non recipiat solatium, verumetiam de diuino diffidat auxilio, tarcinam adeo grauem efficiẽt vt ad sufferendum impares humanæ vires comperiantur. Malis his omnibus, vnum hoc Euangelium medetur & obstat. Cõtra calamitates externas quidẽ, abũdè cõsolari nos debet, quod solus Dominus Iesus ea facultate præditus sit qua potest omnia mala procul à nobis dũ expedite videbiẽ, propulsare. Cõsciẽtiæ lanienã, quid à nobis melius abigere possit, quàm ineffabilis illa Christi clemẽtia, qua paralytico citra præcedẽtium meritorum respectum, vltro cuncta peccata cõdonauit. Stupẽdo insuper prodigio contestatur, facultatem sibi delegatam, hominibus remittendi peccata. Nostram autem insufficientiam, imbecillitatem & auxilij penuriam subleuare, & in pedes cõstrattum suffragia possunt erigere, audito quod fidẽ illorum qui morbidum hominẽ adferebant in lecto, Christus intuitus miserum à malis omnibus absoluebat. Non difficulter denique, diffidẽtiam auxilij diuini retundit & bene de Domino sperandi, fiduciam auget, quod primo cõtuitu tam clementer affatur misellum, iubet bono animo fore, insuper & filiũ vocans. Quibus rebus quæso, quid aliud significauit, quam quod omnibus sui copiam facere cupiat, & neminem à gratia Dei secludi, qui ipsam desideret: sicuti per Esaiam Dominus testatur. Confortate manus dissolutas & genua debilia roborate, dicite Pusillanimes confortamini, & nolite timere, ecce Deus noster vltionẽ adducet retributionis, Deus ipse veniet & saluabit nos. Eodem modo præsens Euangelium exhibet, clarissimas, contra diuersorum temporum varios errores, instructiones & fidei fundamẽta firmissima. Quæ non obseruãtes hæresiarchæ, sectarũmq; antesignani, in pernicioſissimas hæreses fœdissimè sunt prolapsi. Cerdo, Apelles, Valentinus. Manichęus & Apollinaris, negabant Christum veram hominem assumpsisse

Esaiæ. 35

sumpsisse Contra verò, Ebion, Cerinthus, Carpocrates, Paulus Samosatenus, Photinus, Arrius cum suis sectatoribus, Christi inficiebãtur diuinitatem. Rursus extitit & alia, sed vetus. Nouati hæresis, contendentis non patere lapsis resipiscentibus indulgentiam. Item Catabaptistarum factio, paruulorum baptisma reiicit, eò quod propriam fidem haud dum testari, vel agnoscere infantes possint. Supersunt in hodiernum vsque diem & alij quamplurimi, qui conciones Euangelicas de CHRISTO déque gratia noui testamenti, sic interpretantur, quasi quàm minimum referret, quo quisque more vitam transigeret, modò credat, in aliis nihil incommodare, aut obesse posse flagitia, fidem omnia, dicto citius, absorbere. Ab his & eius generis, tam veteribus, quàm nouis prauis dogmatibus facili sese extricabit negotio, fidémque suam illibatã tuebitur, qui huius Euangelij partes, paulò diligentius obseruauerit.

Christi quæ dicatur ciuitas.

Ascendens Iesus in naviculã transfretauit & venit in ciuitatem suam, &c.] Diligẽter inquirit D. Augustinus lib. 2. de consensu Euãgelistarum, quàm vocet hic ciuitatẽ Domini Matthæus. Nõ enim posse intelligi Nazareth patriã Christi manifestũ videtur ex Marco, qui miraculũ hoc curati paralytici factũ testatur in Capharnaum. Proinde putat per ciuitatẽ suam posse intelligi totam Galilæã in qua erat Nazareth: sicut, inquit, vniuersum regnum Romanum in tot ciuitatibus constitutũ dicitur modò Romana ciuitas, vt ideo dicatur Dominus venisse in ciuitatem suam, qui venit in Galilæã, in quocũq; oppido Galilææ venerit. Hieronymus verò in commentariis. Ciuitatẽ, inquit, eius nõ etiam intelligimus quã Nazareth, vnde & Nazarenus appellatus est. Quod si autẽ quis hanc Hieronymi sequatur sententiam, necesse erit intelligere, vt docet eodẽ loco quo suprà Augustinus, prætermisisse Matthæũ quæ gesta sunt posteaquam venit in ciuitatem suam Nazareth, donec veniret Capharnaũ, & huic adiũxisse de sanato paralytico, sicut in multis, inquit, faciunt Euangelistæ, prætermittentes media, tanquam hoc cõtinuò sequatur quod sine vlla prætermissionis significatione subiũgunt. Nã nũ in Nazareth, sed in Capharnaum

naum, quod sequitur miraculum contigisse ex Marco constat, vt prius dictum est. Cùm autem Matthæus scribens venisse in ciuitatem suam, & deinde subiiciens. Et ecce offerebant ei paralyticum, &c. perspicuè satis significet paralyticum hunc oblatum in ciuitate ea in quam Dominum venisse dixit, in quàm ideo solùm venisse eũ videri potest dixisse, vt indicaret vbi miraculum hoc factum sit, rectius secundum Chrysostomum per ciuitatẽ Domini hic intelligitur Capharnaum. Quoniam enim suprà Matthæus dixit Dominum relicta ciuitate Nazareth venisse & habitasse in ciuitate Capharnaum, iam deinceps ciuitatẽ Domini vocat Capharnaum, eò quod in ea principalem iam sibi delegisset habitationẽ, quãuis neque in ea vel tantum proprij habuerit, vt esset in quo caput suum reclinaret. Parum autem habet ponderis quod dicit Lyra, Capharnaum ideo dici ciuitatem Christi, quia erat ciuitas præcipua Galilææ, respectu cuius Nazareth paruum fuit oppidum illi subiectũ, quãadmodum, inquit, Parisiis dicitur ciuitas alicuius in aliquo oppido iuxta Parisios.

His antequam paralytici mentio fiat, hæc verba Marcus subiũgit: Et auditum est quod in domo esset, & cõfestim cõuenerunt multi, ita vt non caperet, neq; ad ianuam. Cum itaque Marcus dicit, auditũ est, quod in domo esset satis significatur Dominum latẽter ingressum fuisse in domum, priusquã ipsum abdidisse se in domũ, quàm aduentus ipsius innotesceret vulgo. Verũ vt non potest latere sol, ita nec Dominus Iesus. Rumor enim, vt fit, à paucis exortus, iam per omnẽ ciuitatẽ sparserat Iesum esse in ædibus. Vnde sine mora tãta vis hominũ eò confluxit, vt non solùm tota domus impleretur, sed etiam non caperent multitudinem ea loca quæ sunt circa ianuam. Ita enim intelligendum quod nos habemus vt non caperẽt, neq; ad ianuam: quod Græcis est dilucidius propter articulum τὰ, sic enim habẽt, ὥστε μηκέτι χωρεῖν, μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν, hoc est, vt nequaquã caperẽt eos, neque ea quę erant circa ianuam. Obseruãdum autem, Dominum rursum neminem reiicientem à domo, neq; offensum improbitate irruentium, expositum se illis, vt aliàs semper præbuisse, ac in hac multitudine duo

illa sibi propria officia exhibuisse, nempè doctrinam & curationem. Siquidem Lucas dicit: & virtus Domini erat ad sanandum eos: in qua locutione Hebraismus est, pro eo quod est, Virtutem suam exercebat Dominus ad sanandum eos, nempè quotquot aderant egentes eius ope. Quamquam autem propter miracula maior pars potissimum conflueret, prius doctrinę tamen Dominus vacauit, deinde & ægrotos sanauit: docens scilicet vbique primam rationem animorum habendam, posteriorem corporum: ac insinuans se non tam venisse ad edēdum, miracula quàm ad docendum, cùm illa propter doctrinæ ederet confirmationem.

Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto &c.] Pulchrè Euāgelistæ hic insinuant primùm quidem magnitudinem morbi in hoc paralytico. Nā prętereà quod paralysis morbus sit incurabilis, erat hic nō in quibusdam solùm membris paralyticus, sed in omnibus suis mēbris ita morbo solutus, vt lecto affixus à quatuor ba[illegible] portaretur. Deinde verò & fidei magnitudinem, quam in Christo habuerunt hi qui portabant paralyticum & ardens ac indefessum iuuādi proximum desiderium ac studiū, nobis meritò imitandum, & ægri huius patiētiam simul cum fide, dum hæc omnia quę hic narrantur patienter tulit. Porrò cùm sequitur: *Videns autem Iesus fidem illorum.*]quidam intelligunt relatiuum illorum, tantùm referri ad portantes. Vnde Hieronymus, Videns autem Iesus nō eius fidem qui offerebatur, sed eorum qui offerebāt. Verùm rectius cum Chrysostomo intelligitur simul referri & ad portātes, & eum qui portabatur: aut saltem ita referri ad portantes, vt nō excludatur fides ægri. Neque enim, inquit Chrysostomus, se portari & per tectum demitti sustinuisset, nisi salutem speraſſet. Adde quod maximè mouere debet, quòd nequaquam dixisset illi Christus: Dimittuntur tibi peccata tua: nisi & ipse fidem habuisset. Nam quāquam sanitas corporalis conferri alicui possit à Deo, & collata sit aliquando à Christo, solo intuitu fidei alienę: spiritualis tamen sanitas, quæ in peccatorum consistit remissione, in adultis accipi non potest sine propria fide. Quod ergo dicitur à quibusdam fidem alienam saluare aliquem si quidem

Quomodo fide aliena saluari dicatur.

si quidem intelligatur de salute corporali, nullam habet difficultatem quia fides alienà alicui impetrat à Deo sanitatem etiam sine eius qui sanatur fide: Si verò de salute mentis accipiatur, maximè in adultis rationis vsum habētibus, non potest intelligi fidem alienam saluare aliquem, nisi vel quia impetrat ei à Deo fidem qua saluatur, quomodo multi cum Augustino putāt Stephanum impetrasse Paulo, vt ex persecutore fieret Apostolus, vel quia contemplatione fidei alienę Deus credenti eam confert gratiā, quàm eidem alias non erat collaturus ob fidei eius imperfectionem, aut vitæ demeritum. Ex quibus patet quomodo sanè intelligi debeant autoritates quędā sanctorū, qualis est ea quę in Catena Thomę attribuitur Ioanni episcopo: dicenti: Quantum valet apud Deum fides propria, apud quem sic valuit aliena, vt intus & extra sanaret hominem. Similiter sententia Ambrosij super Lucam: Magnus, inquit, Dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis, & dū alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te homo collega [illegible] valeat, cùm apud Deum seruus & interueniendi meritum, & ius habeat impetrandi? Intelligēdum enim hos patres ita loqui de fide aliena, peccatorum remissionem impetrante, vt non excludant fidem eius qui salutē cōsequitur. Quod ex Ambrosio est perspicuū, subdit enim Disce qui eger es impetrare. Si grauium peccatorū diffidis veniam, adhibe peccatores adhibe Ecclesiam quæ pro te precetur, cuius contemplatione, quod tibi Dominus negare posset, ignoscit. Atq; in hunc modum intelligēdum est quod hic dicitur Dominum propter fidem portantium remisisse peccata paralytico. Quæri autem potest, cur dicatur: videns fidem illorum: potius quam videns hominis huius patientiam aut miseriam, aut videns indefessum studium eorum ad iuuandum proximum eorūmque in proximum dilectionem. Et dicendum, non dubium quin grauissima Christo fuerit offerentium charitas & ægri patientia, cuius etiam miseria ad misericordiam misericordem Dominum permouit: fidei tamen tribuitur sanitas mentis & corporis collata huic ægro, non solùm ad commēdationē fidei in Christum sed etiam ob id quod fidei propria merces sit con-

sequi id quod credit & sperat. Vnde postea frequenter dicit: Fides tua te saluum vel saluã fecit. Cùm autem in Euangeliis Saluator toties fidem commendat, non debet nomen fides, quod varium habet vsum & significationem, accipi simpliciter pro credulitate, firmóque assensu eorũ quæ de Deo & Christo credenda sunt, qualem fidem etiam dæmones habent. Neque rursum accipi debet vt idem sit quod fiducia, quæ à spe aut nihil differt, aut perparum, quomodo multi in multis locis exponunt, & quomodo videtur accipi, cùm dicit Saluator

Mat. 17. Matth. 17. Si habueritis fidẽ sicut granum sinapis, dice-

Matt. 6. tis monti huic: Transi, &c. Et Si fenum agri quod hodie est & cras in clibanũ mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei? Nam cum dicitur de Centurione: Non inueni tantam fidem in Israel: fides Centurioni tribuitur non tam propter fiduciam quã habuit quàm propter opinionem & existimationem quam habuit de Christo, credens illum tantę esse virtutis, vt ab[illegible] ægrum sanare posset. Sic & postea nono isto capite

Matt. 9. Matthæi cùm duobus cæcis dixisset: Creditis quia hoc possum facere vobis? & deinde illis dicentibus: Vtique Domine, respondet Secundum fidem vestram fiat vobis: manifestum est nomine fidei credulitatem & firmã persuasionem potentiæ Christi significari. Non enim fiduciæ, quæ ad voluntatem pertinet, est credere quod Christus posset cæcos illuminare, sed credulitas quæ ad rationem intellectum pertinet. Proinde rectissimè, vt apparet, dicetur nomine fidei in Euangeliis, cùm ei tribuitur salus aut consecutio omnium quæ volumus, complecti vtrumque nempè & assensum illum firmum in credendis de Deo ac Christo, & fiduciã ex illius omnipotente bonitate conceptam: quamuis in quibusdam locis magis videatur haberi respectus ad credulitatem & assensum illum mentis, in quibusdam verò ad ipsam fiduciam. Ita enim duo hæc ad inuicem cohærent, vt nec fiducia esse possit sine credulitate, nec credulitas sine fiducia quicquam impetret à Deo, vtque fiduciæ magnitudo ex credulitatis perfectione nascatur. Certè dũ dicimus: cõfido huic verbo Dei dicto sacerdotibus: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: in verbo, confido,

cõfido, duo illa simul comprehendi videntur. Est enim sensus: adeo persuasus sum illud esse verum, vt inde etiã mihi certò sperem per sacerdotes peccatorũ remissionem. Non enim idem videtur esse. Credo huic verbo Dei, si verbum, credo, propriè accipiatur, & cõfido huic verbo Dei. Sic ergo & hoc loco fides accipitur, cũ dicitur Dominus vidisse eorum fidem. Magnam enim de Christi potentia simul & bonitate conceperãt opinionem, atque ex hac opinione firmãque credulitate magnam etiam fiduciam atque spem consequendæ salutis quàm considerabãt, quàm de Christo opinionem & fiduciam, declarabant, dum tantum laboris & modestiæ non dubitarent subire, omni postposito pudore, vt ægrũ Christo præsentarent. Dubitari tamen hic vlterius poterit quomodo remissio peccatorum hic tribuatur fidei illorum, cùm, vt est verisimile, de impetranda, peccatorũ remissione nihil cogitauerint, nihilque soliciti fuerint. Et primùm quidem dici potest Euãgelistas noluisse significare Dominum remisisse huic peccata propter fidem illorum, sed quòd cùm veller propter illorum fidem sanitatem corporis quàm illi sperabant conferre, prius illi remanserit peccata, quibus demissis desideratã sanitatem ordine congruenti consequeretur. Secundò dici potest & rectius, in hoc ægro & offerentibus ipsum fuisse etiam implicitam fidem consequendæ remissionis peccatorum, etsi de ea forte nihil actu cogitarent, eò quòd crederent Dominum posse cũcta sanitatis corporalis impedimenta tollere, inter quæ erant & peccata: quódque crederẽt eum esse Christum, qui promissus erat fore Saluator à peccatis hominum. Obseruãda verò hic rursum Domini benignitas. Nõ enim factũ horum offerentium calumniatur, velut improbitatem quãdam perfringentium alienam domum, ac sermonem interrumpentium, aut velut declarationem imperfectæ in se fidei, quasi absentem absens curare non posset, se velut fiduciæ erga se declaratione piè illud & benignè susciperit, quamuis illorum fides nõdum maxima esset, nec talis qualis erat Centurionis.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.] Cõfide inquit, hoc est, bono animo esto, certò sperans te consecuturũ desideratam

Universidad de Deusto
Biblioteca

desideratam corporis sanitatem. Nam remittuntur tibi peccata tua ob quæ morbum hunc incidisti. Dicit ergo confide, nō quia nō habebat fiduciā, sed vt ea fiducia nō remitteretur, imò potius augeretur. Pro, remittuntur, autē Græcis est ἀφίενται, quod verbum post Erasmum quidam vertendum putant per, remittantur vel remissa sint: ita tamen vt non tam optantis quàm remittentis efficaciter, verba intelligantur, vt sit sensus: Volo vt peccata tua sint tibi remissa. Alioqui enim non fuisset occasio Pharisæis insimulādi Christo blasphemiæ. Verùm mirari satis nequeo huius versionis rationem, cùm pugnet & cū grammatices Græcę ratione, & cum sensus verborum cōgruētia. Nam ἀφίενται, Græcis dicitur esse Atticum præteritū perfectum pro ἀφεῖνται, vnde magis vertendum fuerat, remissa sunt tibi peccata, quomodo quidam vertunt. Et cohærentia apta in his verbis nulla est. Confide, remittantur: cùm videatur reddi ratio quare fidere debeat, sicut cum postea dicitur
Luce. 7. filiæ Æmorrhoissæ: Cōfide filia, fides tua te saluam fecit. Sic & Lucę septimo. Vbi cùm sit mentio de remissione peccatorum mulieris peccatricis, idem verbū ponitur, non est aptus sensus si legatur, remittantur. Non enim aptè postquā dictum est quæ fuerint mulieris in Christum pia officia, infertur: Propter quod dico tibi, remittātur ei peccata multa, sed vel remittuntur vel remissa sunt. Et videri merito potest verbo præteriti temporis & hoc & illo loco abusos Euāgelistas pro præsenti, quemadmodum accepit noster interpres, quia postquam illo loco dictum esset: remittūtur ei peccata multa, quoniam dilexit multum subiicitur, Cui autem minus dimittitur, minus diligit, vbi pro dimittitur, Græcis est verbum præsentis tēporis ἀφίεται. Porrò duplici de causa Dominus priusquam hunc paralyticū corporaliter sanaret, eidem dixit: remittūtur tibi peccata tua.
Ioan. 1. Primùm quidem, vt significaret eum propter peccata in morbum hunc incidisse, ac prius animæ quàm corporis sanitatem quærendam. Passim enim scriptura indicat plerisque morbos ob peccata immitti. Vnde & Christus illi quem in probatica piscina sanauerat, dixit: Ecce sanus factus es, iā amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat.

contingat. Et Paulus ob indignam corporis Dominici
1. Cor. 11. sumptionē multos apud Corinthicos laborasse, ac quosdam fuisse mortuos testatur. 1. Corinth. 11. Secundo his verbis Dominus paralytico remissionem peccatorum polliceri voluit, vt occasione obmurmurationis Pharisæorum, de sua potestate & diuinitate apertius differeret, nec iam simplex ederet curationis miraculum, sed quod multipliciter attestaretur diuinitati eius. Nam obmurrantibus in corde suo Pharisęis, tribus modis factum est vt diuinitatem suam & potestatem declararet, videlicet demonstrando se videre cogitationes eorum & sanitatem corporalem subito solo iussu largiendo, & per collatam sanitatem comprobando se habere potestatē dimittendi peccata.

Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se, hic blasphemat. &c.] Vulgus, etsi Iesum nihil aliud quàm hominem esse suspicaretur, tamen occasione illorum verborum nihil sinistrum de ipso cogitauit. Simplicitas enim id adfert, vt ad calumniandum quis minus sit propensus. Contrà verò scientia cum superbia coniuncta facilē reddit hominem ad calumniādum. Vnde & scribæ Pharisæi legis scientia sibi placentes, & suam gloriam obscurāri fama Iesu dolentes, mox in verbis Domini inuenerunt quod culparent, è prophetarum enim & Moysi libris didicerant solius esse Dei condonare peccata. Dicitur enim *Isa. 43.*
Isaiæ 43. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me. Itaque quoniā Iesum non nisi hominē scribæ putabant, arguunt eum blasphemiæ. Et sanè ita temperauit suum sermonem Dominus, vt si æquo fuissent in ipsum animo, meritò non acceptari fuissent criminandi occasionem. Non enim dixerat Dominus: Remitto tibi peccata tua, sed quo minorem occasionem impiarum cogitationum præberet, ac arrogantiæ notam effugeret: remittuntur, inquit peccata: quæ etiam prophetæ & sancti cuiuslibet ex spiritu Dei loquentis verba esse poterant. Deinde sicut in scripturis remittere peccata soli Deo tribuitur, ita & facere miracula. Frequenter enim in Psal. occurrit de Deo, qui facit mirabilia magna solus. Quare sicut intelligebant non obstantibus scripturis homines etiam miracula facere, Deo scilicet potestatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem suam eis communicante, aut per eos operante: ita quoq; intelligere debuissent Deum huic communicasse potestatem absoluendi peccata, qui propriam sibi potestatem miracula operandi communicauerat ei. Accedit quòd scripturæ veteris testamenti passim per Christum promittuntur peccatorũ remissionem, quódq; & Ioannes Baptista palã & frequenter inclamauerit Iesum esse agnum Dei, qui tolleret peccata. Malitiæ ergo Pharisaicæ fuit, ex scripturis calumniandi quærere occasionẽ, ex quibus inuenire potuissent quod malis cogitationibus obiicerent, idque in peiorem interpretari partem, quod sic dictum erat vt apud æquum auditorem omni facilè esse criminatione liberum. Porrò quoniam blasphemiæ Dominum insimulabant, dicentes absolutè: Hic blasphemat: notãdus hoc loco vsus verbi blasphemare, in scripturis. Sicut enim in propria significatione vocis, blasphemia nõ solùm in Deum est, ita quoque in scripturis nõ solùm blasphemia ad Deum refertur. Est enim βλασφημεῖν hoc est, blasphemare, generaliter idem quod maledicere, nõ solùm superiori, quamuis illi maximè, sed tamen etiam æquali, & conuitiis aliquem incessere, Vnde non solùm homo dicitur blasphemare Deum, sed etiam homo hominem. Sic 1. Cor. 4. Paulus dicit: Blasphemamur & obsecramus. Et Christũ in cruce pendentem scribe dicuntur blasphemasse: Blasphemabant, inquit, mouentes capita sua. Sic ad Ephes. 4. blasphemia pro maledicentia ponitur: Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis. De blasphemia autẽ in Deum scriptura duppliciter loquitur, Vno modo, dũ quis de Deo malè loquitur, tribuẽdo illi quod eius dignitati derogat, aut negando de eo quod ei competit. Atque dum huiusmodi blasphemia quæ directè in Deum est significatur, verbũ blasphemandi construitur, vt aliàs solet, cum accusatiuo ita vt dicatur quis blasphemare Deum Sic Leuit. 24. Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. Isaiæ 1. Hisaiæ 1. Blasphemauerunt sanctum Israel. Et 4. Reg. 19. dicitur Ezechiæ: Noli timere à facie sermonũ quos audistis, quibus blasphemauerunt pueri regis Assyriorum me. Altero modo de blasphemia in Deum loquitur scriptura,

Blasphemia quid.

1. Cor. 4.

Ephes. 4.

Leuit. 24

Isaiæ 1.

4 Reg. 19

ptura, dum quis derogat honori diuino, tribuendo sibi vel alteri quod Deo propriũ est. Atque dum de huiusmodi blasphemia est sermo, verbum blasphemare absolutè ponitur, vt hoc loco, & Matth 26. cùm princeps sacerdotum scissis vestimentis suis exclamauit dicens: Blasphemauit. Aut cum accusatiuo & præpositione, in, vel contra, construitur, vt Marci 3. Qui blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum. Dicitur enim ibi blasphemate in vel contra spiritum, qui derogabat potentiæ & operationi spiritus sancti, tribuendo eam dæmonibus, quæ manifestè Spiritus sancti operatio erat. Proinde hoc loco dũ dicitur apud Matthæum: Hic blasphemat: sic est intẽligendum: Hic blasphemat in Deum, tribuendo scilicet sibi quod Deo soli competit, & ob id derogando diuinæ dignitati.

Marc. 3.

Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris.] Quoniã Scribæ & Pharisæi Dominum tanquam blasphemum apud se condemnabãt, eo quod videretur sibi arrogare quod Deo propr[ium] esset, mox ostendit sibi competere quod etiam scripturæ Deo proprium esse passim docent, dum declarat se cordium esse inspectorem, quod similiter Deo propriũ est, sicut remittere peccata. Scriptum est enim 2. Paralip. 6. Tu solus nosti corda filiorum hominum. Et in Psalmo. 7. Scrutans corda & renes Deus. Et 1. Regũ. 16. Homo videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor. Proinde bene Euangelista Lucas Christi diuinitatem insinuauit dicens: Vt autem cognouit Iesus cogitationes illorum, perfectius verò eadẽ significauit Matthæus dicens: Cũ vidisset Iesus cogitationes eorum. Plus est [illud] videre cogitationes quàm cognoscere, cùm cognoscamus etiam cogitationes aliquorum ipsis nobis reuelantibus. Perfectissimè verò eandem significauit Marcus, dicens Dominum cognouisse cogitationes eorũ statim & suo spiritu, hoc est, non alieno spiritu: quemadmodum prophetæ spiritu non suo, sed diuino quorũdam cogitationes cognoscere & videre potuerũt. Quamquam autem sola cogitationũ reuelatione satis Dominus confutauerat eorum de se malam cogitationem, quodque non immeritò sibi vendicauerit potestatem relaxandi peccata,

2. Par. 6.

Psal. 7.

1. Reg. 16

Luca 5.

Marci 2.

ta,non dedignatur tamen & alia ratione idem ostendere manifestius,sanitatem ægro subitò solo iussu conferens in confirmationem potestatis dimittendi peccata. Et sanè nō apperte sibi vendicauerat Dominus hanc potestatem, tamen quoniam eam sibi vendicasse Pharisæi intellexerant, ostendit euidenter eadem verè sibi conuenire. Vbi obseruandum quomodo semper Dominus aliorum malitia in bonum aliquod vtitur. Quod enim imprimis apperte dicere nō conueniebat,id ita occasione cogitationum talium, commodum erat ostendere & euidēs facere Porrò hæc saluatoris quæstio: *Quid est facilius dicere &c.* Idupliciter distingui potest ex parte verbi,dicere. Primo modo communiter distinguitur sic: quid est facilius dicere,vt infinitiuus,dicere,cōstruatur cum facilius.Secundò sic, vt coniungatur cum sequētibus:Quid est facilius,Dicere,dimittuntur,&c. Atq; hæc distinctio aptior videtur,imo ea conuincitur ex Marco qui addit, Dicere paralytico, ac sensum videtur habere p... illò diuersum à sensu prioris distinctionis, quamuis in idem coincidere possit. Intelligitur autem hæc quæstio dupliciter. Theophylactus enim ita eam intelligit, quasi Christus putauerit difficilius videri Pharisæis, dicere surge & ambula,quàm dicere,dimittuntur tibi peccata tua,eò quòd horum verborū effectus obscurus esset & incognitus,atque ob id Dominum voluisse per id quod difficilius videretur ipsis, probare quod facilius eis videretur,quamuis reuera esset difficilius.Nā secundum eum dimittere peccata difficilius est re vera,quàm sanare paralyticum.Itaque secundum eum,illud,dicere videri... debere accipi,dicere sine reprehensione,hoc est,ita aliquid dicere,vt de efficacia verborum redargui nō possis, erit̄q; sensus:Vtique dicetis mihi facilius esse,dicere alicui,remittuntur tibi peccata, quàm dicere, Surge & Ambula,eò quòd illorum verborum veritas & efficacia obscura sit.Ergo quod difficilius vobis videtur faciam,vt quod facilius apparet,& magis obscurum est cognoscatis etiam esse verū. Verùm hæc interpretatio non videtur conueniens. Non enim apparet Pharisæos apud se cogitasse: Facilius esse dicere, dimittuntur tibi peccata,quàm dicere,surge & ambula:cùm illud tā difficile

ficile existimarent, vt Deo propriū esse putarent, & ob id Dominum blasphemiæ insimularet. Proinde rectius intelligitur Dominum voluisse vtrumque horum esse æquè difficile, eiusdēq; virtutis esse, vt habet Hieronymus, & corporis & animæ vitia dimittere. Verbum autē, dicere accipi tunc debet pro seriò & efficaciter dicere.Quo verbo hic necessariò saluator vsus est nec dicere potuit:Vtrū est facilius remittere alicui peccata an conferre solo iussu paralityco sanitatē,eò quod de blasphemia arguebatur quæ in dicendo consistit:quare vt ad illorum calumniam directè responderet, dicendum erat,quid est facilius dicere,& non,quid est facilius facere. Est ergo hic sensus: Vos me arbitramini blasphemum,quòd dicendo,remittuntur tibi peccata, iudicetis me vendicare potestatem Deo propriam. Sed vestrum requiro iudicium, vtrum horum duorum minoris est potestatis,seriò & cum efficacia dicere, remittūtur tibi peccata,an dicere, surge & ambula Non dubitem quin vtrumq; sit æqualis,imò eiusdem potestatis, idq; diuinæ, cū solius Dei sit verbo præstare quicquid voluerit. Itaque eandē sibi potestatē arrogat qui hoc seriò dicere præsumit,quàm sibi vendicat quid dicit, remittuntur tibi peccata, vt æquè blasphemus sit qui illud dicit atq; qui hoc dicit. Hoc tantùm interest, quod ex conspecto ipso effectu secuto manifestè deprehēdi potest non falso & arroganter potestatem vendicatam si quis dicat, Surge & ambula: non autem ita deprehendi potest,si quis dicendo,remittuntur tibi peccata,eandem potestatem sibi vendicet. Quare vt certissimo cognoscatis me non arroganter vsurpare potestatem remittendi peccata,sed eam verè habere quam antehac nullus hominum in terra habuit,etsi &ego homo sim in terra conuersans vobiscum, ecce efficaciam horum verborum, surge & ambula, vobis exhibeo, verbo hunc paralyticum sanum adeo reddens,vt ipse suum lectum auferēs, integra valetudine sit à nobis abiturus in domum. Itaque si nō potestis me ob id blasphemum iudicare,quòd dicere præsumam huic:Surge & ambula:ipsa videlicet re declarante me habere eam potestatem quàm verba præ se ferunt:nec ideo blasphemum condemnare debe-

tis,quòd dicam,remittuntur tibi peccata,sed potius ex externo signo probare verùm esse spirituale & oculis non patēs remissionis peccatorum signum. Ex qua explanatione patet,quàm cōuenienter Christus illorū calumniæ respōderit,& quàm aptè eorū crassum cęcūque iudicium notauerit,eò quòd ea verba non calumniarentur tanquam blasphema,quibus solo iussu ægris frequenter sanitatem contulisset, cùm eandem potestatem præ se ferrent,idque apertius quàm verba illa quibus promisit remissionem peccatorum. Aduertēda aūt hic prudentia Saluatoris. Cùm enim scribæ cogitarent apud se. Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? Non respondet: Vt autē sciatis me esse Deum, & ob id posse dimittere peccata,sed,*Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem,&c*]efficaciter probās ex ipsa cogitatione scribarum,se verum esse Deum,nec tamen id ob humilitatis exemplum, ac inuidiam declinandam exprimens,& simul se verum hominem comprobās,potestatemque dimittēdi peccata competere sibi etiam quatenus homo est,& non solùm quatenꝰ Deus. Remittit autem Christus quatenus homo aliter peccata quàm sacerdotes. Sacerdotes enim solùm remittunt tanquam ministri Christi, Christus verò remittit autoritatiuè & meritoriè,sua morte expians hominum peccata. Illud autem,in terra: auxesin facit,significat enim filium hominis non solùm habiturum potestatem cùm in cœlo esset regnaturus,sed etiam habuisse cùm adhuc in terris versaretur in forma serui. Offendit enim Pharisæos q̄ is qui homo erat,& in terris versaretur,sibi vēdicaret potestatem remittendi peccata,quod solius Dei est qui in cœlestis est. Vnde ostēdit filiū hominis habere potestatem hanc,idque in terra. Portò hæc verba: Vt autem sciatis quia filius hominis,&c. quidam accipiunt vt sint verba Euangelistæ, quasi diceret: Ipsi dubitabant eum posse dimittere peccata,sed vt vos lectores sciatis ipsum habuisse hāc potestatē,tūc ait paralytico. Verùm rectius accipiūtur vt sint verba Christi ad scribas,quæ cōtinuata fuerunt cum verbis quæ subiunxit, conuertendo sermonem ad paralyticum,dicens: Surge & ambula: sed Euangelistæ interposuerūt illa verba: tunc ait paralytico,

Christus quatenus homo quomodo peccata dimittit.

lytico per parenthesin legenda, vt demonstrarent Dominū conuertisse se ad paralyticum, dirigendo sermonem ad ipsum,postquā priorē sermonis partem direxit ad scribas. Itaque Christi locutio imperfecta fuit,efficaciam maiorem habens quàm si perfecta fuisset. Habet enim aliquid vehemētiæ oratio in qua subitò fit & trāsitus à persona in personam. Supplenda est autem oratio hoc vel simili modo: respicite & aduertite. Cæterū hic duplex occurrit difficultas. Primò quomodo efficaciter Dñs probat se habere potestatē remittēdi peccata,ex potestate curandi aliquē verbo,cùm multi sanctorum hanc habuerint potestatem, illam verò nō habuerint. Secundò,quomodo Dominus significat æquè difficile esse dicere,Surge & ambula,& dicere, remittūtur tibi peccata,cùm Theophil. post Chrysostomum dicat, re vera difficiliorē esse animæ quàm corporis curationem; & Augustinus super illud Ioan. 14. Maiora horum faciet: maius esse opus asserat vt ex impio quis fiat iustus,quàm creare cœlum & terram. Ad primum dicendum,Christum non simpliciter ex potestate cutādi paralyticum probare se habere etiam potestatem remittēdi peccata,sed ex eo quòd sine nominis alicuius inuocatione,solo iussu,& cū autoritate præcipiēdo curaret: quam potestatem non habuerunt aliqui sanctorum sed nec habere possunt,cùm sit solius Dei. Deinde cum miraculum curationis paralytici ediderit Dominus in confirmationem potestatis remittendi peccata efficaciter consequebatur eandem ipsum habere,cum miracula vera efficaciter comprobēt id in cuius attestationem fiunt. Sunt enim quasi sigillum quoddam Dei, quo aliquid Deus verum esse comprobat. Ad secundum dicēdum,maius quoddam opus ex sese esse iustificare impium quàm sanare ægrotū,cùm illud ad spiritum,hoc verò ad corpus pertineat,ac ob id etiam si hæc duo in seipsis tantùm considerentur,facilius esse sanare ęgrotum paralyticum,cùm id aut simile naturali aliqua virtute fieri possit. Verùm sanare paralyticum hoc modo, nempe solo iussu,& remittere peccata,si referantur ad eā causam à qua sola hæc fieri possunt,æquè sunt & facilia & difficilia. Diuinæ enim potentiæ vtrumq; æquè

est facilè,à qua sola hæc fieri possunt.

Surge,tolle lectum tuum,& vade in domum tuam.]Nõ solùm surgere præcipit,sed etiam tollere lectum,vt quod fuit testimonium infirmitatis, fieret probatio perfectæ sanitatis.In domum quoq; abire præcepit,vt ne gloriã suam quærere videretur si illum apud se retinere:vtiq; euidentiam probarent,& sanitate sua domesticos lætificans fidei eis fieret occasio.Porrò editum sermonem mox manifesta præsentaneáque vis consecuta est.Non enim paralyticus paulatim ac tandem,ægréq; cœpit se mouere,sed ad Iesu vocem statim erexit sese,quasi nullam vnquam sensisset paralysin, ac subiato in humeros lecto per confertam hominum multitudinem egressus est,nouum & antehac inuisum omnibus spectaculũ exhibens,vt qui paulò ante velut exanime cadauer à quatuor baiulis lecto affixus portabatur,nunc gestiés & alacer tãtæ etiam farcinæ gestãdę solus sufficeret.Cúmque negatus fuisset locus aduenienti,datus est exeunti. Sic enim dispensatione quadam diuina vtrumque expediebat,vt venienti obsistens turba, fidei magnitudinem omnibus faceret manifestã, & datus per mediam multitudinem exeunti locus,miraculi spectaculũ omnium oculis subiiceret.Quid autem his visis scribæ vel cogitauerint,vel dixerint,Euangelistæ non commemorant,nisi eos intelligamus etiam comprehẽsos,à Marco & Luca,qui dicunt omnes obstupefactos.Cæterũ Matthæus turbarum solùm memini, nimirum quòd vulgus hoc miraculo conspecto magis obstupefactũ sit,ac simplici animo Deum glorificauerit,cùm scribas fortè & Pharisæos inuidẽtiæ quidam zelus occultæ torqueret.Tria autem in præsentibus turbis consecuta cõmemorant,nempe stuporem & admirationem summam, quam Lucas ἔκστασιν vocat:timoré magnum ex stupore rei nouæ prodeuntem,ac glorificationé Dei.Pro eo tamen quod habet Matthæus,timuerunt,Græcè est,ἐθαύμασαν, hoc est,admiratæ, sunt,vnde videtur interpres legisse,ἐθάμβησαν.Porro timoris apertè mentionẽ facit Lucas dicens,Et repleti sunt timore.In huius autẽ paralytici curatione sensum aliquẽ spiritualem requirendum,

dum,præterquam quod superius generaliter est ostensum, etiam præsens locus satis indicat.Docet enim hic Dominus se voluisse per corporalem curationem morborum confirmare potestatem suam ad remittendum peccata.Itaque sicut est paralysis quędam corporũ quæ humore noxio neruos corporis,q motus sunt organa, occupat ac torpefacit, sic vt qui laborat hoc malo,viuũ cadauer esse videatur,cum ad nullũ vsum habeat membra corporis:sunt ita quędã est paralysis animæ,cùm scilicet voluptates ac frigidissimę rerum fluxarum curę sic occupant omnes animæ vires,vt tota torpeat ad omnia pietatis officia, ita affixa infœlici grabato cupiditatum carnis,in quibus conquieſcit, vt viuens mortua sit,atq; ex sese nullũ habeat robur erigendi se à rebus terrenis ad cœlestia,aut adeundi medicum animarũ. Talis igitur anima,si agnito morbo suo humana arte immedicabili, cupida fuerit sanitatis, seipsam curet cum summa fiducia prædicatorum, pastorum,& iustorum hominũ institutione & oratione deferri ante Christum eique commendari:& quoniam turba carnalium hominum, & carnalium cogitationem impedimentum præstat accedendi,curet se subuehi à carnalium commercio,sicq; humiliter demitti ante Iesum,morbum suum omni deposito noxio pudore illi planè & palam detegens. Qui non dubiũ omnipotente sua bonitate,non solùm peccata remittet,vnde paralysis illa & dissolutio viriũ nata est,sed & vires largietur tantas,vt non tantùm surgat, sed etiã lectum,hoc est,corpus in quo requieſcebat lãgueſcens ad omnem boni operationem,tollat veluti in humeros suos,dominãs iam illi cui prius seruiebat,nõ iam vt prius baiulis opus habens,sed suis pedibus ambulans quocunque agit illam spiritus Christi,nec aliò ambulans quàm quo iussa est Ambulat autem,ídq; coram omnibus,atque in domum suam vadit,dum virtutũ profectibus semper ad meliora aliis etiam vidẽtibus progreditur,ingrediens in requiem conscientię secundum illud Psalmistæ,Conuertere anima ea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi:expendens apud se beneficiis accepti & bonitatis diuinę magnitudinem ac oõ eam & priuatim & publicè Deum glorificãs.Porro no-

rò noſtrum fuerit, non ſcribarum ſed ſimplicis turbæ ſequi exemplum, vt & ipſi glorificemur Deum, non ſolùm quando nobis ſua clementia adimit morbos animi, verumetiam cùm alios videmus eiuſdem bonitate à priſtinis vitiis reſipiſcere, admirandúmque & nobis quòd talem poteſtatem dedit hominibus, vt & ipſi poſſint remittere peccata.

DOMINICA XX. POST TRINITAT.

EVANGELIVM.

Matt. 22. *IN illo tempore: Loquebatur Ieſus cũ diſcipulis ſuis in parabolis dicens: Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio ſuo. Et miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias & nolebant venire. Iterum miſit alios ſeruos ſuos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia mea occiſa ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt: & abierũt, alius in villam ſuã, alius verò ad negociationem ſuam. Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cùm audiſſet, iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccendit. Tunc ait ſeruis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcunque inueneritis vocate ad nuptias. Et egreſſi ſerui eius in vias congregauerunt omnes, quos inuenerunt, bonos & malos: & impleta ſunt nuptiæ diſcumbentium. Intrauit autem rex vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominẽ non veſtitum veſte nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc rex dixit miniſtris: ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.*

QVanta ſit huius parabolæ dignitas, ex eo perſpici facilè poteſt, quod totius ſcripturæ ſummam & quaſi compendium, breuiter & luculenter exponit, vt cui non vacat occupato, ſacros reuolucre codices, ſaltẽ ex hac Euangelij periçopa, ſtudeat ſcripturarum potiſſimas partes, & capita recognoſcere. Tradit enim

enim, quid de Deo, de redemptione per filium Dei peracta, de pacto, ſiue teſtamento cum Abrahã & eius ſemine facto, de beneficiis illi populo multipliciter præſtitis, de intollerabili ipſius ingratitudine, de ſubſequẽti, vindicta, & vocatione gẽtium, de veris & falſis Chriſtianis, poſtremò, de iudicio, & retributione finali, ſit ſentiendum. Hos enim præcipuos vtriuſque Teſtamẽti locos, ferè nemo, qui ſcripturam, vel à limine ſalutarit, eſt negaturus. Complectitur autẽ Chriſtus, omnes in vnam parabolam, vt rudiores per exemplum cernere, ac velut in tabella depictum conſpicere poſſint, quid cum genere humano Deus Opt. Max. egerit ab exordio ac in hunc vſque diem gerat, hcéque ad finem vſque facturus, quatenus ex operibus Domini, ac eius poſſint notitiam peruenire. In omnibus autem diuinis operibus, ſi hominem ſpectes, ſuper omnia refulgẽt hęc duo miſericordia ineffabilis, & infallibilis iuſtitia, quæ nobis hæc allegoria luculentiſſimè tradit. Continet enim duo miſericordię Dei argumẽta clariſſima, quibus ſingulis, mox totidem horrenda vindictæ ſuæ ſubiungit exempla, quibus ſubinde in hominum proteruiam animaduertit. Hunc in finem, vt miſericordiam & gratiam Dei cognoſcẽtes, ad gratitudinem & eius amorem traheremur. Et vice verſa, ſeueram eius iuſtitiã & iudiciũ, inſtans metuentes, ab omni impietate reuocaremur.

ET *reſpondens Ieſus dixit iterum in parabolis eis dicens: Simile, &c.*] Reſpondiſſe dicitur Ieſus, quamquam non præcedat aliqua quæſtio ſcribarum & ſacerdotum, ſiue quia reſpondit cogitationi eorum affectantium ipſum capere: ſiue ſimpliciter, quia hanc parabolam ſuperioribus ſubiecit. Sic enim, vt aliquoties dictũ eſt, ſæpe in Euangelijs accipitur, reſpondere, vt ſit ſubiicere aliquid, quibuſdam præcedẽtibus, ſiue verbis, ſiue factis. Commodè autem hanc parabolam ſuperiori de vinea locata Dominus ſubiecit, quòd hac idem quidem quod præcedente ſignificatur, nimirum regnum Dei à Iudæis propter ipſorum impietatem auferendũ, & dãdum gentibus, ſed tamen quædam hic apertius ſignificantur, quàm illa præcedente parabola: quædam it m

vlterius significantur quæ præcedente parabola non erant significata. Nam illa quidem significabatur primates Iudæorum dignè perdendos: hæc verò significatur cum eis etiam populum & ciuitatem perdendos & species item vltionis significatur, nempè quòd incēdio ciuitatis, & exercitu contra eos missō Rursum cùm præcedens parabola significauerit ea quæ vsque ad passionem contigerunt, puta Dei prouidentiam qua erga Iudæos est vsus, ac Iudæorum impietatem in Prophetas, & tandem in ipsum Christum, hæc parabola potissimū ea quæ post crucem contigerunt, aut post Christi aduentum indicat, nempè quomodo Iudæi primò sint à Deo ad Christi gratiā vocati, & quomodo in Apostolos eādem patrauerint impietatem quām olim in Prophetas. Cùmque superiori parabola tantum sit significatum, regnum cœlorum dandū gentibus: hic vlterius significatur non omnes qui ex gentibus in regnum Dei fuerint admissi saluos fore, vt ne occasione superioris parabolæ, credentes ex gētibus remissiores essent & nimis securi, existimantes satis esse credere, & baptismū suscepisse. Ex quibus satis licet intelligere quàm commode hæc parabola subiuncta sit superiori, siue Iudæos spectemus, siue gentes. Habita est quidem ex Lucæ cap. 14 similis parabola, sed ea vt est alio tempore & loco quàm sit diuersa ab hac, facilè ex comparatione intelligi potest. In illa enim dicitur parata cœna, in hac verò prandium, idque nuptiale. In illa vnus seruus ad inuitatos semel missus dicitur, in hac multi serui, idq; frequenter. In illa inuitati tantùm dicuntur se variis modis excusasse, in hac præter eos qui neglexerunt venire, quidam dicūtur missos seruos occidisse. Proinde in illa excusatores tantùm excluduntur à cœna, in hac homicidæ etiam vindicantur. In illa seruus vocandū eos qui inuitati non erant, bis emittitur, in hac verò serui ad vocandum non inuitatos semel tantum missi dicuntur. In illa nemo admissus ad cœnam eiicitur, in hac eiicitur qui venerat non indutus veste nuptiali. Quamquam enim vtriusque parabolæ præcipuus scopus sit idem tamen ei quod tunc agebat Dominus cōtextus illius parabolæ conueniebat: ei verò quod nunc significare voluit

luit Dominus, iste cōtextus cōmodus erat. Tunc enim tantum erat significandum Iudæos aut Iudæorum primates se suo vitio reddituros indignos gratia Euangelica & beatitudine æterna, atque in locum ipsorum gētes successuras: hic verò præter ista etiam alia erant significanda, quæ supetius sunt dicta. Est autem parabola per se satis clara, vt in litera & exempli declaratione non sit opus hærere. Nec obscurum est quid per parabolam, & parabolæ singulas penè partes Dominus significare voluerit, Nam per hominem regem parabolicè significari Deum patrem certum est, qui rex est vniuersi, quique nunc non simpliciter per hominem, vt alibi aliquoties, sed per hominem regem significatur cōmodè: tum quia postea de vindicta dicitur quæ pertinet ad regem: tum ad significandum nuptias de quibus in parabola, non vulgares fuisse, sed magnificas, vtpote regias, & regis filio præparatas. Accipitur autem hoc loco, vt & alias nonnunquam, vocabulum, nuptiæ, non pro ipsa copulatione matrimoniali, quæ propria eius est significatio, quomodo accipitur apud Augustinū in libro cui titulus de nuptiis & concupiscētia, sed pro conuiuio nuptiali quemadmodum patet ex eo quod ad nuptias dicantur homines inuitari. Proindè Deum patrē fecisse nuptias filio suo, non debet sic declarari, quia eum in vtero virginis humanæ naturæ coniunxit, aut quia per incarnationis mysterium & humanæ naturæ assumptionem, sanctam ei Ecclesiam fidelium in sponsam sociauit, sed quia ratione huiusmodi coniunctionis filij sui cū Ecclesia, Deus pater nuptiale conuiuium ad honorem filij sui præparauit hominibus. Est autem nuptiale istud conuiuium illud, quo Deus in hac vita montes fidelium pascit iucunda & salutari doctrinæ Euangelicæ prædicatione, ac variis sacramentorum & charismatum ferculis: quo item & post hanc vitam eos pascit, & vsque ad satietatem reficit gaudiis æternæ beatitudinis. Hoc est cōuiuium illud, de quo Isaias: Et facit Dominus exercituum omnibus populis in mōte hoc, conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemię defecatæ. Hoc conuiuium Deus pater ante aduentum filij sui in mun- *Isaiæ.25*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum nondum fecerat & instruxerat, quando necdum apertè prædicabatur regnum Dei, & gratia Euangelica: sed postquam filius Dei per assumptionem humanæ naturæ, & conuersationem ipsius cum hominibus Ecclesiam sibi in sponsam copulauit, tum ratione huius coniunctionis istud cõuiuium hominibus paratum est. In spiritualibus enim his Christi nuptiis spõsa magis est intelligẽda, ipsa Ecclesia, quàm assumpta à
Ephes. 5. Christo in vtero virginis humana natura. Nam Paulus
Apo. 21. ad Ephesios & Corinthios sponsam Christi facit Ecclesiam similiter & Ioannes in Apocalypsi, & Baptista Ioãnis 3. vbi latius dictum est cur Christus sponsus dicatur Ecclesiæ. Porrò per inuitatos ad nuptias, significãtur Iudæi, qui olim per Prophetas & legem inuitati erant ad nuptiale illud conuiuium in tempore gratiæ per aduentum Messiæ exhibendum, quemadmodum solẽt aliqui inuitari ad nuptias aliquot diebus antequam nuptiæ exhibeantur. Per seruos autem primò missos, plerique intelligunt Prophetas: & per seruos secundò missos, Apostolos. At cùm serui etiam primi significentur missi cùm iã nuptiæ essent paratæ, ad eos qui prius erant inuitati, rectius per seruos primò missos intelli-
Matt. 4. gũtur significari Ioannes Baptista & Apostoli, qui ante mortem Christi prædicauerunt regnum cœlorum appropinquasse: vocantes Iudæos ad paratas nuptias, dum ad pœnitentiam agendam eos hortabantur, dicentes: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Per seruos autem secũdò missos eidem Apostoli simul cum aliis multis, vt Paulo & Barnaba, missi post resurrectionem ad prædicandum Iudæis. Ad quem modum intelligunt ferè D. Hilarius, Chrisostomus, & Euthymius. D. Hieronymus indicat quosdam libros priori loco habere singulariter: Et misit seruum suum vocare: secundũ quàm sectionem vult per seruum illum intelligendũ Moysen primò missum ad Iudæos ab initio mũdi à Deo inuitatos: & per seruos secũdò missos, Prophetas post Moysen missos. Verùm cum ostensum sit verisimilius esse vt per omnes seruos missos intelligantur ministri noui testamenti, si legatur singulariter, seruum scilicet per seruum illum intelligetur Ioannes Baptista qui

qui primus de nuptiis Christo paratis annũciauit, professus se amicum sponsi, post quem alij serui missi sunt ad Iudæos, nempe Apostoli. Verisimile est autem eam lectionem, cuius meminit Hieronymus, desumptam ex simili parabola, Lucæ 14. quod constanter Græci & Latini habeant pluraliter: Et misit seruos suos. Quòd si incommodum videatur in seruis primò missis intelligere Apostolos & eosdem intelligere in seruis secundò missis, eò quòd dicatur in parabola: Iterum misit alios seruos: in seruis primò missis intelligi commodè poterunt significari Ioannes & ipse Christus, qui secundum humanitatem in qua prædicauit seruus erat: in seruis verò secundò missis, Apostoli missi post resurrectionẽ, quamquam & ipsi Apostoli post resurrectionem missi secundò, rectè intelligantur per alios designari seruos, tum quòd per acceptum spiritum alij iam affecti essent: tum quòd alij eis in prædicationis officio coniuncti essent, vt Paulus & Barnabas. Vt est, significatur ad Iudæos olim inuitatos, bis missos esse seruos nuptiali cõuiuio iam parato, nempe & ante mortẽ Christi, & post eius resurrectionem. Proinde notandum, quòd cùm in priori missione serui tantùm dicantur missi vocare inuitatos: in secunda, iussi sunt dicere inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata. Hoc enim significatur Apostolos post Christi resurrectionem ex Dei iussione prædicasse, Messiam mortuum, crucifixum, & resurrexisse, omniaque tunc peracta esse quæ ad salutem hominum & spiritualem eorum refectionem essent necessaria, tantum superesse vt fide venirent, & propositorum fierẽt bonorum participes. Tunc absolutus prandium erat paratũ, & omnia parata quæ ad prãdiũ erant necessaria, quãdo agnus paschalis in cruce occisus, propositus est omnib. fide & sacramento edendus, & fideles adipe spiritualiũ, charismatum passim impinguabantur, Spiritu sancto misso è cœlis. Et hoc quidem est quod in genere significatur per hoc quod dicitur: omnia parata sũt, tauri & altilia occisa sunt: vt non sit opus distinctè explicare quid per tauros, quid per altilia sit intelligendũ, cũ hæc tãtũ sint dicta pro exempli exigentia, inxta morem q i

seruari

seruari solet in nuptiis. Nihilominus per illud tauri & altilia sunt occisa: hic etiã mystice significatur preciositas & magnificentia conuiuij à Deo hominibus parati, quódque multis paratũ sit cùm non vnus tantùm taurus, sed multi tauri dicantur occisi. Deinde quod in hoc conuiuio sint non tantum quæ famem satiẽt, vt taurorum caro, sed etiam delicata quæ ad delitias adhibentur, vt sunt altilia, id est, animalia alimento impinguata & proinde esse hic vnde quisque sibi conuenientem sumat cibum, vt grossiores & rudiores grossam comedãt taurorum carnem: delicatiores verò & perfectiores adipe vescantur pinguium altilium. Bene autem prandium paratum dicitur, quòd hic potissimum significentur ea bona quibus fruuntur fideles in præsenti vita, post quæ velut cœna sequitur fruitio cœlestium bonorum. Quòd autem inuitatorum quidam neglexerunt venire, abeuntes vel villam suam, vel ad negotiationem suam alij verò etiam apprehensos seruos contumelia affecerunt & occiderunt: significat Iudæorum quosdã neglexisse bona ad quę inuitabantur, abstractos scilicet ab eis amore & cum bonorum terrenorum: quosdam verò inuitationem seruorum Dei ægrè ferentes, illos etiam post multas cõtumelias occidisse. Quorum tum negligentia, tum impietas eo fuit intollerabilior, quòd cùm ad conuiuium nuptiale passi fuissent se prius inuitari, ad expectatum illud, cùm iam paratum esset & tã sumptuosè ac regaliter paratũ, aut venire neglexerint, aut se vocati non passi sint. Ad exaggerendum enim Iudæorum infidelitatem & impietatem, & non solùm ad commendandum Dei benignitatem, nihil prætermittentis quo Iudæos bonorum suorum participes redderet, faciunt quæcunque in historia dicuntur aut significantur hactenus, nempe quòd olim ante nuptias paratas fuerint inuitati, mque inuitationem neceptauerint, promittentes se venturos ad nuptias: quod semel & iterum vocati sunt ad nuptias iam paratas, idq; per multos & diuersos seruos: quòd nuptiæ quas neglexerunt aut contempserunt iam paratas, regales fuerint, ac sumptuosissimæ: quòd nec regis benignitate prouocati, nec eiusdem potentia terrefacti, nec promissionis

sionis suæ memores, regiis seruis aut obedire neglexerint, aut etiam contumelias & mortem pro optanda vocatione intulerint. Iustè tantam impietatem Iudæorum secuta est vltio diuina, quæ significatur per sequẽtia: Rex autem cùm audisset, iratus est, &c. Eo enim significatur, Deum patrem, qui vt est tardus ad iram, non statim vltus est Iudæos, nec iratus illis, cùm ad priorem missionem recusarent venire, dissimulasse quidem ad tempus iniuriam seruis suis & sibi illatam, sed tamen tandem velut illa iam audita & intellecta emisisse exercitus Romanorũ (qui Dei rectè dicuntur exercitus, quòd omnes eius sint ratione creationis, quódque his Deus vsus sic ad vindictam, necis Dominicæ & Apostolorum) qui sub Tito & Vespasiano, homicidas Iudæos perdiderunt simul cum ciuitate eorum Ierusalem igne vastata. Vbi notandum, quod tantùm homicidas rex iratus dicitur cùm ciuitate eorum perdidisse, non autem etiam eos qui neglexerunt venire. Illo enim commendatur Dei bonitas, quasi non fuerit Iudæos horrenda illa in præsenti vita vltione vindicaturus, si tantum neglexissent oblatam salutem, & non etiam homicidæ fuissent seruorum Dei. Sequitur in parabola: *Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, &c.*] Per quæ proculdubio significauit Dominus quod Iudæis indignos se reddentibus bonis Euangelicis, prædicatores Euangelij à Deo mittendi essent ad vocandum populum gentilem, qui quoniam nullas acceperat de Messia & bonis cœlestibus promissiones, nõ erat vt populus Iudaicus olim ab has nuptias inuitat⁹, nec videbantur illis nuptiæ istæ præparatæ, sed incredulitas Iudæorum facta est occasio vocationis gentium, quia vt habet Paulus, illorum delicto salus est gentibus. Ita factum est, licet Iudæi inuitati indignos se redderent, non tamẽ nuptiæ frustra paratæ essent, sed suos haberent conuiuas, gẽtibus in locũ Iudæorum subintroeũtibus. Porrò cùm dicitur: Tunc ait seruis suis: dictio tũc non videtur referenda ad omnia præcedentia, vt significetur rex hæc dixisse postquam missis exercitibus suis perdidit homicidas & succedit eorum ciuitatẽ sed tunc ait seruis suis, cùm scilicet audisset seruos suos necato-

&

Universidad de Deusto
Biblioteca

& inuitatos nolle venire. Quia etiam ante vltionem de Iudæis sumptam missi sunt Apostoli ad gẽtes. Si tamen tunc, etiam ad immediatè præcedentia referatur, intelligetur significari post Iudæorum vastationem tũc maximè ad gentium vocationem missos prædicatores, quando & hi qui eatenus in Iudæa remanserant, ad gentes sunt missi. Cùm autem dicitur: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant non fuerunt digni: plus intelligendũ est significari quàm exprimatur, nimirum ꝙ inuitati non solum non fuerunt digni, sed se indignos fecerunt qui nuptiis interessent. Nam & non inuitati gentiles etiam non fuerunt digni, sed non se sicut Iudæi fecerunt bonis nuptialibus indignos. Itaq; quò constet differentia quæ innuitur inter inuitatos & non inuitatos illud: non fuerunt digni: sic est exponendum, fecerunt se contemnendo indignos. Cæterum exitus viarum, in quos iubentur egredi serui, ad literam sunt vbi multæ viæ simul coeunt, & multæ viæ exeunt, vbi probabilius est multos repetiri posse ex diuersis viis illuc confluentes, vt significetur multos ad nuptias vocandos. Aut simplicius per exitus viarum significãtur fines & termini viarum in quibus ferè abiecti commorantur, vt significetur prædicatores missos etiam ad vocandum abiectissimas gentes, eósq; etiam qui in extremis mundi partibus habitant, iuxta illud: Etitis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, Samaria, & vsque ad extremum terræ. Quod & Propheta regius longè ante prędixit: In omnem, inquit, terram exiuit
Psal.18. sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Præcipiuntur ergo serui exire non tantum in vias, sed etiam in exitus viarum, hoc est quod ad sensum à Domino intentum pertinet, in fines orbis terræ ad gentes etiam remotissimas & abiectissimas. Cùm autem prius mitterentur in ciuitatem ad ciues, nunc è ciuitate emittuntur in vias & exitus viarum quæ sunt extra ciuitatem, ad significandum quòd Iudæi rempublicam habentes legibus diuinis constitutam veluti ciues ciuitatem incolebant: gentes verò cultu veri Dei ac legibus iustis carentes, atq; inuariis dispersæ erroribus veluti in a-..is morabantur. vnde Diuus Augustinus lib. 2. & 19. de Ciuitate

Ciuitate Dei, vtrobique cap. 21. ostendit ne apud Romanos quidem vnquam fuisse rempublicam, sed tantùm apud populum Dei. Quod autẽ rex dicit seruis Quoscunque inueneritis vocate ad nuptias: significat Deum sine personarum delectu quosuis ad bonorum suorum participationem velle vocari. Quòd vero serui egressi bonos pariter & malos congregasse dicuntur: magis est dictum à Domino propter rem per parabolã significandam, quàm propter exemplum parabolæ, cui illud parũ conuenit. Cùm autem nulli antequam vocentur, boni corã Deo reperiantur, nec qui mali volunt perseuerare congregandi sunt ad nuptias, intelligendum est secundum D. Hieronymum ideo dictum esse bonos pariter & malos esse congregatos, quia inter ipsos gentiles infinita est diuersitas, & secudum humanam conuersationẽ quidam eorum boni dicũtur, quidam mali. Aut potius secundum Gregorium boni pariter & mali congregati dicũtur, vt intelligeremus in Ecclesia semper malos bonis permixtos fore. Nam istud cur in parabola dixerit, satis aperit postea Dominus, cùm inuẽtum dicit vnum non indutum veste nuptiali, & ob id ejectum. Itaq; boni & mali dicuntur non ratione bonitatis & malitiæ in qua fuerant cùm vocarentur, sed in qua post vocationẽ erant futuri. Vtramque intelligentiam tradit D. Augustinus cap. 17. lib. de fide & operibus. Ceterùm quòd dicit, nuptias impletas esse discumbentium, id est, discumbentibus (nam genitiuus ille coniungendus est cum impletæ sunt: & non cum substantiuo, nuptiæ) significat non defuturum quenquam prædestinatorum ad fidem, nuptiali cõuiuio Christi, sed hoc conuiuium habiturũ plenum suũ numerum, nec quicquam eius plenitudini & celebritati obfuturũ, quod inuitati illi primi venire noluerint: imò potius hac ratione fore, vt plures ad hoc conuiuiũ congregentur, & conuiuium impleretur cõuinis, quod per inuitatos tantùm, etiã si omnes venissent, impleri non potuisset. Vnde Paulus delictum Iudæorũ diuitias esse dicit mundi, & eorum diminutionem diuitias esse gentium. Necdum autem impletũ est, quod per impletas discũbentib. nuptias significatur sicut reliqua impleta sunt quæ per præcedentia significantur: sed impletum

impletum erit istud in seculi consummatione, quando colecti erũt in ecclesiam quotquot præordinati sunt vt sint de numero fidelium, post quod & implebũtur quæ per sequentia significantur. Itaque per hoc quod postquam impletæ essent nuptiæ discumbentibus, rex intrasse dicitur vt videret discumbẽtes: significatur quòd in consummatione seculi, Deus pater per filium suum fideles sit visitaturus, à quibus iam videtur abesse, vt videat & dispiciat quomodo vnusquisque sit habitus & dispositus, & an omnes dignè tantis accumbãt & interfint nuptiis, an potius quidam suo habitu nuptialẽ illã dehonestent [illegible]ẽnitatem. Porrò per vestem nuptialem, hoc [illegible] nuptiis dignã (neq; enim cõuenit nuptiis maximè regalibus interesse sordido & vulgari vestitu,) quidam fidei encomium nimis vbique inculcantes hodie, mysticè volunt intelligi fidem ipsam, sed ineptè, quandoquidem qui ad nuptias has veniunt, dicuntur venire ratione fidei, & sacramentorum fidei quæ suscipiunt, cùm tamen inter eos qui veniunt significetur nõ omnes habere vestem nuptialem. Proinde secundum antiquos patres per vestem nuptialem secundum mysticum sensum intelligi potius debet aut ipsa charitas, quæ instar vestis tegit nostrã nuditatẽ, & operit multitudinem peccatorũ, vestisq; planè est nuptiis Christi digna, quòd in hac venerit Christus sponsus, Ecclesiam sibi in sponsam copulaturus. Aut quod eodẽ redit, per vestem nuptialẽ intelligitur vita pura & splẽdida, in modum vestis virtutibus & bonis operibus cõtexta hominémq; ornans. Et contrà vestis nõ nuptialis, vita est sordida & impura. Omnes enim patres intelligũt hac parte parabolæ admoneri fideles, ne satis sibi esse putent quod credãt, & baptismate abluti sint, atq; intra Ecclesiam recepti eisdem participent sacramentis, eòdémque nutriãtur doctrinæ pabulo, sed opus esse vt viuant vita sua vocatione dignam, &, vt Paulus habet, ambulẽt dignè vocatione qua vocati sunt. Hęc est illa vestis ad quã adhortatur idem Paulus, dicens: Abiiciamus opera tenebrarũ, & induamur arma lucis: sicut in die honestè ambulemus. Et alibi: Si tamen vestiti & non nudi inueniamur. Huic intelligentiæ conuenit quod postea in quadam

Ephes. 4.
Rom. 13.

dã parabola dicitur filius hominis iudicaturus fideles de neglectis misericordiæ operibus. Nam qui non credit, iam iudicatus est. Conuenit & illud quod Apoc. 19. dicitur: Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se, & datum est ei vt cooperiat se byssino splendenti & candido. Byssinum enim sunt iustificationes sanctorum. Vnum autem dicitur vidisse rex non indutum veste nuptiali, quamquam plures sint fortè in ecclesia mali quã boni, tum vt in illo vno vnusquisque discat fidelium solicitus esse, vt vitam viuat sua vocatione dignam tum vt hinc intelligeretur exacta & diligens cõsideratio Dei ad vitam & merita fidelium, nec quis sibi [illegible]audeat se vnum in nouissimo iudicij die in tanta hominũ multitudine posse effugere Dei oculum. Quòd autem rex dixisse illi dicitur: Amice, quomodo huc intrasti, hoc est, qua audacia, qua fronte huc ad tantas nuptias intrasti sine veste nuptiali: (est enim illud, quomodo, intelligendum reprehensiuè dictum) significat in nouissimo die Deum seuerè reprehensurum eos qui fidelibus permixti non vixerunt vitam dignam fidelium consortio, & nuptialibus bonis, erga eos tamen ex sese pro ingenita sua erga omnes benignitate bene affectum fore: quod significatur per appellationem amici, vt intelligamus Deum non personarum odio, sed iustitiæ tantùm zelo quosdam condemnaturum. Quòd rege interrogãte obmutuit interrogatus, significat in iudicij die peccatores rationem suæ vitæ postulatos non habituros quod respondeant, aut quò se valeant defendere, secundũ illud Iob. Si voluerit homo contendere cum eo, nõ poterit ei respondere vnum pro mille. Quod autem in illo die fideles bonis operibus nudi, non tantùm sint verbis seuerè corripiendi, sed etiam è nuptiis & sanctorum consortio eripiendi, ac carceri infernali tradendi in æternum puniendi: significatur per sequentia, cùm dicitur: Tunc dixit rex ministris. Ligatis manibus & pedibus eius mittite eum, &c. In quibus Dominus declinat ab exemplo parabolæ ad rem per parabolam significandum. Nam per tenebras exteriores ad literam Dominus significat semper tenebras infernales. vnde hoc non conuenit e-

Ioan. 5.

emplo parabolæ, sicut nec quod sequitur: Illic erit fletus & stridor dentium. Sicut autem metaphorica est locutio in eo q̃ in inferno dicitur fore fletus & stridor dentium, ad significandum, vt suprà dictum est, maximum tum dolorẽ, tum horrorem: ita etiam est allegoria in eo quòd præcipiuntur ligari manus & pedes. Nõ enim corporalibus vinculis post resurrectionem damnatorum manus & pedes verisimiliter ligabuntur, sed huiusmodi allegoria desumpta ab exemplo parabolę, cui vincula corporalia bene conueniunt, significatur impios inde inferno violẽter detinẽdos, ne se in aliqua ratione possint vel manibus resistendo, & impedimenta rumpẽdo, vel pedibus fugiẽdo liberare: quemadmodum cùm alicui in carcerem proiiciendo, aut in aquam submergendo manus & pedes ligantur, fit hoc ne effugere possint, aut enatare, sicq; mortem euadere. Quidã intelligunt hac allegoria significari impiis auferendam potestatem bene operandi & bene volẽdi. Manus enim operatiuas significãt animæ vires: pedes verò quibus ad aliquid monemur, affectiuas. Istud autẽ etsi simul rectè significari intelligatur, tamen quod priori loco dictum est, potissimum esse quod significatur, patet ex exemplo parabolę vnde trahitur allegoria, atque in illa priori intelligentia posterior etiam includitur. In eo enim quod dicitur dãnatis ablata potestas se liberandi è pœnis includitur etiam potestatem bene operãdi adéptam eis. Nam si bene operari possent, aut bene affici, possent & liberari ab inferno. Porrò sunt qui quod dicitur in parabola de ingressu regis vt videret discumbentes, &c. intelligant mysticè impleri in vita præsenti, vt tunc intelligatur Deus intrare ad videndum conuiuas in suis nuptiis, quãdo interna visitatione cor vniuscuiusque cõmouet & admonet, aut quando in hora mortis rationẽ anteactæ vitæ ab homine requirit. Ideóque notant regem non tam statim iussisse ministris suis vt eiicerent indignum cum vidisset eum non indutũ veste nuptiali sed tũc cùm redargut° ille obmutuisset, nec vel veniam præcaretur ab eo qui ipsum amicũ vocabat vt hinc intelligamus peccatorem non damnandum, si in à Deo cor eius reprehẽditur in hac vita, cõfugiat ad

ad preces culpam suã humiliter benigno Domino cõfitens. Verùm sicut ipsi exemplo parabolæ magis cõuenit, intelligere regem intrasse ad discumbentes postquã nuptiæ impletæ essent discumbentibus: ita magis intelligendus est significatus aduentus Dei post cõsummationẽ seculi, quamquam quod de generali intelligitur hic dictum iudicio, rectè etiam simul secundariò accõmodetur particulari cuiusque hominis iudicio, sicut & alibi, vbi de generali Dominus potissimũ loquitur iudicio. Notãdum autẽ, quòd cùm rex dicatur superius misisse seruos suos ad vocandũ conuiuas, nũc dicatur præcepisse ministris suis vt è nuptiis eiicerent non indutũ veste digna. Per seruos enim homines sunt significati: per ministros verò, aut, vt est Græcè diaconos, q̃ dignius est vocabulum quàm nomẽ serui, significãtur Angeli, qui ministri sunt & executores iustitiæ diuinę, de quibus Matthæus: Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio istorum, & mittent eos in caminum ignis. Et Daniel. Milia milium ministrabant ei, & decies milies centena milia assistebant ei. *Mat.13.* *Dan.7.*

Multi enim sunt vocati pauci verò electi.] Enim, legendũ est, & non, multi autem sunt vocati: quomodo tamen habent multi libri. Videri autem posset hæc clausula non satis cõgruere parabolæ, cùm in illo cõuiuio vnus tãtum dicatur eiectus, hic verò significetur multos reiiciendos. Sed primùm sciendum est per vnum qui eiectus dicitur, significari non omnes qui vocati sint fore saluandos: deinde cum illo qui eiectus est, coniungendi sunt & omnes illi qui vocati primum fuerant, sed indignos se fecerunt nuptiis. Ad vtramque enim narrationem refertur hæc parabolæ conclusio, redditúrque per eam causa, quare in parabola dictum sit, primum quidẽ quòd inuitati, & deinde vocati exclusi sint à nuptiis, ac postea quòd ex vocatis qui venerunt ad nuptias etiam vnus sit eiectus, nimirum vt per vtramq; illam nãrrationem intelligeremus multos quidem vocatos esse ad cõsortium regni cœlestis, at inter istos multos, paucos in comparatione vocatorum esse à Deo electos, cũ inter vocatos quidam non veniant, quidam verò venientes ob indignitatem suam eiiciantur. Proinde vt & no-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum fructu & ædificatione. morum hanc legamus parabolam, curandum nobis imprimis vt nec de eorũ simus numero qui & inuitati & vocati aut noluerunt venire aut curis & amore rerũ huius seculi venire neglexerũt aut denique etiã in ipsos vocantes insurrexerũt. Deinde, vt si vocati obediuimus ingredi ad nuptias, non assimilemur ei qui ingressus fuit, & accubuit sine veste nuptiali, sed vestẽ innocentiæ in baptismo susceptã cõseruare studeamus: aut si eam per peccatũ aliquod disrumpi aut auferri cõtingerit, per pœnitentiã resarciamus & reparemus, secuti consiliũ Petri dicẽtis: Satagite vt per bona opera certã vestrã vocationẽ & electionẽ faciatis. Notandũ autem circa eũ qui è nuptiis eiectus est, illud tantùm in eo fuisse reprehẽsum, quod nõ haberet vestem nuptialem, non autem quod vestem haberet sordidam, vt intelligamus quantum iudiciũ maneat eos qui in Ecclesia non tantùm nõ fulgẽt bonis operibus, sed malis planè sunt deformes: ac rursum eos qui mensæ Domini non assident quieti, sed Ecclesiæ cõmunionem & nuptiarum delitias perturbant, quando cõdemnatur etiam is qui mẽsæ assidet quietus, & de deformi veste non redarguitur, sed tantùm quòd vestem non habeat nuptialem. Itaque non satis alicui esse debet, quòd sit intra ecclesiam, nec rursum quòd in ea sic sit, & sese gerat vt toleretur à fidelibus, nec illorum cõspectui displiceat, sed curandum, sic se gerat vt oculis etiam Dei placere possit. Hic enim qui regis oculis displicuit, satis placuit reliquis conuiuis, à quibus eiectus: prius fuisset si perturbatorem se molestum exhibuisset. quemadmodum & ecclesia eiicit ante diem iudicij manifestè criminosos, aut ecclesiasticæ pacis & cõmunionis perturbatores, reliquos peccatores occultos, aut nõ ita scandalosos relinquens diuino iudicio.

2. Pet. 1.

DOMINICA XXI. POST TRINIT

EVANGELIVM

Ioan. 4

IN illo tempore. Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Iesus aduenisset à Iudæa

à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat vt descenderet & sanaret filium eius: incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis non creditis. Dicit ad eum regulus: Domine, descende priusquàm moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus & ibat. Iam autem eo descendente serui eius occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes, quia filius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater quia in illa hora erat qua dixit ei Iesus: Filius tuus viuit. Et credidit ipse & domus eius tota.

HOdiernum Euangelium, auditores in Christo dilecti, dialogum continet inter Christum & regulum quendã habitũ cuius natus agebat anima, In quo quidẽ dialogo cõspicim⁹, primò quidẽ fidei energiã non secus, quàm corpus hominis, succedẽtibus sibi ætatibus incremẽta sumentis. Deinde etiam quanta sit hominis imbecillitas, quàm multis expositus ærumnis, & quàm infœlix conditio extra gratiam Dei constituti. Postremò, quanta sit dementia, philantropia, ac humanitas nostri Saluatoris ad imperfectiones nostras, vt ita dicam, conniuentis, vel potius indulgẽtis. In præcedẽti Dominica audiuimus, vocatos quamplurimos ad regias nuptias: bifariam autem hęc ad easdem vocatio expeditur: verbo, videlicet & cruce. Priori, vt puta placido ac suaui medio, inuitat, pellicit & allectat, Posteriori verò, impellit, vrget, ac veluti obtorto collo, nos ad se pertrahere cõtendit. Verbo siquidẽ Euangelij dulci & suaui, omne hominum genus ad se allicere cupit, itaque id omni creaturæ iussit denunciari. Cùm autem mollem hanc vocantis vocem aspernamur, tum instat & vrget per ærumnas, afflictiones & cruces. Apostoli sanè, solo verbo Dei contenti, è vestigio vocẽ vocantis vltrò, nullo impellente sequuntur, Imo iussi abire, Domine, inquiunt: Ad quem ibimus, verba vitæ habes? At multi nostrum quoniam solo verbo non commouentur, calcaribus opus habent, quemadmodũ in isto regulo clarè videmus, Nunquam enim Christum requisisset, aut eius imploratasset auxilium, nisi præsens ipsum impulisset ne-

Mar. 16.

Matt. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cessitas. Id quod hinc fit manifestũ, quod nusquam eius fiat in præcedentibus mentio, quantũuis Christus multa in Capharnaum, adeóque tota Galilæa, & cõcionatus sit & prodigia perpetrarit. Hæc sors & cõditio, omnium penè mortalium, cùm vltro Domini Dei sui mellitissimam vocem sequi debebãt, vix tamen flagris adacti, ipsum requirũt. Quo fit, vt Christus regulũ eiusque similes primum duriuscula increpatione obiurgat deinde, quia solatium suũ illi non denegauit, ostendit vnũ quemuis, quocunq; modo ad se venientem, se receptarum, nec electurum foras. Deniq; docet etiã præsens Euangelium, quantus debeat post expertã Domini beneficentiam fructus subsequi gratiarum, nam nõ modò ipse regulus, sed & vniuersa, familia, miraculi magnitudine mota, Christi fidem susceperit.

Erat quidam regulus cuius filius infirmabatur &c.] Regulus iste, de quo hic fit mentio, non est intelligẽdus fuisse paruus rex. Nõ enim est Græcè βασιλίσκος, quẽadmodum tamen videri potest legisse interpres sed βασιλικὸς, hoc est, regi⁹ vel regalis. Quo dictũ nomine istũ volũt, vel q̃ esset ex regio genere Herodis vel q̃ esset vn⁹ ex ministris regis vel Tetrarchæ Herodis, vel quòd dignitatẽ aliquam regis aut imperatoris nomine gereret apud Iudæos. Erasmus putat profanũ aliquem magistratũ nomine Cæsaris gessisse, & nec Iudæum fuisse nec, Samaritanũ, sed Ethnicum, & ab omni religione Iudæorum alienum. Quod tamen ob id nõ est verisimile, quòd Dominus ei fidei infirmitatẽ exprobrans dixit: Nisi signa, &c. Nullis enim Ethnicis id opprobrij obiectũ legimus: sed Iudæis, qui semper pro more signa petebant. Hieronymus tamẽ Ethnicũ fuisse putat, scribens super Isa. cap. 65. quod Græcè dicitur βασιλικὸς. nos rectius interpretari posse palatinũ, id est, de aula regia. Simpliciter accipi potest dictus βασιλικὸς, quod potẽs esset & elatus. Hoc enim nomine Græci appellant quicquid magnificũ est ac splendidum. Et videri potest Euangelista ob id viri huius potentiam insinuasse, vt indicaret causam quare ausus fuerit petere, vt Christus secum in Capharnaum per tã lõgum iter descenderet,

scenderet. nimirum quod diuitibus & potentibus propter suas diuitias nihil videatur denegãdũ. Notatur ergo p. hoc quod rogabat Iesum vt descẽderet, viri huius & confidentia in diuitiis suis, & fidei imperfectio. Fidei enim erat, quòd è Capharnaũ ad Iesum veneritq; quódq; rogauerit, sed imperfectio fidei erat, quod putauerit nõ posse Christum aut absentem curare, aut mortuũ resuscitare. Dicebat enim: *Descende priusquã moriatur.* Iesus autem notare volens imperfectionem nõ solùm huius viri, sed & omnium Galilæorum, deprimẽdo eos Samaritanis collatos qui sine signo crediderũt, & docere volens se non ad ostẽtationem, sed coactum propter fidẽ hominum promouendam edere miracula: *Nisi, inquit, signa & prodigia videritis nõ credetis.* Imò scilicet esse eũ qui sum, nẽpe Messiã. Credidit enim prius regulus eũ esse virũ sanctum, qui posset id quod petebat præstare, sed nondum credidit, aut nõ firmiter credidit esse Messiam. Vbi notandum, Christum prius operam dedisse vt curaret morbũ patris quàm filij, vt qui grauior esset & periculosior, & ad officium Christi magis pertinẽs. Magis enim veneratæ ad seruandum animas quàm corpora. Porrò regulus vt erat totus intentus periculo filij morientis, ad hunc sermonem Domini nihil respondit, q̃ existimaret huiusmodi colloquio tempus eximi, quum morbus poscret præsens remediũ. Vrget itaq; vt properet venire Capharnaum priusquam moreretur filius. Iesus autem non obiurgans, nec contemn⁹ fidem reguli etsi adhuc imperfectam, re ipsa ostẽdit se plus posse quàm ille confideret. Vnde respondit *Vade. &c.* quasi dicat: Nihil opus est vt pro curando filio me conferam Capharnaum, sed vade, ecce enim filius tuus quem moriẽtem reliquisti, viuit ac valet, curatus à mortifero suo morbo. Accipitur enim hic, viuere, secundum Hebraicã phrasim, pro sanum & incolumem esse, quemadmodum in Psal. frequenter viuificare accipitur, pro restituere à malis & periculis mortis. Hic autem notãdum, Dominũ cùm non rogaretur à Centurione, vt descenderet curaturus seruum eius, vltro voluisse venire: rogatus autẽ secundò à regulo vt descenderet, acquieuisse noluit. Et id quidem secundum Chrysostomum, quoniam

Universidad de Deusto
Biblioteca

negotio Centurionis fides erat cõfirmata, ideoque promisit se iturum, vt per prohibitionem Centurionis, fides eius & deuotio manifestaretur. Hic autem regulus adhuc imperfectus erat, & necdum nouerat quod absẽs curare posset, vnde id addiscere debuit, per id quod non accedit Dominus. Et quidem mox Christi verbis aucta est viri huius fides. Credidit enim sermoni Christi, & qui prius credidit quidem ipsum curare posse filiam si præsens esset, credidit iam etiam absentem curare posse: quamuis videri possit non firmiter satis credidisse, ex eo quod seruis occurrentibus, & restitutam sanitatem annunciantibus, sciscitatus est qua hora melius habuisset, veluti experiri volens casu ne an virtute Iesu conualuisset. Cùm autem certior iam factus esset de miraculo, rursum magis eius fides est aucta, tunc enim absolutè credidit in Iesum, esse scilicet eum Messiam expectatum, ac aliquid supra hominem. Nec ipse tantùm credidit, sed per eum & tota eius familia, quam frequentem & numerosam esse oportuit, vtpotè hominis diuitis. Hic enim fuit fructus miraculorum Christi.

DOMINICA XXII. POST TRINIT.

EVANGELIVM.

Matt. 18. *IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum homini regi qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talentorum. Cùm autem non haberet, vnde redderet, iussit eius dominus eũ venũdari, & vxorẽ eius, & filios eius & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens aũt seruus ille, rogabat eũ: dicens. Patientiam habe in me, & omnia tibi reddam. Misertus autem dominus serui illius, dimisit eum & omne debitum dimisit ei: Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios & tenens suffocabat eũ, dicẽs: Redde quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit sed abiit & misit eum in carcerem, donec redderet vniuersum debitum. Videntes autem conserui eius quæ fiebant*

bant, contristati sunt valde, & venerunt, & narrauerunt Domino suo omnia, quæ facta fuerunt. Tunc vocauit illum dominus suus, & ait illi: Serue nequã, omne debitũ dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius tradidit eũ tortoribus quoadusque redderet vniuersum debitum. Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

EVangelij iam recitati parabolam, perspicuitatis gratia, duas in partes diuidemus quarum prior supra modum pœnitentes & contriti spiritus, consolatur, & optimè de Domino Deo. Rege nostro sperare non admonet. Posterior verò, præfractos inclementésque maximis proculdubio debet exterrere pœnis qui se neque coram Deo, vt sunt peccatores, agnoscunt nec ad alios vlla compassione tanguntur, quódque peius est, omnem insuper inclementiam & crudelitatem exercent. Id quod ex ipso Euangelij contextu clarius percepturi sumus.

Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi qui voluit, &c. Postquam dixit Dominus dimittẽdum fratri pœnitenti etiam si septuagies septies peccet, quo ostendat quàm sit id & æquum & necessarium, parabolam pro suo more, & consuetudine Palesthinorum adiungit, vt quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem atque exemplũ teneatur. Ideo, inquit, quia scilicet oportet semper ignoscere ei qui semper resipiscit: aut, vt intelligatis quàm sit & æquum & necesse fratri peccãti semper remittere eũ pœnitet, scitote regnum cœlorum assimilatum esse homini regi, hoc est, in regno cœlorum, quod est Ecclesia Dei, perinde contingere atque si fuerit rex aliquis, &c. Porrò quo parabola hæc secundum saluatoris intẽtionem explicetur, nec singula quæ in ea dicuntur sensui mystico curiosè nimis & superfluè accõmodentur, præcipua Domini intentio est spectanda, & quæ illi sunt, accõmoda, in parabola obseruãda, reliquis prætermissis, quæ pro exempli decore & perfectione sunt addi-

Intentio autem Domini est, hoc exemplo ostendere Deū patrem misericordissimum quidem esse erga peccantes, in eosdem tamen esse severissimum, si nolint illi vicissim benigni esse erga peccantes fratres & conservos. Proinde observandum parabolam hanc ex tribus constare partibus. In prima parte proponitur rex aliquis, qui cum cœpisset rationem & computum inire cum servis suis; & unus oblatus esset qui deberet summam maximam cui non esset solvendo, nempè decem milia talentorum, & ob id rex iussisset quod iustum erat, illum cum omnibus suis vendi, quo persolveretur debitum, mox tamen regali sua munificentia & benignitate, servo humiliante se, & debitum quidem agnoscenti, sed tantum dilationem solutionis petenti, totum etiam illud immensum debitum remisit, non quod servus talē benignitatem alioqui fuisset promeritus, sed quod dominus eius misericordia erga eum moveretur. Unde dicitur: Misertus autem eius. Rursus deinde proponitur idē servus mox à cōsecuto tātæ remissionis beneficio, longè minus debitum, nempè cētum denarios repetisse à conservo, & repetisse cum summa austeritate & crudelitate nimirum iniiciendo illi manus violentas & suffocādo. hoc est, premendo collum eius nec illi sese multū & supra quā decebat apud cōservū, humilianti, ac eisdem verbis, quibus ipse prius dominum suum precatus erat, tantùm dilationem solutionis deprecanti, non solùm non remisisse paruum illud debitum, sed nec petitam solutionis dilationem concessisse, verùm in carcerem eum coniecisse, donec universum debitū redderetur, cui tamen duplici nomine benignitatem debebat, tum scilicet quia secum unius & eiusdem cōditionis, tum quia domini illius servus, cuius tātā in se expertus erat benignitatem. In tertia parte proponitur, quomodo indignitate huius summæ crudelitatis collatæ cum benignitate regis summa, offensi graviter sunt primùm quidem conservi, ita ut illam non ferentes domino suo eam referrent, & de ea conquererentur: deinde verò etiā ipse dominus, ita ut servo vocato ac durè reprehenso de sua ingratitudine & summa credulitate, deinde tortoribus tradito, remissum semel debitum

usque ad extremū iusserit ab eo repeti. Prima ergo parte significatur, Deum patrem regem ac dominum omnium, rationem quidem requirere factorū ab hominibus, sed tantæ esse benignitatis, ut si quis debitum suorum peccatorum, etiamsi maximum sit & plurimum cui solvendo nulla ratione par esse possit, agnoscēs sese humiliet, & eius benignitatem ac longanimitatem precetur ex sola illius misericordia, matorē sit cōsecutus benignitatem quàm petere aut sperare ausus fuisset universo illi debito penitus remisso. Qualis Dei inopinata benignitas etiam in parabola filij prodigi significatur postea. Secunda parte significatur, quāta sit simul & ingratitudo & crudelitas eius, qui inopinabilē clemētissimi Domini benignitatē expertus in remissione maximi debiti, quo quisq; certè Deo est obstrictus, paruū recusāt debitum in se admissarum iniuriarum conservo remittere, sed extremam ab eo vltionem & vindictam crudeliter requirit, cui duplici nomine magis debebat exhibere benignitatem, quem Dominus eius ipsi exhibere debebat. Debitum enim fratris peccantis, quantūuis sæpe & grauiter in fratrem & conservum committatur, minimum sanè est in comparatione debiti quo quisque Deo est obnoxius, quemadmodum incomparabile est debitum μυρίων ταλάντων, idest, decem milium talentorum, ad ἑκατὸν δηναρίων, idest, cētū denarios. Quemadmodum enim talentum longè maius est denario, & decem milia plus quàm centum: ita & longè maiora & longè plura sunt peccatorum debita, quibus Deo quisque est obstrictus, quàm possint esse fratris in fratrem. Talentum enim, quemadmodum docet Budæus, vt minimum valet sexaginta minas Atticas hoc est, libras argenti. Libra autem centum denarios. Vnde cùm decem coronati in libra cōstitui possint secundum eiusdem computationem rectam, consequitur talentum vnum valere sexagies denis, hoc est, sexcentis coronatis: vnde centum talenta valent centies sexcentos coronatos, hoc est, sexaginta milia: & milie talenta valent sexcenta milia coronatorum: ac proinde decem milia talentorum valent decies sexcenta milia coronatorum, hoc est, sexagies cētum milia coronatorum, aut quod idē

est

Universidad de Deusto
Biblioteca

est 600000. sexies mille milia, quę summa planè inestimabilis est ad centum denarios, qui tantum valent decē coronatos. Deinde significatur eorum qui in proximos suos nolunt esse clementes, ingratitudine & crudelitate offendi & angelos & iustos quosuis, & Deum ipsum, adeo vt qui alioqui est clementissimus, ita pienus seuerissimè in illum qui talis est sit animaduersurus, nihil remittens, sed omnia simul debita exigens: quæ quoniam nunquam persoluere poterit, in perpetuum in gehennæ carcere ipsum torqueri oportebit.

Rom. 11. Quod autem in hac parte significatur debitum remissum semel iterum Deum propter ingratitudinem repetere, cùm Paulus dicat dona Dei esse sine pœnitentia, sic est accipiēdū, nō quòd redeat propriè reatus peccatorū præcedentium semel dimissorum, sed quod in virtute contineatur in illa ingratitudine & crudelitate in fratrē admissa, eò quòd peccata illa remissa efficiāt vt ingratitudo illa & credulitas tā graue peccatū reputetur & pro ea tā seuerè quis puniatur, ac si priora peccata ei nūquam fuissent dimissa. Si enim non præcessisset præcedentium remissio peccatorum, nō esset tā graue peccatum huiusmodi in conseruum crudelitas, quamquā alioqui per se peccatum magnum. Quamquam autem per quoduis peccatum sequens peccatorum remissionē possint peccata remissa dici quodammodo redire ratione ingratitudinis, quàm homo incidit propter remissa illi semel peccata, & ratione cuius peccatū sequēs aggranatur, tamē peculiariter redire dicūtur per crudelitatē in cōseruum admissam post acceptam à Deo peccatorum remissionem, eò quòd crudelitas huiusmodi directè sit contra acceptum remissionis beneficium. Ob quam considerationem etiam alia tria peccatorum genera solent assignari, ob quæ peculiariter dicuntur remissa peccata redire, quæ simul cū eo peccati genere de quo hic est sermo, his versibus memoriæ causa comprehendūtur. Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri. Pœnituisse piget, pristina culpa redit. Vide diuum Thomām in tertia parte, quæstione 88. Primum ergo ostendit indulgentissimam Domini cœlestis clementiam supplices seruos. Tum execrandam quorundam in conser-

conseruos inhumanitatem Deniq; seuerū Dei in tales iudicium. Iudicium enim, inquit Iacobus, sine misericordia ei qui non facit misericordiā. Itaque Dominus *Iacobi 2.* applicans parabolam suo proposito, infert: Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, hoc est, tam seuerè etiā vobiscum aget, tradens vos torturæ, ac vniuersum simul à vobis debitū, maximum sanè ac insolubile, exigens, etiam quod remissum erat, perinde habēs ac si non esset remissum, si non remiseritis vnusquisque fratri suo, idque nō solùm ore tenus, aut eatenus vt vindictā nō requiratis ipso facto, sed etiā de cordibus vestris. Ideo enim, teste Hieronymo, addidit Dominus: de cordib⁹ vestris: vt omnem simulationem fictæ remissionis auerteret & excluderet. Quamquam etiam secundū Augustinum accipi possit additum ad hoc, vt si per charitatem frater qui peccauit sit seuerè corripiēdus, aut disciplina aliqua sit ei imponenda, tamen de corde lenitas nō recedat. In hac autē parabolæ applicatione Dominus etiam efficaciorem indicat rationem, ob quàm faciles esse debeamus ad condonandum proximis, quàm sint rationes in parabola indicatæ, nimirum condonandum illis esse, non solùm quia conserui eiusdem Domini, sed etiam quia fratres eiusdē patris. Porrò quò intelligatur quàm bene Dominus debitū quo quisque Deo est obstrictus maxima summa, nempe decem milibus talentorum expressérit: debitum verò hominis in hominē parua admodum summa, nempe centum denariis: considerandum quàm frequenter & variè quisque in Deū peccet, nimirū in dies singulos, imò in horas: deinde quāta sit Dei in quem peccāt homines excellentia & dignitas: rursum quàm magna, multa & indefinentia eius in nos beneficia: postremùm quā sint planè iniqua quæ in illum peccantur, vtpotè contra naturalē ipsam æquitatem: cùm contrà hominis in hominem peccatum non possit esse adeò frequens & varium, sitq; in æqualem, & eum qui vicissim in alterum quandoque peccat, ac postremùm leuiora sint quæ frequenter homo in hominē peccat, vtpotè frequenter magis contra iustitiam humanam & institutam, quàm naturalem. Quòd si philosophari libeat in numero decem milium talentorū re-

acceperimus

Universidad de Deusto
Biblioteca

acceperimus numerum denarium expressum, propter transgressionem decalogi: per milia, multitudinem: per talenta, magnitudinem peccatorum designatam. In decalogum enim & multis modis & grauiter offendimus plerique.

DOMINICA XXIII. POST TRINIT.

EVANGELIVM.

Matt. 22. *IN illo tempore: Abeuntes Pharisæi, consilium inierunt, vt caperent Iesum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, Scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominis. Dic ergo nobis, quid tibi videtur: licet censum dare Cæsari, an non? Cognita autem nequitia eorum, Iesus ait: Quid me tentatis Hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.*

PRæcedenti Dominica, de peccatore pœnitente, & indulgentiam consecuto, qui tamen digna pœnitentiæ opera facere neglexit, ac ideirco damnationē incurrit, sub metaphora serui debitoris audistis: Nunc de debitis ipsis, quid hominibus, quid deo debeamus, & oēs quemadmodū singulis respondendū sit precepturi estis. Quanquam enim diuina clementia pœnitentes absoluat, & debita omnia condonet nuper contracta: nō tamen à debito charitatis sic absoluit, vt debitū esse desinat, sed sæpe dum soluitur debetur: tametsi quod debetur, soluatur: sicut Apostolus docet, Nemini quicquā debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Est autem dialogismus inter Christum & Pharisaicos legatos, maleuolorum hominum naturam graphicè depingens, Pharisæi, meros videntur spirare fauores, beneuolentiam & amorem, cùm tamen nihil nisi insidias, exitum & principem Christo molirentur, implerētque quod dicitur: Est qui nequiter se humiliat, interiora autē eius plena sunt dolo

Rom. 13.

Eccle. 19.

dolo, Christus contrà, indignationem & zelum ostentat. At meliora sunt vulnera diligētis, quàm fraudulenta oscula odiētis. Et melius est, à sapiēte corripi, quàm à stulto laudari. Quid aliud erant hæc verba, Magister scimus quia verax es, &c. quam oscula fraudulenta. Contra verò, pungebant, & vulnerabant intima cordiū dicta Domini: Quid me tentatis hypocritæ: Cæterùm, vtrorūmque attende finem. Populeus, ait Propheta, qui te beatum dicunt, ipsi te seducunt. Absolon, Roboā, quid ex palponibus lucri fecerunt. Dauid contra, quid damni sensit ex correptione ipsius Nathan? Discamus ergo ex præsenti colloquio & Euāgelio primùm, non sæpe nobis Deum adblādiri, sed redarguere, minitari, adde & plerumque vltricem manum infigere, vt si pietate nō proficit, cogat minis, aut certè flagris tanquam obtorto collo, ad se pertrahat. Quod faciens, nō odium meretur, sed amorem & gratitudinē: Vnde Dauid: Obmutui, & non aperui os meum, quoniā tu fecisti, amoue à me plagas tuas, & quę sequūtur. Ad hæc impij, neque lenitate demulcētur, neque minis terrentur, castigationibūsq; indurātur, odiunt arguentem, & pro beneficio, miscent toxicum. Pharisæi enim, auditis Christi concionibus, incensi sunt ita, nihil minus quàm de obtinēda salute cogitātes, sed de tollendo saluatore. Non amat pestilens eum, qui se corripit, nō recipit stultus verba prudentiæ. Plus proficit correptio apud sapientem, quàm centum plagę apud stultū. Nostrarū partium fuerit, dilectissimi, boni consulere maiorum increpationes, nā omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij, ait Paulus, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitiæ. Beatus homo, qui corripitur à Deo. Increpationem ergo Domini, ne reprobes, ait Eliphas, &c. Supereſt nunc, vt Euangelij verba repetamus.

Prou. 15.

17. & 18.

Heb. 12.

Iob 15.

ABeuntes Pharisæi consiliū inierunt, vt caperēt Iesū in sermonē.]Cū Pharisæi sua autoritate Dominū perterrefacere non possent, & ab eo se per varias parabolas notari aduerterent, nec tamē manus illi inii

cere

cere auderent, necdū sibi desistendum opinantes, relicto eo abeuntes consilium inierunt vt caperent, & illaquearent eū propriis oris suis verbis quē vi capere nō audebant, vt sic proprio sermone illaqueatum deferrēt, aut captum oportunè traderent principatui & potestati præsidis Pilati, sine cuius autoritate & sententia non poterant desideratā morte illi inferre, cùm necdum se habere viderēt quo illum morte crucis dignum coram iudice illo ostendere possent. Dicuntur autē hi apud Matthæum fuisse Pharisæi, cùm prius omnes Euangelistæ dixerint principes sacerdotū & scribas & principes plebis accessisse Dominum: vnde intelligendum sub illis tribus generibus eitam cōprehēsos Pharisæos qui sub scribis frequenter comprehendūtur. Pharisæi autem dicuntur peculiariter huius cōsilij autores, siue quòd illi vbiq; Domino fuerint inimicissimi, siue quòd hæc quæstio quæ iā Domino proposita est, inter Pharisæos maximè agitaretur, vt quæ ad religionē spectabat, cuius illi volebant videri studiosires. Nam teste Iosepho lib. Antiquit. 18. cap. 1 & 2. cùm sub August. quando tempore natiuitatis Christi facta est descriptio totius orbis, Iudæa facta est tributaria, Iudas quidam ex secta Pharisæorum, simul cum multis Pharisæis, asserebant indignum esse, immo illicitū, vt populus Dei alium præter Deum agnosceret, & vocaret Dominū, seruitutemque profiteretur cùm esset liber, & præter decimas ac primitiua quæ Domino secundū legē pendebat, hominibus etiam tributa exolueret. Cùm ergo hoc tēpore ista quæstio apud Pharisæos maximè agitaretur, qui de iustitiæ studio sibi applaudebant, ex hac quæstione putabant se inuenisse rationem qua Dominum obnoxium facerent potestati præsidis, aut saltē minus gratū populo. Nam siquidem dicturus erat non licere tributum dari Cæsari, quemadmodum eum dicturum sperabant, quòd cultus diuini rigidum se exhiberet vindicem, cui iudicabant contrariari tributorum exolutionem, delaturi erāt eum apud Præsidem tanquam Cæsari contrarium & seditiosum, perdendum, quemadmodum olim ea de causa pertulerat Iudas illæ Galilæus cū multis suis sectatoribus. Si verò dicturus esset licere tributum dari calumniaturi

niaturi erant ipsum apud populum tanquam adulātem principibus, & eorū metu à veritatis prędicatione abstinētem, nec honoris diuini tam studiosum zelatorem quàm videri volebat. Quoniam autem sciebant se Domino suspectos esse, alios suos nomine subornāt quos putabant Domino fore incognitos, quique simulata iustitia facilius Domino possēt imponere. Hos Matthæus quidem discipulos eorū fuisse dicit, Marcus verò quosdam ex Pharisæis, Lucas autem insidiatores, qui se iustos simularent, hoc est, qui simularēt se illi bene affectos: & ob iustitiam & veritatē amare, aut qui simularēt se teneri studio iustitiæ, & solicitudine cognoscendi quid iustum, quid secus. Porrò Matthæus & Marcus cum Pharisæis etiā Herodianos missos testantur, qui aut simpliciter intelligi debent fuisse milites Herodis, quemadmodū hoc loco intelligunt Diuus Hieronymus & Chrysostomus. Aut potius intelligenda est fuisse aliqua apud Iudæos secta, quæ contra sententiā eorum Pharisæorū qui Iudam sequebantur, asserebat tributa Cæsari soluenda: nomēnq; ab Herode obtinuerit nō illo qui tūc viuebat, tetrarcha Galilææ, sed illo qui iamdudum fuerat mortuus, primo rege Iudæorū alienigena, quòd hic maximus esset Romanorum fautor, & sententiam de soluendis tributis vel imprimis defenderet. Indicat fere etiā hanc sententiam Diuus Hieronymus, dum postquā dixit Herodianos fuisse milites Herodis, subiecit: seu quos illudētes Pharisęi quia Romanis tributa soluebāt, Herodianos vocabāt. Ideo autem huius sectę peculiariter videri potest nō facta mētio à Iosepho, quòd comprehenderētur hi Herodiani sub Sadducæis. Mittunt ergo cū discipulis suis Pharisæi etiā Herodianos, vt vtrumuis Dominus respondēret, essent qui illum calumniari & accusare possent, aut Pharisæi apud populū, aut Herodiani apud Pilatum. Missi autem ex subornatione Pharisęorū, blande Dominum compellant, atq; à veritate & libertate commendāt, studiumque cognoscendæ veritatis & iustitiæ simulant, vt hac ratione & versutiam suā magis tegerent, & Dominus eorum laude & studio captus libere secretū cordis sui illis aperiret; *Magister inquiunt scimus*

quod verax sis.] quódq; viam Dei, id est, viam Deo grátam, quáque ad Deum perueniatur, doceas in veritate, id est, sine aliquo errore & fuco, & non est tibi cura de aliquo, id est, nō curas quenquam, sic vt cuiusquam metu à vetitate docēda absterreatis. Quibus verbis callidè eum prouocabant, vt agnoscens hanc commēdationem magis Deum quàm Cæsarem timeat, significantes plerosque metu Cæsaris de eo quod rogabant, nō audere quod sentirent liberè proferre. Addunt autem causam, quare dicant eum neminem curare, dicētes: Non enim respicis personam hominum: pro quo in Marco legimus: Nec enim vides in faciem hominum: cùm Græca habeant apud Matthæum & Marcum eodem modo, οὐ γὰρ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων. Significat autē dictio πρόσωπον vtrumque, & personam & faciem, atque hinc versionis varietas, eodémque recidit, vtrouis modo vertatur, nisi quòd mollius & elegantius vertitur, persona quamquam nomen, facies magis conueniat dictioni Hebraicæ, vnde hæc phrasis est desumpta. Porrò cùm in scripturis dicuntur aliqui respicere in personā hominum, vel non respicere, plus intelligendū est hac locutione significari quàm verba per se significant. Respicere enim in personam vel faciem hominum, est cōsiderare externam aliquam hominum conditionem, eiúsque consideratione, non autē secundum causæ merita de homine iudicare, eíque quid tribuere, vel adimere. Nomine enim faciei & personæ, cōprehenditur omnis externa hominis qualitas, quales sunt diuitię potētia, forma, nobilitas, sexus, & id genus alia. Itaque iudex respicit in personam hominis, si pro diuite intuitu diuitiarum neglecta cōsideratione meritorum causæ iudicet. Sic & Dominus respexisset in personam hominum, si consideratione potentiæ Cæsaris, metuens eam adiudicasset illi tributorum solutionem. Idem significatur per id quod in scripturis est frequentius, accipere personam, quemadmodum etiam hoc loco habet Lucas. In qua locutione, phrasis est Hebraica, non ita recepta apud Latinos scriptores aut Græcos prophanos. Hebræi enim dicūt Nasa phanim, quod ad verbū sonat, sustulit vel accepit faciem vel facies. Significatur tamē hac locutione

Respicere personam

locutione eleuare aut honorare alicuius faciem, sic vt ratione externæ alicuius qualitatis in homine consideratæ, non autem ratione causæ considerandæ aliquid homini deferatur. Hinc in scripturis toties occurrit de acceptione personarum: quod Græcis vnica dicitur dictione προσωπολημψια, vnde & Iacobus cap. 2. verbum effecit προσωπολημπτεῖτε, id est, personam accipitis. Hinc intelligere licet quid sit quod in scripturis toties dicatur, non esse apud Deum personarum acceptionem, cùm tamen ex multis eiusdem meriti & causæ vnum eligat Deus, alterum non eligat. Non est enim apud Deum personarum acceptio, quia non intuitu externarum conditionum humanarum sua munera hominibus dispensat, sed vel similiter agit cum his qui sunt eiusdem meriti, vel solo suo beneplacito & voluntate præter omnem iniustitiam vnum alteri præfert, in his scilicet rebus quæ non cadunt sub merito hominum. Accipitur tamen hæc locutio apud Hebræos nonnunquam in bonam vel indifferentem partem vt nullum significet vitium, sed simpliciter, accipere faciem, sit honorare vultum alicuius vnde Threnorum 4. Hieronymus vertit: facies sacerdotum non erubuerunt: cùm Hebraicè sit ad verbum: facies sacerdotum non susceperunt, id est, non honorauerunt. Et quarti Regum 3. pro eo quod nos legimus dixisse Helizæum: Si nō vultum Iosaphat erubescerem: Hebraicè est, si non faciem vel personam Iosaphat susciperem, id est, honorarem, Vnde Hebręis vir honoratus vultu dicitur Nesou phanim, id est acceptus facie, vt Isaiæ 3. vbi nos habemus, honorabilē vultu. Et hæc quidem pro intelligētia eorū locorum in quibus de acceptione personarum fit mētio. Porrò vt in prædictis verbis diabolicā quandā Phatisæorum hypocrisim, compositam ad decipiendum licet obseruare ita & in sequētibus. Non enim quærunt num obligati sint & debeant dare tributum sed an liceat eis veluti volentes consulere suæ conscientiæ, & soliciti ne Deum offendant, non autem pecuniarum dispendium ægrè ferentes.

Cognita autē Iesus nequitia eorum ait: Quid me tentatis.] Non captus est Dominus eorum blādiloquentia, q

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo solent homines, vt quemadmodum illi sperabãt id responderet quod illi significabant, se optare audire ab eo sed cùm nihil illum latere posset cognitam eorũ nequitiam imprimis redarguit seuerè, suo exemplo docens nos, non attendendum tantùm verbis hominum, nec finendum animum nostrum flecti hominum commendatione, sed attendendam mentem interroganti ũ vt secundum eam cautè respõdeatur. Dicit autem Quid me tentatis hypocritæ, hoc est, cur vestra hypocrisi & suauiloquentia solicitatis me vt dicam quod calumniari possitis. Aut cur explorare & experiri nitimini, num quid dicturus sim quod in calumniam rapi possit. Hypocritas autem vocat, tum quòd simularent benevolẽtiam & acceptationem ipsius: tum quod simularẽt studium cognoscendi iustitiam & veritatem, & placendi Deo. Perinde est ergo ac si dixisset: Interrogatis me veluti quem habetis magistrum veracẽ, ac veluti studiosi iustitiæ, at ego vtraque in re: nempe & in mei commendatione, & in prætensa cupiditate cognoscendæ veritatis, esse vos scio simulatores, atque vtraque hac vestra hypocrisi & captiosè quæstione me tentare, tãtùm abest vt doceri à me velitis. Cùm autem his verbis eorum hypocrisim & conatum aperuisset Dominus, significassétque illorum quantumuis rectam hypocrisim non esse sibi incognitam, nec posse se falsa capi laude, quamquam hac ratione potuisset meritò declinare responsionem ad propositam quæstionem, tamen ne videretur quærere occasionem declinandi responsionem, ostenderétque se etiam captiosa eorum quæstione capi non posse, sedè cõtrà eos prudenter, vt & alias, caperet proprijs ipsorum verbis, aggreditur ad quæstionem respondere propositam. Duabus enim artibus illum conabantur superare hypocrisi, & quæstionis periculosæ lubricitate. At Dominus vtraque arte se superiorẽ demonstrauit, imò per vtrumque illorum eos pudefecit, primùm quidem eorum detegens hypocrisimiae suam, tanquam Dei, omniscientiam demonstrans, deinde verò ex propriis eorum verbis, sic ad lubricam respondẽs quæstionem, vt nõ solùm nihil calumniari possent, sed eum contra se sententiam potuisse arguerentur. Itaque

que vt propriis verbis conuinci possent, primùm petiit sibi afferri & ostendi numisma census, vt habet Matthæus, hoc est, nummi speciem quo cẽsus exoluebatur. Reliqui verò duo Euãgelistæ dicũt Dominum expressisse nummi speciem dicentes eum petiisse sibi exhiberi denarium, Ex Matthæi tamen narratione magis apparet Dominum non expressisse numismatis speciem, sed veluti ignorantem quo numismate census solueretur, (quo declararet huiusmodi rerum cognitionem sibi nõ esse cordi) in genere numisma cẽsus petiisse sibi offerri. Nam cùm dixisset Matthæus Dominum postulasse sibi præsentari numisma census, sublicit, At illi obtulerunt ei denarium: significãs illos numismatis speciem indicasse, de quo Domin⁹ in genere rogauerat. Proinde intelligendum videtur Marcum & Lucam denarij nomẽ in verbis Domini posuisse, non quòd numismatis speciem Dominus expresserit, sed quòd denarius, is fuerat nummus, quem Dominus rogauerat sibi exhiberi. Porrò denarius, numisma erat Romanum: sicut drachma, Atticum numisma, habens imaginem alicuius Cæsaris impressam simul cum aliqua superscriptione, quemadmodũ videre licet in multis qui adhuc reperiũtur denariis, quod facit ad intelligendum id quòd hic dicitur denarium fuisse numisma census Romanis exoluendi, & habuisse tum imaginem, tum inscriptionem Cęsaris. Cùm obtulissent ei denarium, rursum interrogauit eos Dominus cuius esset nũmi imago & superscriptio, non quòd ignoraret, sed tum vt demonstraret sibi non esse curæ terrena, & hæc sibi qui cœlestia tantùm tractabat veluti incognita esse: tum potius vt ex ipsorum verbis eos illaquearet, qui venerant ipsum illaqueaturi in sermone. Illis ergo respõdentibus & imaginem & inscriptionem esse Cæsaris Tyberij vt est probabile, qui tum imperabat, intulit quod ex illorum responsione consequẽs erat: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Quo quidé non voluit significare Cæsari danda quęcunque ipsius haberẽt imaginem, sed quoniam pecuniæ à Cæsare cusæ vsu, testarétur se illius imperio esse subiectos, danda illi esse quæ ipse ex suis rebus ab illis rationabiliter requireret. Hoc enim cùm facerent, non tam d

eos quàm reddere Cæsari quæ ab ipso acceperũt. Ideoque non dicit: Date ergo: cùm illi interrogassent, Liceret ne dare, cuperentque illum dicere, vel dandum esse, sed dicit: Reddite, tanquam ea quæ eius sunt quæque ab eo accepistis. Quamquam enim non simpliciter ratione vsus pecuniæ Romanæ, deberẽt Iudæi Romanis tributum, cùm & antequam Romani eis imperarent, verisimile sit eos vsos fuisse Romana sicut & Græca pecunia, vt & apud nos externæ monetæ vsus est: tamẽ quo ex ipsismet eorum verbis Dominus ostenderet consequi, non debere videri iniquum esse, aut contra Deum sicut illorum plerique videri volebant, si pecunia Romana, Romanis solueretur exigẽtibus, hinc ipsis dicẽtibus pecuniam cẽsus Romani, esse denarium, & pecuniam Cæsaris imaginem præferentem, intulit: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: quasi dicat: Quãdoquidem solùm quæstio est de danda Cæsari pecunia eámq; fatemini eius esse numisma, non debet vobis iniquum videri nec Deo ingratum, si quod eius est, eo requirente, illi non tam detis, quàm reddatis. Addit autem admodum oportunè: & quæ sunt Dei Deo: primùm ne calumniari illum possent, quasi populum Dei subiiceret homini & non Deo. Deinque gloriam non vt videri volebat, imprimis assereret & quæreret. Nam illa erat altera calumniæ pars, in quàm lapsurum Dominum sibi persuadebant, si diceret censum Cæsari dãdum. Itaque illam calumniam illis præripiens adiecit: reddite item que sunt Dei Deo: significans census solutionem non esse contrariam his quæ debẽtur Deo, nec obesse quicquam pietati, si res humanæ hominibus darentur. Secundò, istud Dominus adiecit, vt illos ob auaritiã (prætextu tamen pietatis) auxios de soluendo censu notaret neglectæ pietatis in Deum. Non enim admonendi fuerant nisi in eo fuissent negligentes. Perinde ergo est ac si dixisset: Soliciti estis de soluẽdo censu, cùm illud, vtpote non contrarium pietati, obiter facientes, potius id curare deberetis vt quæ Dei sunt, Deo redderetis, cui nihil tam datur q̃ redditur, vtpotè à quo accepta sunt quecunq; ei dari possunt. Sunt autem Dei, ea quæ Deus ab hominibus requirit, Deóq; sunt debita, primitiæ scilicet,

licet, decimæ, honor ipsius, reuerentia & dilectio eius super omnia. Dicitur enim Deuter. 10. Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, ac seruias ei toto corde tuo, &c. Cùm autem omnia quæ habet homo in bonis vel animæ, vel corporis, vel fortunæ, sint ipsius Dei omnia hæc quodam modo Deo sunt reddenda. Id autem fit, cùm omnia Dei dona illi accepta ferimus, essque omnibus vtimur secundũ illius volũtatem, & ad ipsius gloriam. Discẽdum autem ex hac Christi, responsione, Christianos etiam Ethnicis principibus obsequi debere, sed dum aliquid petunt ex suis rebus, essque in quæ imperium obtinent. Nam si petãt diuinum sibi exhiberi honorem, aut aliàs aliquid contra Deum præcipiant, non est quod petunt reddendum, quia nõ quod suum est petunt, sed quod Dei est. Reddite, inquit, Cæsari, sed quæ Cæsaris sunt, quæque tanquam sua iure postulare potest.

DOMINICA XXIIII. POST TRIN.

EVANGELIVM.

IN illo tempore: Loquẽte Iesu ad turbas: ecce princeps vnus Matt. 6.
accessit, & adorabat eum, dicens. Domine filia mea modo defuncta est: sed veni impone manum tuam super eã, & viuet. Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius. (Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero. At Iesus conuersus & videns eam dixit. Confide filia fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora) Et cum venisset Iesus in domũ principis, & vidisset tibicines & turbã tumultuantẽ dicebat: Recedite, non est enim mortua puella sed dormit. Et deridebant eum. Et cum ejecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & dixit puella surge. Et surrexit puella. Et exiit fama hac in vniuersam terram.

QVantæ consolationis, quantique solatij, iam recitatum sit Euangelium, tum demum intellig-

mus,cùm in morborũ & mortis angustias corruerim⁹. Nã quid possit gratius miseris denunciati mortalibus, quàm existere quempiam tantæ potentiæ,vt valeat, atque benevolentiæ,vt velit,non modò morbos omnes abigere, verùm etiam mortem ipsam dicto citius effugare.Hunc ad nos è cœlis,ineffabili philantropia demisit altissimus,qui morbidam curauit in via , & mortuã excitauit in ędibus,non absque singulari consilio figurans Euangelicas promissiones , se dum adhuc in via præsentis vitæ versamur,& variis tam corporis, quàm animæ quatimur ærumnis,ac calamitatibus , vnicum omnium curatorem: Et cùm ad finem vitæ , veluti ad hospitium peruenerimus,certò nobis donaturum vitã hinc emigrantibus.Quid autem optatius sospitate, dũ viuimus. Quid autem suauius vita perpetua , & resurrectione,dum hinc emigrare cogemur. Vtrumque daturus aduenit Christus. De vtroque in præsenti Euangelio,sequentibus verbis Euangelista scribit.

Loquente Iesu ad turbas,ecce princeps accessit,&c.] Duo hęc miracula Matthęus quidẽ breuitati ferè in recensendis miraculis Christi studens,Christi verò verba & sermones accuratius describens paucis complexus: Marc. & Lucas latius prosecuti sunt vt sunt,ferè in explicandis miraculis Christi prolixiores & diligẽtiores. Itaque quæ à Matthæo breuitatis causa omissa sunt, ab eis diligentiæ studio explicata sunt. Diligenter autem explicant hunc qui pro filia rogaturus venerat , fuisse principem synagogæ,significantes in condemnationem Phariszorum & Scribarum quanta iam esset fama & opinio nominis Christi,quando non solùm simplex turba,sed etiam principes Iudæorum tãti Christum facerent,vt desperatam suorum salutem non dubitarent ab eo petere,etiã adorando ipsum,hoc est,vt habent Marcus & Lucas,procidendo suppliciter ante eum,quãquã ferè omnes Pharisęi & Scribæ Christo contrarij essent, eúmque calumniarẽtur.Indicat autem Lucas tria principem hunc de filia dixisse quæ dolorem eius augebãt, salutisq; desiderium,& quæ putabat ad misericordiam posse flectere benignum alioqui Dominum ; nimirum vnicam

vnicam fuisse sibi filiam,eámque annorũ ferè duodecim quando incipit flos ætatis, & hanc iam agere animã,ac de vita extremè periclitari.Natura enim luctuosior est mors adultę virginis,quæ iam marito nubilis esse incipit,ita vt Iuuenalis Satyra 15. cecinerit : Naturæ imperio gemimus cùm funus adultæ Virginis occurrit.Verùm difficultas nonnulla est , quomodo Marcus quidẽ & Lucas dicãt eũ dixisse filiam eius in extremis fuisse, Matthæus verò:Domine filia mea modo defuncta est.Intelligunt ergo quidam vtrumque eum simul dixisse sub disiunctione hoc modo : Domine filia mea in extremis est,aut etiam modò verè mortua est, sed veni,&c.Quoniam enim cum domo discederet,agebat animam metuebat ac interea temporis mortua fuisset. Chrysostomus autem intelligit eum dixisse defunctam fuisse filiam,non quòd hoc existimaret, sed vt augeret calamitatem suam,sicque magis ad misericordiã prouocaret Dominum. Est enim rogantibus consuetudo extollere sermone propria mala,& amplius aliquid eo quod est dicere,vt magis attrahant eos quib supplicãt. Itaque secundum eum,sensus verborum Matthæi esset filia mea adeo periculosè laborat,vt nihil inter eam & mortem interst.Augustinus verò intelligit Matthęum breuitati studentem non posuisse ea verba quibus Dominum princeps iste rogauit,sed ea potius quæ voluntatem patris significarent.Ita enim desperasse eum de filiæ vita,vt potius vellet eam resuscitari à Domino nõ credens viuam posse inueniri quàm morientẽ reliquerat. Nã si voluisset dicere quod dixerit Domino latius debuisset vlterius narrare,quemadmodum alij fecerũt quomodo factum est, vt ad mortuam resuscitandã Dominus pergeret.Nulla autem harum respõsionum videtur satisfacere difficultati,cùm parum sit verisimile, principẽ hunc id primò aggressu speraſſe à Domino vt filiam mortuam resuscitaret,cùm accepto mortis nuntio à Domino confirmari debuerit,dicẽte:Noli timere, tantummodo crede.Proinde verisimilius , vt apparet, dicetur Matthæum breuitati studentẽ posuisse non tã eam petitionem qua primo aggressu Dominum precatus est,quàm eam qua postea ea nũtiata filij morte D

Universidad de Deusto
Biblioteca

minũ precabatur,idq; nõ verbis,sed fide potius & desiderio animi,quod ostendebat credendo verbis Domini salutem filiæ pollicentis,cũmq; deducẽdo & sequẽdo in domũ. Qui enim breuiter aliquid narrare gaudet cogitur nonnunquã ob narrationis conuenientiã aliter aliquid narrare quàm quomodo gestũ est, quod tamen facit sine falsitatis & mendacij nota, si modus ab ipso narratus in rei gestæ ordine saltẽ comprehẽdatur. Ergo quoniã paucis narrare voluit Matthæus, rogatũ esse Dominũ vt faceret quod eum postea fecisse manifestum est secũdã principis huius petitionẽ signo magis quàm verbis expressam cum prima eius petitione coniunxit. Qua in re secundum Augustinum docemur nõ mẽtiri quenquam, si aliis verbis quid dixerit quod [illegible] uis volueris cuius verba nõ dicit: neq; veluti miseros aucupes vocum putare nos debere apicib⁹ quodãmodo literarum ligãdam esse veritatem, cùm vtiq; nõ in verbis tantùm,sed etiã in cæteris omnibus signis animorum non sit nisi ipse animus inquirendus.

Et surgens Iesus sequebatur eũ & discipuli eius.] Quamquam his imperfecta esset fides huius archisynagogi, (nam & putauit Dominum ægram filiam non posse sanare nisi & præsens adesset, & manum ei imponeret. Dixit enim: sed veni,impone manum tuam super eam; & viuet: hoc est,sana erit,liberáque à morte imminenti) tamen quia pro tempore illo satis magna illa erat de Domino fides,non reiecit eam Dominus, sed obsequi volens sequebatur eum. Hæc autem Domini facilitas docet, & nihil frustra ab eo orari posse quod quidem orantibus bonum sit,& imperfectiones nostras illum benignè tolerare, ac decere item nos,qui Christi esse volumus,vt pari facilitate omnibus simus exorabiles. Quòd si quæratur quare Dominus paratum se exhibet ad sequẽdum hunc principem, cùm regulo simile quid petenti, ac similem de Domino habenti fidem hac in parte nõ acquieuerit. Dicendum primò,Dominum in edẽdis miraculis,& precibus aliquorum exaudiendis non semper eandem debuisse sequi rationem sed nunc hanc,nunc illam,prout vel temporis,vel loci, el personarum conditionem illius prudentia inexplicabilis

Ieau 4.

cabilis expetere iudicauit. Hinc aliquando absens sanat aliquando presens,& nunc verbo solo,nunc tactu solo, nunc verbo & tactu simul,nunc fidem respicit,nunc citra cuiusquam fidem sola misericordia motus curat. Secũdo,ideo potius iam ad sequendum se promptum exhibuit,quia sciebat fore mortuam puellam,priusquam in domum principis peruenirent: vt autem mortuã absens resuscitaret non conueniebat,ne miraculum hoc, quod maximũ apud homines habetur, & quale adhuc nõ ediderat,vt est verisimile, non sibi asscriberetur aut diuinæ virtuti,sed putaretur à profundo quodam somno puella tandem naturaliter excitata ad se rediisse. Nemo enim ob miraculi magnitudinẽ crediturus erat absentem Dominum potuisse mortuum excitare. Sequebatur autẽ Christum cum discipulis etiam turba magna, cupida scilicet pro maiori parte euẽtũ rei spectandæ. Vbi rursum mira Domini elucet clemẽtia, mãsuetudo & humilitas,qui cùm tãtus esset,& multos haberet discipulos,qui à turbarum compressione eum possent liberare,patitur se à turbis comprimi,tam humaniter scilicet eum eis cõuersans sine omni fastus indicio,vt turbæ non vererentur eum comprimere.

Et ecce mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur duodecim annis.] Adeò semper & vbique vtilitatem aliquam de se proferre hominibus voluit Dominus,vt neq; inter eũdum otiosus esse voluerit,quin fructum aliquem faceret. Porrò diuina dispensatione factum est, vt iam hæc mulier in via curaretur,quò per hoc miraculum fides archisynagogi crescceret & confirmaretur. Bene autem pro maiori miraculi commendatione,Euangelistæ,maximè Marcus & Lucas,morbi magnitudinem & mulieris miseriam describunt,dum primò significant morbũ valde fuisse diuturnum,& secundò tam incurabilem,vt arte medica non solùm non potuerit curari, quamquã & complures id tentassent medici, & ab eis multa perpessa esset mulier,idq; cum facultatem omnium dispẽdio,sed etiam in peius semper proficeret,vt iam mulier hæc multis hominibus fuerit misera & miseranda: Primùm quod morbum adeo abominabilẽ apud Iudæos pateretur,secundò, quòd tam diu eundem passa esset

terrio

tertiò, quòd à complutibus medicis multa perpessa esset: quartò, quòd omnia sua erogasset, nouum malum veteri adiiciens, videlicet profluuio sanguinis paupertatem: postremò, quod etsi multa perpessa, & omnia erogata essent, non solùm nihil proficeret, sed magis deterius haberet à medicis suis triplex malum reportans, nempe multas pœnas, paupertatem, & morbi incremẽtum. Quæ omnia clariorem reddunt Christum tum potentiam, tum bonitatẽ, ostendunt enim ipsum solũ esse qui iuuare & possit & velit, vbi cessauerit omnis creaturũ vis. Colligũt autem quidam, videlicet Anabaptistæ, ex hoc loco, damnandum esse vsum medicinæ, ad
2. Par. 16 quod etiam comprobandum adducunt locum 2. Paral. 16. de Asa, quem scriptura, vt iactant, propter vsum medicinæ reprehendit. Verùm non sanius illi agunt, quàm si etiam vsu cibi interdicerent. Cibus enim magni morbi, nempe famis, remediũ est. Certè si inuisa Deo res esset vti medicis, si modò id rectè fiat, non omnium plãtarum & animalium cognitionem, quæ medicæ artis præcipua portio est, tanquam eximium donũ Salomoni regi contulisset, quemadmodum scribitur 3. Regum
3. Reg. 4. 4. contulisse. Proinde rectè scripsit Ecclesiasticus, sentẽtiam illorum planè damnans ca. 38. Honora medicum propter necessitatem, etenim illum creauit altissimus,
Eccle. 38. & postea. Altissimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam. Nec Asa ob medicinæ vsum in scripturis culpatur, verùm quòd Dominum nõ quæsierit, sed medicos. Sic enim scribitur: Nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum sed magis in medicorũ arte confisus est. Itaque quod Domino medicos prætulerit culpatur, nunquam culpandus, si seipsum Domino reconcilians, & spem in illum in primis collocans, medicorum postea opera tanquam quodam beneficio Dei per medicos sanãtis, fuisse vsus. Pius enim morbo correptus sicut agnoscere debet se à Domino corripi ne cum hoc modo damnetur, ita & ad percutientem patrem in primis se conuertere, illique peccata sua confiteri, ac veniam orare, sicq; sanitatem ab eo precari, quatenus ad illius gloriam facit & suam salutem, vel promorũ vtilitatem. Tum in nomine ipsius quæ ad medelam

delam corporum condidit, cum gratiarum actione vtetur, omni tamen fiducia collocata in bonitatem Dei, à quo vt eodem loco dicit Ecclesiasticus, est omnis medela. Hunc sanè ordinem docet Decretalis illa: Cùm infirmitas, de pœnitẽtia & remissione. Neq; hoc loco Euangelistarum intentio fuit medicinæ vsum improbare, sed tantùm indicare morbi incurabilitatẽ, quæ diuina quadam contigit dispensatione, videlicet tum in gloriam Dei, tum vt ne in medicorum ope nimis confidamus. Obseruandum autem hic quantum frequenter prosit desperatio salutis ab hominibus consequendæ. Posteaquam enim cœpit diffidere medicis, cœpit mulier hęc saluti vicinior esse & facta est illi salus, eo quòd non speranit salutem. Deus enim nulli lubentius opitulatur quàm qui se agnoscit humanis destitutum præsidiis. Sic & in salute animæ, quo quis minus de se fidit hoc est salute vicinior.

Accessit retro & tetigit fimbriam vestimenti eius.] Cùm audisset, inquit, de Iesu, quæ scilicet & quanta fecisset miracula, curando hominum infirmitates, quòdque circa illa loca esset. Quo significatur subita & facilis fides huius mulieris. Non enim viderat adhuc Christi in curandis morbis potentiam & benignitatem, sed tantùm audierat de Iesu, & mox admirabilem fidem de illo cõcipiens, miscet sese confertæ multitudini, accedens Dominum, sed retrò & latenter. Vt enim non faceret quod fecerat archisynagogus, obstabat tum pudor, tũ metus. Quoniam enim fœdo morbo laborabat: & tali qui iuxta legem excludebat laborãtes è ciuitatibus, quique secundum legem polluebat eos qui tali morbo laborantem cõtingebant, puduit eam huiusmodi morbum palam apud Christũ detegere, simũlq; metuebat ne à turba ob immunditiam suam repelleretur & redargueretur, veluti suo congressu totam turbam contaminans. Et sanè mirabilis admodum fuit mulieris huius fides. Cũ enim morbo sui malitiã iamdiu experta esset nulla humana arte potuisse superari, nec Christi in sanãdo facilitatem oculis conspexisset: tamen tantam ex solo auditu de Domino cõcepit fiduciam, vt speraret se solo contactu vestium fore saluam à tam diuturno & incurabili

Universidad de Deusto
Biblioteca

curabili malo,adhuc quamuis hac ratione neminẽ audisset à Christo sanatũ. Dicebat enim,intra,se scilicet: Si vel tantùm vestimentũ eius tetigero,sana ero à plaga mea,quasi dicat: Alios passim sanat,vt audio,solum contingẽs eos manu sua: ego verò cũ nõ ausim optare vt me immundum manu sua saluifica contingat,tãtam tamẽ eius credo esse & potentiam & sanctitatem, vt si illum ego contigero, idque nõ solùm in nuda cute ipsius, sed in vestimento, nihil addubitem, sed firmiter confidam me consecuturam desideratam salutem Porrò fimbria,quã tetigisse hanc mulierẽ scribunt Matthæus & Lucas,ea erat, quam Dominus, sicut oẽs Iudæi,gerebat in inferioti parte vestis,in quatuor angulis ipsius secundũ præceptũ Moysi, quod habetur Numeri 15. & Deuteronomij 22. Quemadmodum enim per circuncisionis Dñs signum suum populũ distinxit in carne ab aliis gentibus: ita & externa quadam nota in vestitu voluit esse separatũ, vt ea nota admoniti Israelitæ suæ ab aliis seperationis, memores etiã essent mandatorum Dei quæ illis singulariter tradita erant, quomodo & hodie religiosis certũ vestitus genus deputatum est à religionum autoribus. Quod autẽ mulier hæc cùm constituisset vestimentum tangere, fimbriã vestimenti tetigerit, quæ cùm circa pedes Domini esset,difficilius ab ea in turba contingi potuit,plerique causam dicunt, quòd indignã se iudicarit quæ vestimentũ ipsum contingeret, voluisseq; ob id contingere,quod in vestimento minimũ erat. Sed meo iudicio videtur magis ob id fimbriam voluisse contingere quàm aliã quamuis vestis partẽ, quòd ea insigne esset Iudæorũ sanctitatis,ac distinctionis illius populi à reliquis gentibus indicium: vnde Pharisæi tanti fimbrias has à lege præscriptas fecerũt,vt quo sanctiores cæteris viderentur,fimbrias suas magnificarent. Certè de fimbria Iudaica veluti sanctitatis nota,mentionẽ facit Zacharias,cum in diebus Messiæ decem homines ex,omnibus linguis gentium dicit apprehensuros fimbriam viri Iudæi,dicentes: Ibimus vobiscũ, audiuimus enim quoniam Deus vobiscum est. Vbi per virum Iudæum Hieronymus intelligit Christum, ita vt quod ibi dicitur

Zach 8.

tur de apprehensione fimbriæ viri Iudæi, hic iã ab hac muliere sit etiam ad literam impletũ. Cuius exemplo postea plerique offerentes Christo ægros suos,orabãt vt liceret vel fimbriam vestis eius tangere, vt scribitur Matthæi 14. Et videri potest mulierem hanc ad huiusmodi fidem commotã per miraculosam illam resuscitationem mortui cuiusdam ex contactu ossium Heliszi,de quo scribitur 4.Regum 13.Non est autẽ putandum mulierem hanc existimasse fimbriæ aut vesti virtutem aliquam sanandi inesse,hoc enim vt falsum erat ita superstitiosum fuisset credere,ac proinde nõ fuisset ipsius fides tantoperè à Domino laudata, sed Christũ crediderit tam sanctum, támq; per omnia saluificum,vt vel hactenus illi appropinquans consideret se ab ipso, aut, à Deo per ipsũ cõsecuturã salutem: quemadmodum ossa Heliszi in sese non habuerunt eam virtutẽ, vt solo cõtactu resuscitarẽt mortuũ,sed ad declarationẽ sanctitatis Prophetę,Deus cadauer cõtingens Prophetę ossa, resuscitauit Porrò his tam exẽplis manifestè refellitur impia hæresis Vigilantij,& eorũ qui eius errorẽ hodie velut ab inferis resuscitarunt,clamãtes superstitiosum esse venerari sanctorũ reliquias, atq; eorum contactu sperare salutẽ aliquã desideratam. Quẽ errorẽ præterquã quod hæc scripturarum exempla & alia similia, nẽpe quibus dicitur vmbra Petri & semicinctia Pauli sanasse,Actuum 5.& 19. apertè refelluat, etiam varia miracula edita ad martyrũ memorias eodemnãt,vt docet Hieronymus scribẽs cõtra Vigilantiũ. & Augustinus lib. de ciuitate Dei 22.vbi varia & admirãda signa partim à se partim ab aliis fide dignis, conspecta recenset.

Mar.14.

4.Reg.13.

Act.5. & 19.

At Iesus conuersus dixit.]Marcus paulò planius hoc describens,inquit: Virtus dicitur exiisse è Domino nõ corporaliter & localiter, quasi scilicet illũ reliquerit, sed ratione effectus, videlicet quia virtus sanandi quæ erat in Christo, extra ipsũ operabatur in muliere: aut quia effectus ille miraculosus causatus sit à Christo. Dupliciter enim explanari potest quod dicitur virtus exisse à Christo,quia virtus accipi potest aut pro ipso effectu,aut pro virtute actiua quæ erat in Christo. Loquitur

quitur autem Euangelista, similiter & Christus dicens apud Lucam, ego noui virtutem de me exisse, materialius iuxta captum simplicium, qui intelligebant Christi corpus esse veluti vas quoddam plenum virtute & efficacia sanandi, ex cuius plenitudine aliquid diffluaret ad eos qui curabantur: quemadmodum à calore intenso calor diffunditur. Dicit autem Euangelista Christum in semetipso cognouisse virtutē de se exisse & idē Dominus de se dicit, non quòd hoc cognouerit, ex corporis sui sēsibili aliqua mutatione, sed quòd hoc cognouerit spiritu suo diuino, quē nihil latere potuit: quamquam hic rursus Euangelista & Christus locutus sit iuxta captum simplicium, quasi in seipso ex aliqua mutatione senserit efficaciam. Porrò quamquam alias ferè Dominus voluerit edita à se miracula non prædicari istud tamē latere noluit, idq; variis de causis. Primùm, propter gloriā Dei, quæ ex hoc miraculo omnino abscondito nulla aut pauca fuisset. Deinde pro cōfirmatione & incremento fidei archisynagogi. Tertiò, pro commendatione fidei mulieris huius, cuius exemplo & alij excitarentur ad similem fidem. Quartò, ad perficiendum fidem mulieris: quamquam enim magna esset illius fides, tamen eam habebat imperfectionem, vt putaret se Christo nesciente posse sanitatem consequi, quemadmodum satis significat Lucas dicens: Videns autē mulier quia non latuit, putabat ergo se posse latere. Quam imperfectā de se existimationem Dominus in muliere correxit maiorem se declarans hoc ipso quod nihil ipsum latere posset, quā curando fimbriæ contactu. Postremo, voluit Dominus secundum Theophylactum, mulierē liberare à timore & cōscientiæ scrupulo, quo postea potuisset metuere Dei iram ob sanitatem furtim & sine gloria Dei acceptum eandémq; securam facere de consecutæ sanitatis conseruatione. Noluit autē Dominus ipse indicare quis se tetigisset, nec miraculi modū, sed ipsam mulierem voluit aperire omnem veritatem, vt sic miraculum esset commēdatius, præclariúsque, & verius esse crederetur. Itaque quo confessionem miraculi extorqueret, primùm quidem cōuersus dixit: quis me tetigit: loquens nō de vulgari

vulgari tactu, de quo intellexi Petr' & alij sed de tactu cum fide, quo tactu, cùm turba omnis Christū premeret, sola hæc mulier Christum tetigit. Deinde verò etiā circunspiciebat videre eā quæ hoc fecerat. His autem signis mulier intellexit statim, Dominum etsi interrogantem & circunspicientem, non ignorare eā quæ tetigisset sed tantùm requirere confessionem: ac Dominū perinde fecisse ac solet præceptor, veritatis à se cognitæ spontaneam confessionē à discipulis extorquēs huiusmodi interrogationibus, proinde timēs animo, ac tremēs corpore, nimirū quod metuebat ob furtim acceptam sanitatem Dominū offensum, malum morbi reuocaturū, aut etiam pœius inflicturum, aut saltem aceriter obiurgaturum eam, procedit ante eum, omnem veritatē ei aperiens. Itaque quod dicit Matthæus breuitati studens: At Iesus conuersus, & vidēs eam dixit &cæt. non sic esse intelligendū, quasi Dominus tunc eam viderit & alloeutus sit mox cū se conuertisset, sed postquā conuersus esset, & ea contigissent quæ postea narrāt Marcus & Lucas, & illa tandē se prostrauisset ante Dominum, tunc demū Dominus eam videns dixit: Cōfide filia, hoc est, bono esto animo, nec metuas tibi à me sanitatē eripiendam, adeo enim non displicet tua in me ista fides, vt hæc ipsa te tibi salutis causa fuerit impetrādo scilicet, & promerendo eā. Sic enim non solū dicitur fides saluū facere, & non effectiuē. Fidei autē hic Dominus sanitatē tribuit, eū ipse eius esset principalis causa, tū in commendationem fidei in se, tùm in humilitatis exemplum, tum etiam vt doceret fimbriā cōtactam ex se nō sanasse, sed sanitatē potius ex contactu consecutam propter simplicē tangentis fidē. Quod verò sequitur: Vade in pace, &c. hunc habet sensum: Abi animo existens posthac tranquillo, quæ obmorbi malitiam ac metu furatæ sanitatis in tranquillo fuisti animo, volo tibi acceptam sanitatē ratam esse & perpetuam. Cùm enim dicit: esto sana à plaga tua, non sanitatē cōfert quā iam acceperat, sed acceptā se ratam habere declarat, eámque confirmat. Quare cū subiicit Matthæus: Et salua facta est mulier ex illa hora: nō sic est accipiendū, quasi ab eo tempore quo Christus e-

allocutus fuit, sanitatem receperit, sed salua facta est ex illa hora, qua scilicet hęc gesta sunt. Obseruãda autem hic quædam mysteria. Et primùm quidem, vt annotauit Theophilactus, eos qui turbulento sunt animo cũ turbis non tangere quidem Christum, sed premere eum: eum verò qui cũ fide, animóq; tranquillo accedit illum tangere eum, nõ premere. Secundò, si tam salutaris fuit tactus fimbriæ cum fide, salutare etiã esse valde contactum & perceptum cum fide totum corpus Dominicũ in eucharistia. Postremò, docemur eos qui per fidem & contritionem apud sese in occulto cordis sui conscij sunt peccatorum remissionem & mentis salutem, debere tamen in cõspectu Ecclesiæ sese manifestare coram Christo & vicariis eius sacerdotibus, & humili confessione morborum & peccatorum, expectare ratificationem & confirmationem adeptæ salutis & remissionis peccatorum. Excutiendum pudorem quem posteà excussum gaudebunt, posteaquam senserint ex cõfessione maiorem animi tranquillitatem. Porrò hanc mulierem Diuus Ambrosius videtur sentire fuisse Martham sororẽ Mariæ & Lazari. Sic enim scribit in libro de Salomone capite. 5 Dum largum in sanguine fluxum siccat in Martha, dũ dæmones pellit ex Maria, dum corpus rediuini spiritus calore cõstringit, & quod mora sibi vendicauerat ad pœnam, lux denuo recepit ad vitam. Notans scilicet tria miracula in tribus. Sed de muliere ista, quæ qualisq; fuerit, certiora scribit Eusebius, digna certè quæ legantur. Sic enim habet libro 7. Ecclesiasticę historiæ capite 14. Quia vrbis huius (loquitur autem de Cæsarea Philippi) fecimus mentionem, iuxta videtur commemorare etiam illud in ea quod historia dignũ duximus: Mulierem quàm sanguinis profluuio laborãtem, à saluatore curatam Euangelia tradiderunt huius vrbis ciuem constat fuisse, domusque eius in ea etiam nunc ostenditur. Pro foribus vero domus eius, basis quędã in loco æditiore collocata mõstratur in qua mulieris ipsius velut genibus prouolutæ, palmásque supplicíter tendentis imago ære videtur expressa. Adstat verò alia ære nihilominus fusa statua, habitu viri, stola amictæ circundati, & dextram mulieri porrigentis

Huius

Huius ad pedem statuæ, è basi herba quædã noua specie nascitur. Quę cùm exorta fuerit, excrescere vsque ad stolæ illius æreæ indumenti fimbriam solet. Quã cùm summo vertice crescens herba contigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos languorésque acquirit, ita vt quæcũque illa fuerit infirmitas corporis, hausto exiguo madefacti salutaris graminis depellatur, nihil omnino gerens vitium, si antequam æreæ fimbriæ summitatem crescendo contigerit, decerpatur. Hanc statuam ad similitudinem vultus Iesu formatam tradebant, quę permansit ad nostra vsque tempora, sicut ipsi oculis nostris inspeximus. Hæc ille. Qui & subiungit quædã de imaginibus Petri, Pauli, & aliorum. Hanc autem imaginem à Iuliano apostata sublatam scribit à Socrate, Tripartita historia libro 6. cap. 41. vbi sic legitur: Cum Iulianus cognouisset in Cæsarea Philippi ciuitate Paneadis quam Panada vocabant, insigne Christi esse simulachrum, quod mulier illa sanguinis profluuio liberata cõstituerat, eo depositio suam ibi statuam collocauit. Quæ violento igne de cœlo cadente circa eius pectus diuisa est, & caput cum ceruice vna parte deiectũ, atque in terra fixum: reliqua verò pars hactenus superfuit, & fulminis iudicium reseruauit. Statuam verò Christi tunc quidem pagani trahentes confregerunt. Posteà verò Christiani colligentes in Ecclesiam recondiderunt, vbi hactenus reseruatur. &c.

Sequitur in Marco Adhuc illo loquente venĩt nũtij ab archisynagogũ dicentes, quia filia, &c. Cõstãter quidẽ Græci codices habent nõ solum in Marco, sed etiã in Luca, ab archisynagogo, hoc est, ab archisynagogi domo quo modo Tertullianus dixit, exiit à nobis id est, à nostra domo. Vnde verisimile est & interpretem in Marco vertisse, ab archisynagogo, quomodo etiã Latinorũ codices quidã antiqui habent: & in Luca vertisse, à principe synagoge, verum scriptorem aliquem offensum obsuditate quã prima fronte præ se fert sermo (videtur enim significari nuncios hos missos ab archisynagogo [illegible] Christo iam adesset) mutasse in ad archisynagogum, quomodo multi libri habent, & ad principem synagogæ, quomodo omnes Latini codices constanter habent. Porrò dispensatione

Universidad de Deusto
Biblioteca

pensatione quadam factum est, vt nuntij isti filiæ mortem non nunciarent ante miraculum sanationis mulieris, sed tum cùm adhuc ea muliere Christus loquebatur, quando scilicet iam ex recenti memoria aut potius præsenti contemplatione inauditi miraculi, princeps iste magis posset à Domino confirmari in fide alterius etiã inauditi miraculi. Itaque cùm ad desperandum prouocaretur à nuptiis, non credentibus Dominũ mortuam posse suscitare, quod eum nondũ fecisse audierant, à Domino ad fidem animatur: Noli, inquit, timere, tantùm crede, & salua erit: quasi dicat. Vidisti quã efficax fuerit multeris huius fides, audisti dictum ei: fides tua te saluam fecit & tu ergo etiam tãtùm crede, & per hoc fidẽ tuam salua erit. Non enim difficilius mortuã resuscitare, quàm incurabili morbo laborantẽ sanare. Est autem imago quædam proposita tentationis, ux suos Dominus subinde probat. Afflictos enim qui Domino fidere, & eius consolationem sentire cœperũt nonnunquam Dominus in probationem fidei eorum priusquã penitus liberet, finit tristibus quibusdam pulsari, mox tamẽ sua consolatione adest, omnem metum & diffidentiam pellens. Ita enim videre est hunc principem, simul atque afflictus erat, Christũ adiisse, temedũ oasse, & pro Domini facilitate extẽplo impetrasse. Sed vt fides eius amplius probaretur, tristi adeo nũtio rursus mẽtem eius pulsari Dominus voluit, noluit tamen illum deiici, quare mox illum sua consolatione erigebat, hortatus vt misso timore tantùm crederet.

Et veniunt in domũ archisynagogi. Et [illegible] venisset Iesus, &c.] Marcus priusquam Dominum dicat venisse in domum dicit: & non permisit quenquam se sequi nisi Petrum & Ioannem, &c. Lucas verò postquam Dominum dixit venisse in domum, dicit non permisisse eum quenquam sequi se nisi Petrum, &c. Quæ tamen nihil in se habent repugnantiæ. Non enim Marcus vult Dominum à se [illegible] reliquos discipulos dimisisse, cùm adhuc [illegible] det à domo principis, sed cùm iã ingressurus [illegible] Dominus domum, non permisisse quẽquam se sequi in domum scilicet, hæc est, quẽadmodũ dicit Lucas, non permisisse quenquam intrare secum.

Noluit

Noluit autem Dominus multos tãto miraculo interesse, sed & prius omnem turbam cum discipulis dimisit & ingressus domum eiecit omnem turbam tumultuãtem & plangentem, non solùm in humilitatis exemplum, & vt ostentationis notam effugeret, sed etiã vt Pharisæorum inuidiam declinaret, à quibus nondum tempus erat vt pateretur atque ne in se turbæ fauorẽ nimis accenderet, raperẽtq; illum ad creandum sibi in regem. Nõdum enim erat tempus suæ glorificationis & agnitionis perfectæ, quæ ordine quodã & temporis successu erat hominum mentibus instillanda. Iam videre eum esse Dominum mortis, erat præcipuum quod de illo sciri poterat, vnde tanquam insignius mysterium noluit id multis simul in principio reuelari. Cùm autẽ successu tẽporis sese magis ac magis reuelare deberet cùmq; morti vicinior fieret, tum præsente turba ad vitã reuocauit filium viduæ, & Lazarũ palam euocauit ex sepulchro. Paucos tamen quosdam interesse huic miraculo voluit, qui scilicet suo tempore certi essent, & fide digni patrati miraculi testes. Itaque ex sua quidẽ parte in futuros testes delegit tres discipulos præcipuos, quos sic aliis prætulerat, vt statueret illis ad maiora vti, aperiretq; sui cogitionem insinuare, & secretiora quæque illis committere, communicãda suo tempore etiam aliis: ex parte autẽ puellæ eos delegit, qui ad eam maximè attineret, nimirum parẽtes. Neq; certè fideliores testes adhibuisse potuisset. Potrò tibicines, quos Dominus dicitur inuenisse in domo, erant qui conduci solebãt vt sub is modis excitarẽt luctum in vicinis & amicis, ad quorum modos [illegible] testatur Lucianus in dialogo de luctu, gentes à quibus Iudæi hunc ritum videtur mutuati, solebãt eiulatus emittere & pectus pulsare. Hos ergo simul cum omnibus plangentibus eam eiecit Dominus dicens: Recedite. Non est [illegible] mortua, &c. quasi dicat, Lugetis hanc & ad lugendum commouetis veluti mortuam at non [illegible] mortua, mittite [illegible] luctum vestrum & tumultum. Et quidem vere mortua [illegible] esse sciebat, dicit tamen non esse mortuam, quod sibi [illegible] esset mortua, quódque mox esset velut à somno ex[illegible]ta, nec ita esset mortua sicut illi existimarunt. Quam autẽ peculiarit

Universidad de Deusto
Biblioteca

culiariter hui⁹ puellæ mors, somnus hic dicatur, quòd mox esset resuscitanda, tamen in scripturis frequenter omnium non solùm sanctorum, sed etiam impiorum mors somnus vocatur. Qua translatione vtitur scriptura, partim vt molliore metaphora quod horrori est hominibus, minus illis fiat terribile, sicut in omnibus linguis duce natura videm⁹ ea quæ sunt horrori aut pudori, periphrasi alio nō suo nomine nominari, partim & principaliter ad significandam futuram mortuorum resurrectionem. Nam ob priorē rationem etiam à gentilibus resurrectionem non credentibus mors somnus vocatur. Sic enim cecinit quidam: Stultæ quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago? Longa quiescēdi tēpora fata dabunt. Secunda verò ratio scripturis propria est In quibus quandoq; mors sanctorum peculiariter somnus dicitur, eò quod illi ad vitam resurgāt, vt cùm dicit Paulus: Nolo vos ignorare de dormientibus, vt nō cōtristemini, &c. Aliquando etiam dicitur de impiorum resurrectione, quòd & ipsi resurrecturi, sint sed ad iudicium Sanctè enim de impiis regibus scriptū legimus: dormiuit cū patrib⁹ suis, atque de pijs. Et Danielis 12. Multi de his qui dormiunt in puluere terræ, euigilabūt, alij in vitam æternā, alij in opprobrium. Sicut ergo hoc loco Dominus fieri mortem puellæ prohibuit, quod nō esset tam dicenda mortua quàm dormire, ita etiam hic docemur mortem maximè iustorum & Christianorum non immoderatè saltem defiere, quòd illorum mors re vera somnus quidam sit. Nā omnino amicorum mortem deflere peccatum non est, sed immoderatè defiere. Duplici enim nomine iustè ob amicorum mortē dolemus, duplici rursum nomine dolor iste modestus est. Nam vt doleamus, naturæ & charitatis officium exigit Naturæ quidē, quia naturalis affectus est cōdolere malo amici & dolere ob d[illegible]ū eorū quos amauimus. Nō enim Deus à suis [illegible] requirit, de qua Stoici disputarunt, sed nunc [illegible] præstiterunt, Charitatis verò quia non p[illegible] in esse molestum desiderium eorum quos [illegible] nabuim⁹ socios & auditores, quòsve Ecclesiæ De[illegible] nouimus esse viles. Sic Paulus scribēs Philipp fatet [illegible] mortuus fuisset Epaphroditus, dolorem

Dan. 12.

Philip. 2.

rem super dolorem id sibi allaturum fuisse. Amabat enim illum in Domino, & Ecclesiæ vtilem esse agnouerat. Rursum tamen duplici nomine dolor moderandus est, videlicet & spe futuræ resurrectionis ac vitæ beatioris quæ à vita hac sanctos excipit, & contēplatione diuinæ dispositionis, cuius omnes nostri affectus sunt subiiciendi, ac cogitandū optimè Deū omnia disponere, etiamsi secus nobis videatur. Sicut autē dispensatoriè factum vt iam tibicines essent in domo, & vt domus tā plene esset luctu: ita quoque factum, vt Dominum asserentem puellam non esse mortuam turbe rederent, nimirùm quò miraculū clarius fieret, dum his rationibus mors puellæ certò comprobata fuit.

Ipse autem tenens manum puellæ clamauit dicens: Talitha cumi.] Quod clamauit, sicut & cùm Lazarum exci[illegible] significabat se non præsentem vocare animam, sed absentem, itémque mortis potentiam omnium quidem creaturarum vitibus maiorē, sed verbo & iussu [illegible] inferiorem. Sicut enim quis dum à somno excitat, manum eius apprehendit vt erigat, & eidem vt exci[illegible] tur inclamat: ita Dominus dicitur solens verē somnum videre quòd dormiret, sibi[illegible]licet & manum puellæ [illegible] prehēdit, & clamore veluti excitauit, clamore suo tamē etiam vt dictū est, & animæ absentiam & mortis potē tiam significans. Marcus autem ipsa verba Domini recenset. Talitha cumi quorum alterum germanè Hebræum est, nempe cumi, quod surge significat alterum verò nempe [illegible] Chaldæū est aut Syriacū, & puellam significat. [illegible] oce vsus est Thargum, hoc est, Chaldaicis par[illegible]phrasis libri Hester cap. 2. Hinc & ex aliis plerisq[illegible] Euangeliorum colligitur, Dominū pueris [illegible] ibus locutum fuisse non purè Hebraicè sed Syra lingua, quantum in Iudæa vernaculam fuisse certissimum est. Quod autem quidā codices deprauatè pro Talitha habent Tabi[illegible] desumptum videtur ex Actaum nono capite, vbi [illegible] resuscitaturus eius puellam nomine Tabitham, dicit [illegible]ville, Tabitha surge. Porrò videtur Marcus peculiariter [illegible]tatus fuisse in sua lingua verba Domini quibus [illegible]culum aliquod operatus est referre. Nā & sepe [illegible]apite scribit

Dominum sanaturum mutũ & surdum dixisse Hephphata, quod est adaperire, non quòd significare voluerit verbis Hebraicè prolatis peculiarem inesse virtutẽ, sed potius quòd voces humiles & è medio vulgi sermone desumptæ à Christo autem dictæ, tantam virtutem habuerunt. Cùm autem Marcus expositurus Hebraica illa vocabula dicit quod est interpretatum, Puella, tibi dico surge: non est putandum etiam illa verba tibi dico: includi in duabus illis dictionib⁹, sed Marcus illa de suo adiecit, quo sensum vocantis & imperantis exprimeret, vt docet Hieronymus in libro de optimo genere interpretandi. Bene autem Lucas subiunxit: Et reuersus est spiritus eius, significans non aliam illi infusam animã, sed eandem illam quæ corpus dimiserat, in corpus redi[illegible]. In signũ autem veræ vitæ & perfectæ sanitatis, & ambulare puellam voluit, & cibum illi dare à parentibus. Quamuis verò præcepit parẽtibus & discipulis ne cui dicerent quod factum erat quominus sciret factum non [illegible] multũ esse, eisdem de causis fecit quibus turbã [illegible] fecit, nec nisi gaudentes voluit esse comites videlicet effugere cupiens apud eos qui aderant, tum apud eos [illegible] illi narraturi erant, rerum captatæ & [illegible] gloriã humanam, docerétque nihil nos debere facere ad ostentationem. Deinde & Phariseorum inuidiam declinaret, & populi fauorem non nimis in se accenderet, qui discretione nonnunquam & ordine carẽs seditionum auctor est. Quantumuis autem Dominus quantum in se erat occultum hoc [illegible] voluit, exiit tamẽ miraculi fama in vniuersam [illegible]m. Sequitur enim gloria & laus maxi[illegible]. Iam quod ad mysticum duorum horum [illegible] intellectum, sciendum duo ha[illegible] miracu[illegible] posse mysticè intelligi, videlicet a[illegible] legoricè. Allegoricè enim tractant [illegible]ario, Ambrosio, Hieronymo, & Beda, qui per [illegible] mulieres, quarũ altera duodecim annis la[illegible] fluxu sanguinis, altera duodecim annis exist[illegible] Pax est, intelligunt Ecclesiã ex gentil[illegible] ecclesiam, synagogam Iudæorũ. Per mulierem enim[illegible] ecclesiam, quæ secũdum Eusebiũ fuit Gentilis, [illegible] populus significatur, in quo

Sensus allegoricus.

quo sanguinis fluxus secundum Bedam dupliciter potest accipi scilicet vel super idololatriæ prostitutione, vel super his quæ carnis & sanguinis oblectatione patrantur. Per filiam autem archisynagogi, rectè Iudæorum populum significari nemo non videt. Ergo quo tempore filia archisynagogi nata est in mundum, mulier illa ægrotare cœpit, quia scilicet ex quo populus Iudæorũ à gentibus separatus fuit, gẽtes amplius & manifestius idololatriæ, seruire & voluptatibus omnibus cœperũt, ac tam diu earum languor perseuerauit, quàm diu viguit synagoga. Et quidem gentium populus à multis medicis frustra curari quæsiuit, dum multorum Philosophorum dogmatibus ac falsorũ Deorum ritibus deditur, & naturæ ingeniisque dotes in eis cõsum[illegible] olobum etiam suum auxit, à nullo curabilem qui[illegible] Christo. Cùm ergo Christus ipsius legis & Pa[illegible] harum intercessione in mundum hunc veni[illegible] curandum synagogam adhuc puellam & in annis [illegible] existentem (nihil enim ad perfectum adduxit[illegible] synagogam velut à pueritia [illegible]erat, præ[illegible] Christo in spõsam) velut in [illegible] Eccle[illegible] tactu fimbri[illegible] quia paratam lucis [illegible] de incarnationis Dominicæ præcinit. Vnde dicunt & Apostoli de Iudæis: Vobis oportebat prædicari verbum Dei, sed quia indignos vos iudicastis salute, trãsgredimur ad gentes. Cùm autẽ curatur Æmorrhoissa, mortua filia archisynagogi, quia cùm credere cœpit gentiũ populus, [illegible] eorum vigorem suum perdidit, lege ipsius [illegible] tantisquata & mortificata, atque per inuidi[illegible] gratiæ excidit, suscitanda tamen [illegible] quam intrauerit plenitudo gentiũ idque [illegible] dei gentium, quemadmodum [illegible] synagogæ ad æmulationem fidei mulieris prouoc[illegible]ndum moralem autem sensum rectè per [illegible] fluxio sanguinis laborantem, &c. intelligit[illegible] eius, quæ concupiscẽ[illegible]iis varijs multo m[illegible]ur[illegible]ixit, ita vt iam curata sit[illegible]ne turpiter mirac[illegible] verbi sui causationẽ ab [illegible]is quàm à Christ[illegible] nihil aliud quàm morbi aug[illegible] efficiet. Nõ

Sensus moralis.

eni

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim leuis est paupertas, ætatis & ingenij inctura. Non potest sanare lex Mosaica, non Philosophorum dogmata, non falsorum deorum cultura, non denique temporalium rerum copia & fruitio. Quod si autem fide Christi fimbriam, hoc est, incarnationem contigerit, idque à tergo, animum parata sequi vestigia Christi, mox curabitur ac sistetur fluxus ille immundus quo defluebat, hoc est insatiabilis illa concupiscentia cessabit, in oper[illegible] sanguinaria animum turpiter coinquinatia diffluere. V[illegible]n quo sanitas illius sit certior, & securior conscientia, necesse vt etiam post acceptā aliquatenus sanitatē, pudore omni posito, morbus ac Dei beneficium palam agnoscatur, vt prius dictum est. Per puellam no[illegible] 12. annos nata ac vix dum pubescēs mortua est [illegible]aren antequā efferretur aut sepeliretur à Christo [illegible]mo resuscitata est, significatur anima quæ in principi[illegible] vitæ spirituales per imbecillitatē prolapsa est in crimi[illegible] aliquod occultum: quæ quoniam nondum [illegible] frontem, & necdum assuetudine collegit habi[illegible] sanari ac re[illegible]tari potest, maximè si pro e[illegible] sollicit[illegible] sit princeps, hoc est pastor e[illegible]rum, [illegible]ius spiritualis pater, qui certè de eius [illegible] verare n[illegible]ber, etiamsi pietiq[illegible]met, nullā salutis spem ac planè desperatam esse. Tria enim fuit peccatorum genera per tres à Domino resuscitatos designata. Quidā enim sunt qui per imbecillitatem occulto aliquo peccato aut latente cogitatione peccati sibi mortē conscisc[illegible] Dominus se resuscitare posse significare [illegible] filiam adhuc in domo iacentem. A[illegible] malum delectantur publicè agendo, [illegible] mal[illegible] portas efferunt, & hos quoq[illegible] se [illegible] suscitat adolescentē fili[illegible] tis. Quidam verò p[illegible] fluetu[illegible] Psal. 11. lut in vitiis suis se[illegible] pti & abominabiles [illegible]acti in iniquitati[illegible] etiam se velle & posse suscitare ost[illegible] [illegible]xarum tres dixi in monumēto hā[illegible]do, [illegible] aut primus lapsi[illegible] per imbecillitatē. A[illegible] cillimè corrigitur [illegible]ncilior vero est cura[illegible] [illegible]litia [illegible]a publicè ema-

nauit

nauit, difficilima eius qui longa peccandi consuetudine callū obduxit, ideo Dominus puellā facili negotio erigit solo scilicet verbo & manus contactu: adolescens autem qui per baiulos efferebatur, maiusculo negotio reuocatur ad vitam. Primum enim audit mater. Noli flere: nec additur, non est mortuus, sed, dormit. Deinde contacto loculo sistuntur baiuli, mox inclamatur, adolescens. Ille primum erigit sese ac residet in loculo, pòst incipit loqui, tandē exiliens redditur matri. Cæterum in resuscitatione Lazari semel atque iterum Dominus turbatus infremit spiritu, soluitur in lachry- Ioan. 11.
mas iubetur tolli lapis, validaque voce euocatur. Notandum & illud, publica crimina publico egere remedio, læsa peccata & occulta debere occulta [illegible]ia delecti. Vnde puellam Dominus in priuati[illegible]os paucis arbitris suscitas, adolescentem verò & Lazarū palām multis circunstantibus populis.

DOMINICA XXV. POST TRINITATIS.

[illegible]AN[illegible]

IN illo tempore: Ab[illegible] [illegible]assim. [illegible]am di[illegible] [illegible]ae Iudæorum. [illegible]set, quia multis[illegible] [illegible]ntiquum: Vnde ei[illegible] autem dicebat tentans [illegible]orum esset. Respondit ei [illegible]o panes non sufficiunt ei [illegible]os. Dixit ei vnus ex [illegible] Petri: Est puer vnus [illegible] duos pisces. Sed [illegible] [illegible] [illegible]ubuerunt [illegible]ia p[illegible] [illegible]iuer[illegible] [illegible]Discipulis [illegible]Ppelim. [illegible]Celtis [illegible]

Colligite quæ superfuerunt fragmenta ne pereant. Collegerunt ergo & impleverunt duodecim Cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducaverunt. Illi ergo, omnes cum vidissent, quòd Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Prophetа qui venturus est in mundum.

IAm tertium est nobis, hoc, de panibus prodigium in Ecclesia recitatũ: Nam, & in media Quadragesima, primum deinde in ætate media, frugibus iam collectis: Postremò denique, sub vltimam aduentum Domini præcedentem Dominicam. Non ideirco, quia nihil aliud superfuerit Euangeliorum, quòd commodè potu[erit] [pro]pon[i], & tædio delicatorum hominum eõ[rum] [ob]us fastidium crambe gignit, pius semel appol[itum] quod hisce temporibus, vtilitatibus vestris, non p[otuit] [all]e melius alia quæcunque exhortatione prouid[eri] [im] quide, n[e] scius, otiosa ac proin-
[ia], nouis r[isque] delect[a]. Verum
[non] [ne]o[ga]ria ex hac corrupta,
[u]t de noua requi[rentium],
Oeconomiæ, [de]
[l]aſt
[on]ibus
Athenienſibus
[ca]t, niſi aut,
[ſu]perſtitionem
[pi]um idolorum, ſic,
Auguſtinus in libris de
que, qui rectè ſapiunt,
ber quotidianum, præter
te pariter, & digna
dem no[n] poſſi[t]
[re]commen[dari]
[mum] eſſe, quod ſpiritu ſan-
[ct]æ Eccl[esi]am toties reuocatur.
ſæpius reuoluitur, hoc ſapit
[in] more, præmanſum, læ-
te ſcriptura. Qui edunt me,
[ſu]nt me, ſitient. Quin etiam
& Chri-

Idem in e[pi]ſa ſæpius inculcat

& CHRISTVS ipſe, idem quandoque ſæpius inter docendum repetiit, cum inquit. Iterum atque iterum dico vobis. Et in ſermone ante mortem ſuam, ter repetit: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, Teſtatur Diuus Hieronymus ſanctum Ioannem in extremo degentem ſenio, nihil aliud ſuæ curæ commiſſis, dixiſſe, Quàm filioli, diligite vos inuicem, diligite vos filioli. Quàm frequenter & in eodem quidem pſalmo repetit Dauid: Quoniã in æternum miſericordia eius. Itaque, cum terrena inhabitatio deprimat ſenſum multa cogitantem, accommodiſſimè, inquit ad Philippenſes Paulus, Eadem vobis ſcribere, mihi nõ eſt tædioſum, vobis autem neceſſarium. N[on] m[ea] cauſas inquiramus, huius toties reſumpti [ex]hodierno Euangelio. Primum quidem in Q[uin]q[ue]ſima, feſſos: fatigatóſque pœnitentia filios, Ec[cleſia] hoc veluti ſolatio demulcere volens, [ſi]cut quo pacto Chriſtus [in] deſertum quod pœnitẽ[tiam] ſ[e]cutæ, ſe contendentes popu[li] [ſa]creauit [in]ſtate, collectis & dom[i]ſ[ti]cis, [no]uæ vbertate gaud[e]ant. [Ha]s poſtrem[as] [ſt]udiamus. Idem enim, prodigioſè pauit frugibus nos de[ſe]plantat eſt aliquid [ſe]q[ui] rigat, tum dat Deus, [ſi] quæ[ſ]pe fit, ſi tion[e] [ſa]lutem nobis ſ[ed], [ſa]tia deſp[e]ra in poſtrema [ſa]ecula repetitu[m] ſt[u]mas rationes [ſa]poris obſcu[ri]tes. [Sa]m quid [ſa]lia minica di quoque [ſa]ſym[bo]liculum expli[ca]nd[u]m [ſa]quis lis fier[i] ſudeat ad CHRISTI da fuit hiſtor[ia] [ſa]hoc ipſum adumbraret. Poſtremo ne[ſa]liu Eccleſiaſtici termino [ſa]Gloria ctatu, recapitulareutur hoc[e] ſtoriam, expediã nor[ſa]po

quo clarius percipiantur, obseruandum longè aliam temporis partitionem in Ecclesia fieri, quàm sequantur vel Hebræi, vel Græci, vel Latini, aut etiã Mathematici. Isti namque, ad generationes, omne spectarunt negotium. Ecclesia vero regenerationis ordinem originem, & terminum sequitur, Ideoque nõ ab authumno numerat anni primordium, quo tempore Græci ferunt mundum esse cõditum: Neque à vere, Hebræorum more, qui id tẽporis ab Ægyptiaca seruitute liberati, quoniã tunc primũ populus esse cœperũt, & habere Remp. inde auspicari annũ iussi fuerunt. Sed nec à Martio, vt Romani, ab vrbe condita, Latini verò à Ianuarius. Denique quoniam vaticum solẽ [illegible] ãctu, qui sol est iustitiæ, & lux mundi cuius [illegible] ãctus ortus, siue nativitatis principium deditæ [illegible] pstremus, finem imponer regenerationi: Ideo [illegible] rectis dam Mathematicorum placitis, qui iuxta so- [illegible] & iuxta [illegible] ationes, anni tempora metiantur, an- [illegible] im o [illegible] tempo [illegible] quo CHRISTVS ve- [illegible] m dei [illegible] Furium diuidens, in [illegible] nicam [illegible] inat. Primam partẽ, [illegible] appellamus, alteram pereg [illegible] [illegible] negotiũ, quid de [illegible] [illegible] ut: Vnde, quare, quomodo, quali- [illegible] ni, & qu [illegible] circumcisus, te [illegible] ũsque. Deus [illegible] [illegible] mi- [illegible] eius, & ieiun [illegible] nẽ, vsus [illegible] [illegible] rmenta [illegible] nõ resurrectio [illegible] spiritus s [illegible] nem prosequi- [illegible] ia, e [illegible] ne, tu Domini so- [illegible] [illegible] vatilling, Trinitatis, [illegible] [illegible] am [illegible] [illegible] [illegible]

Universidad de Deusto
Biblioteca

nunc Apostoli, tunc seruiet nobis filius Dei. Nō igitur fatigemur, Christū per deserta sequendo, nō murmuremus in tolerando, neque tædiū nos auocet ab operando, sed horum, & omnium piorum exemplo, qui de futuris euentibus, quamquam essent incerti, duraru tamē, Nos, qui certissimi sumus, dicamus cū Prophe-

Psal. 79. ta Domine, non discedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus, quia apud te est fons vitæ, & in nomine tuo videbimus lumen.

Dominica hæc à quo Secundum, quod in fine mundi faciet Christus, misericordissimum illud opus erit, quod eos, qui ipsū in

uiderunt, negauerant & crucifixerunt conuersus

seabit, vt sit vnū ouile, & vnus pastor. Cuius

inica admonet similiter. Quamquā au

us nunc vide b eis, ob ipsorū incre-

uersus, tunc men ablato velamine, vide-

Tunc dictum Saluatoris im

donec dicatis: Benedictus

aulus aperte confirmat,

gentiū plenitudo subin-

luus erit. Hinc etiā fit, vt

mus introitū ex H

o cogitatio & hoa

ego ex am vos, & re-

cunctis locis, cum quo

fatopere, accommo

tissimo tempore erit. Ecce dies ant, dicit Dominus,

& iustitiā Dauid germen iustum, & regnabit rex &

sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in

& Israel habitabit confide

uam cōgregē Euangeliū

m conuersionē adun-

cat vt hinc

recordant

trentur

centes

Christo sentiendū

amus fuisse homi-

rem omnipotentemq; Deum

per

ientis cum ii
ferendi in prio-
tur Eu sit, expl
gelio. em, & ii

per cuius passionem & crucem sumus à damnatione redempti. Qui in omni necessitate nostra fidelissimus apud Patrem aduocatus, & qui secundum magnā misericordiam suam saluos nos fecerit, &c. Quæ omnia aliāque salutis nostræ argumenta, vt certis diebus & cæremonijs, in prima anni parte, quod tempus redemptionis dicitur, fuerunt exposita, sic in hoc Euangelio breuiter, velati per enumerationem perstringuntur secundum quod ad salutem nostram necessario recolitur, est, vt declinemus à malo, & quod bonum est sequamur, cum tolerantia earum quas Dominus miserit, calamitatum. Ad quarum certum studium

liqua parte, quem tempus peregrinat

Ecclesia variis ar atis nos inci-

tres hoc Euangel prsonæ, quarum

alia Apostol rum, tertia populi. Fi

dictis, tum factis ostendit

hoc est, quid sequen

que, tam ex

gestis dom

nia, ex ipsū à tergo,

latina p tunc in

nuersionem

FINIS EVANGELIORVM DOMINICALIVM TOTIVS

L *Luc. 14.* De , ministrabit

per Apostolo-

mō vi-

serit *ps.*

hu-

qui-

m

ne

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora eorũ &c.]
...claratio cõiuncta, sed quæ & hîc videtur puté po-
...ta, referuntur ad tristitiam quæ in Apostolis causari pos-
...exaudita imminentium malorum prædictione, signi-
...que non ob ingerendam tristitiã hæc illis Domi-
...locutum, Vnde Cyrillus locum hunc sic explicat:
...dia hæc ait, causa dixi vt vigor mẽtis vestræ ener-
...& antequã pericula veniant formidetis, sed ve
...à me vobis prædicta fuisse magis admiremini
...re periculorũ certior ab euentu rerũ facta
...ies efficiatur. H... e. Cæterùm geni-
...A... coniungens ... substantiuo, ho-
...qui sic hab... hora eorum, hora
...ferendum ... genitiuum illum re-
...quod q Plebii ... ni, patet ex Græcis,
...ad q... ... est verbum, μνημο-
...ad eo... nini vel memores ... eis rerũ
...is est, earum... dõ locutus sum, reminiscã-
...mihi, inquit, ... ego dixi vobis illa. Additur
...autem dicit... ad Græcos ... iculos
...illa vera ... qui horã de ... sed
...nũ ponebã... Est ergo
...it hora, id... quod
...reminisc... frequenter
...ob nec... am causam tristia
...at, vt ne ... derentur eorum dele-
...rum trist... prædictionem leni-
...Videtis ... quidem dixit se do-
...mibus, vt maiùs
...cum cõm... ...ortunè ve-
...quoddã cõ-
...ab ipso præ-
...etiam in fide
...hil illi fuisse in-
...cognitum, ... Vnde non di-
...cit solum, vt reminiscamini ... de prædicta, sed
...quod ego illa dixi. ... am autem causam di-
...xit, ob ... dum h... locutus subiicit & causam

...sam quare hæc ipsis non ...
...inquit, vobis ab initio no...
...quia scilicet per meam p...
...hactenus fuistis, & ... am vera
...proinde non ce... cesse nec operæpretium de
...vos præmonere, sicut modò quando mea desitu
...presentia, & de me testimonium perhibere deb
...ceclamante. Quæstio tamen hic occurri
...modo ... : Hæc ab initio vobis no-
...cùm non solum paulo ... antè hæc illis mala obu
...prædixer... quando de ... ignis subuersionis H
...fuisse aduentus deferv... it, sed eum longè
...missione Apostolo... ad prædicando
...to Sanctè D. Augu... hæc motus
...nomen demon...), hæc no
...co... ia quæ Domi... is prædi
...ea quæ dixit de adven...
...Dominum de illis ...
...nebat cum suis, dicere a...
...eis iam esset abiturus. V...
...nomen, hæc, ad illa refe...
...ermr cùm dicitur in...
...rum ...
...tibus. P...
...mun... Deu... co...
...quia etsi dix...
...q...am tamẽ tam horri...
...nu...ie, cùm d...e morte...
...pro cultu & obsequio
...facere admonitos. V...
...secutione leguntur ...
...tunc à Domino di... Apo...
...dicendum, sed ... et anticipatio ...
...Matthæo illo loco propter loci o...

MATE-

A QVAE IN HIS IANSENII SERmonibus super dominicas continentur.

braicè, inuenerum alias n equinoctioni idoneam 22
fiunt. nificat. 13
rem & abductum sig- tum annorum. 43
um: Est ipsum c 54
s significat. is 103
n est quo ni dæmonis. 143
nere rem n profecerit. 104
figuficat 139
464
432
266
riecit. 1
lexabos 4
n. 4
16
sitas: nificat. 74
uenire cœperat chabar 0
gulis philolo 116
747
159
es n à caprinao. 364
baedr a qua 286
gicuto ftabu no
giam digni gnifie- 57
ore Iudeorum
71
74
Chaldei

Ch

c. .erc.
Christus, quatenus n
Canę duę fuerunt, vn
in tribus sor.
sit.
Cyrathus qu hit
Casma, gr yatum terræ sig
Christus, q nodo è cœlo d
Christ , non Ieiunasse m
lius Exemplum Eo
vt tanto tempore p
tioni ac præcibus va

Dies, apud Iudeos di
Denarius, minima Ro anum v
tres solid
Dæmones, nihil aliud malunt e
os infestent.
id

de
ne
Di

Filiis i
confi
sum.

Hamo
Halleiu

Universidad de Deusto
Biblioteca

MATE-
olis
5
A QVNE IN
358
HIS IANSENII
358
nit ibus super duplio
359
continentur.
549
550.
nũ esse abstinere ...nibus. 29
L
...sit. 148
...nant quibusdam facri-
...itare, & conuersari
170.
259
166
...empore lachry... 407.
47
M
...eg
...
213.
...idem
214.
215
19
...
201.
86.
...205
113.
741.
...
16.
O
...
P.
P
Pa
Pæ
fæ
Pi
Qu
...cit... s.
Quadragenar
...nando.
Quadrageſim
...ſo, & inſtitu.
Quarto vius e
Qui ...
Quare
Quis
Q
...
Quinquageſimæ di
Rouahh, hebraicè
Racha quid ſit.
Rex hæbr...
Stella quæ a
de nume.
Scribæ, q...
Secarius, q...
Scriptor dem...ium, dat... orun
ſignificat.
Soli ſunt beati qui ...
Simeon, eſt ob...
Sybilla, magica filia de... Cu... tuſt.
Socra... percuſſus alteram præbu... ma...

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca